UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Semper Gavdendi

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per Adventvales Conciones

Sarasa, Alfonsus Antonius de

Antverpiae, 1664

urn:nbn:de:hbz:466:1-13517

Visual Library

Th
2644

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 2644.

J. XI
24

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ARS SEMPER GAVDENDI

DEMONSTRATA

EX SOLA CONSIDERATIONE

DIVINÆ PROVIDENTIÆ

ET PER ADVENTVALES CONCIONES

Ex legati Celsissimi Principis Ferdinandi Episcopi

EXPOSITA

Paderbornensis et Monasteriensis 1683

AB ALFONSO ANTONIO DE SARASA

SOCIETATIS IESV.



ANTVERPIÆ,

Apud IACOBVM MEVRSIVM,

ANNO M. DC. LXIV.

Collegij Soc: Jesv Paderborna. 683.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

D. PAVLVS

Ad Rom. c. 11. v. 33. & seq.

O Altitudo diuitiarum Sapientiæ & Scientiæ Dei! Quàm incomprehensibilia sunt judicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit! Aut quis prior dedit illi? & retribuetur ei. Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula. Amen.



EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. LVDOVICO DE BENAVIDES

CARILLO ET TOLEDO,

MARCHIONI DE FROMISTA ET CARACENA,

COMITI DE PINTO.

Ynes, Sanmuñoz, & Matillæ Domino: Equiti S. Iacobi: PHILIPPO QVARTO à Cubiculis: à Sanctioribus totius Monarchiæ Consiliis:

BELGARVM AC BVRGVNDIONVM.

SVMMO PRÆFECTO.

ARtem Gaudendi semper, etiam vbi omnia miscentur lachrymis, Tibi cum offero, HEROS EXCELLENTISSIME, non tam eam edocturus venio, tanquam si nouam rem atque hactenus inauditam proferre sit animus; quàm demonstraturus artem solummodò, aliisque ostensurus viam, quâ GAVDIVM istud vnicè tibi comparâris, quod om-

nes quidem, saltem votis prosequuntur, reipsâ verò aslequuntur omnino perpauci. Magnarum etenim id mentium solùm est, longeque supra vulgus Excellentium, eorum inquam, quos non tam sors & natura, sanguinisque splendor & nascendi felicitas Magnos fecit (quamquam & in his præclara sine dubio sint Virtutum semina) quàm quos Virtus ipsa, & quæ hanc consequitur sapientia, multùm supra humanarum rerum vicissitudines euexit.

Et ne deinceps nominum æquiuocationibus implicemur, GAVDIVM voco, Tranquillitatem mentis perpetuam, Affectionum imperturbatam æqualitatem. GAVDERE verò assero Animum, inter ipsas etiam ruentis Orbis procellas & ruinas, si casus ferat, semper sibi similem, semper erectum, semperque constantem sibi. Verbo vt absoluam, GAVDIO perpetuo frui censeo mentem semper acquiescentem rebus, sibi, & Deo. Rebus; quia iam euenerunt, nec eas impedire in manu est: Sibi; quòd iis sit implicita: Deo; quòd ita ei prorsus visum fuerit, omnemque vt eueniret, ita rem direxerit. Hanc ego quietem Animi, GAVDIVM mentis & quidem perpetuum voco; si quidem GAVDERE est optata consequi, & desideratis frui. Mens enim sic constituta, numquam non consequitur id quod optat & quod vult; cùm aliud

planè nolit velle, nisi id quod euenit, illudque sic euenire & esse, prorsus approbet. En totam GAVDENDI SEMPER ARTEM. Talem enim Animum perturbare quid possit, cum ipsæmet perturbationes calamitatesque, quibus mortales quotidie inuoluimur, menti sic ad omnia præparatæ & expositæ, acquiescendi deinceps, GAVDENDI, inquam, noua semper sit materia?

Præclarè id Seneca: *Talis est*, inquit, *sapientis Animus, qualis mundi status supra Lunam est; semper illic serenum est.* Sen. epist. 59. Verùm, quamuis luculentum id primâ fronte Sapientis esse videatur encomium; penitius tamen vtrumque si componas & conferas, minorem esse pro rei dignitate comparationem inuenies, neque quæ præstantiam Sapientis, semper inquam GAVDENTIS Animi, amplè satis magnificéque exponat. Nam vt semper serenus sit æther qui supra Lunam per vastissima cæli spatia expanditur; hoc certè exinde fit, quòd vapores, fumi, fuligines, crassioresque humores è terrâ & mari calore Solis educti (ex quibus tota deinceps nubium, ventorum, imbrium, fulminum, omniumque quæ sublunarem atmosphæram circumuoluunt vicissitudinum est origo) sublimiorem illam & extra terræ reflexionem positam regionem non penetrent, imò ne attingant quidem. Quid igitur mirum, serenitatem perpe-

tuò dominari, vbi malæ auræ ne prima quidem sunt elementa aut vestigia? ea autem non esse, felicitatis id quidem est; quæ tamen cum Tranquillitate Sapientis animæ minimè debeat comparari.

Etenim Sapiens, medias inter procellas, ipsisque enascentibus è terrâ vaporibus semper implicitus, serenum nihilominus habet animum. Inuidiæ si fuligine obducitur; obstrepentium, virtutemque arrodentium linguis si impetitur; ad nubes vsque hominum laudibus Regumque fauore, si educitur; ad ima rursus, per summum quamuis nefas, si detruditur, semper isthic serenum est, semper placidum, semper tranquillum. Hoc enim uero, præ regionis æthereæ serenitate, magnificum habet Sapientis Animus: vtrobique serenum est; aſt quam isthic tranquillitatem dat sola loci felicitas, huc eam induxit Virtus ipsa. isthic serenum est, quia impeti non potest cæli plaga tam longè extra terræ vicissitudines constituta; hìc verò, quia impeti dum potest, perfringi tamen minimè potest virtute suâ obuolutus, ideoque malis omnibus imperuius Animus. Prou. 12. *Non enim contristabit Iustum* (hoc est verè Sapientem) *quidquid ei acciderit*, imò, vt Hebræi habent codices, *non tangent quidem*: adeo supra res omnes humanas sortisque vices, inter humanas tamen res semper intricata

erigitur

erigitur GAVDENTIS, aut si sic melius intelligar, Sapientis mens. Mihi vero perinde est GAVDERE, ac Sapere.

Hanc ego in Te mentem, non tam admiror quàm veneror HEROS FORTISSIME, parum dixeram, addere nisi possem, ET VERO ETIAM SAPIENTISSIME. Neque tamen Sapientem Te idcirco nomino, quod ipsa quamuis inter arma, Martisque graues strepitus iam inde ab adolescentiâ educatus, ita nihilominus Scientias omnes tam humanas quàm diuinas, Philosophiæ inquam Matheseosque reconditioris placita, atque ipsius adeo Theologiæ mysteria es circumplexus (prout testari possum, qui copiosè de his rebus, & quidem ex insperatò, pro re natâ differentem cum admiratione audiui) sic vt non tam Heroem Te, armis & inter arma natum, quàm inter Musæi pluteos, & negotiosa librorum otia, annos omnes contriuisse, imò inter ipsas Apollinis lauros succreuisse, fas sit credere. Palladem Armorum Scientiarumque Præsidem, vnam & eandem fingunt Græci; & verò figmentum id sit. Saltem hæc duo tam disparata, Martem scilicet cum Arte, Arma cum scientiâ, scuta cum Libris, Ensem cum Calamo, in vno homine ad stuporem eximiè componi potuisse, sine vllâ Metamorphosi aut etiam figmento, in Te ipso feciſti credibile. Arma sic tractas, vt

nulli

nulli sis inferior: Scientias sic è suâ Parnasso ad Martis castra non tamen inuitas pertrahis, vt Philosophis, ne istud quidem iam relictum sit, vt saltem sibi, videri possint soli sapere.

Non tamen ex hoc capite Sapientem appellare Te iam lubet. Isthæc enim omnia Scientiæ sunt tantùm, quibus quid quæque res sit, dignoscitur; Virtutis adiumenta sunt; viæ sunt denique, quibus ad Sapientiam deuenitur; quæ quidem non tam in Intellectu, quàm voluntate ipsâ primariam sedem collocat; quamque iam dixi esse solum GAVDIVM, siue Animum rebus maiorem, sese contentum & Deo; ideoque inter omnes fortunæ circumuolutiones, semper constantem, semper suum, quia semper Dei.

Hunc ego Animum in Te non adeo mirari me dicebam modò, quàm venerari. Neque enim si ingentes spiritus, ad magna promptos, ad Heroica agiles, ad ardua quæque perfringenda expeditos, natura ingenituſque Nobilitatis vetustissimæ Heroum sanguis Tibi sufficiant, tantopere id admirari debeo, qui scio non nisi summi Numinis destinatione & consilio ad ingentia natum Te; eumque esse voluisse, per quem tam præclara, nobilissimisque comparanda Hispanicæ Monarchiæ Prouincia, Regis nostri Deique auspiciis, per tot iam annos gubernaretur. Hæc autem per te agi

cùm

cùm voluerit Deus, non miror ego tantæ moli sustinendæ, humeros dedisse atque animos pares. Veneror sanè Diuinæ Mentis decretum, artemque quâ Te ab ipsis pene incunabulis, per minora primò quasi exercitia, ad maiora instituit, vt tandem ad maxima etiam in Republicâ gerenda munia, Prouinciarumque, quæ aliis Regna forent, gubernacula, veteranum iam virtutisque notæ Heroem, pro Tuis meritis, & Prouincialium incolumitate admoueret.

In primo enim iuuentutis flore Equitum cohortem in Belgio, Prætorianam vero in Insubribus præstantissimorum Imperatorum auspiciis dum ducis summâ fortitudine & prudentiâ, præludis tantùm summis Præfecturis, quas Equitum primò, mox Campi, vt vocant, Magister Generalis in Belgio egisti felicissimè. Hinc ad Insubriæ clauum supremus Prouinciæ Imperator admotus per annos octo. Inde rursus in Belgium redux, Armorum Gubernator, ea summâ industriâ circumduxisti. Donec tandem & Sanctiori Monarchiæ totius Consilio adhibitus, & totius Belgij Burgundiæque Gubernator supremus designatus, Prouinciis his summo cum imperio es præfectus.

Et hæ quidem artes fuerunt & consilia per Te publicas res dirigentis, nobisque etiam per Te

consulentis Dei. In his verò tam eximiis dignitatibus, Præfecturis tam diuersis, tam expositis non bellorum tantùm sortisque reciprocantis vicibus, sed vt in rebus magnis fit, inuidentium etiam arrosionibus, maleuolorum optima quæque perperam interpretantium calumniis, arcana consilia ignorantium peruersis iudiciis, dicteriis & querimoniis, Animum tamen seruare semper intrepidum; nec aduersantis fortunæ inuidentiâ deiici, & eneruari, nec arridentis plausibus efferri & intumescere; semperisthic serenum esse, factorumque conscientiâ contentum viuere; hoc tandem constantis, hoc Sapientis, hoc Viri est, hoc denique Tuum est.

Certè si aduersa commemorare libeat: & quid nilibeat, vbi tanta data est virtutis exercendæ, & vero etiam prudentioribus ostendendæ materia? Vidimus, cum luctuosus è Galliâ Flandris incumberet belli fragor, qui non exiguam æstate illâ Prouinciæ partem peruasit, magnamque vicinæ Brabantiæ minitabatur cladem: vidimus, inquam, totâ in Te (nescio quo fato) belli mole incumbente, cum exiguis sanè copiis, arma Regia salutisque nostræ spem, totâ circumferentem Flandriâ & Brabantiâ, quibus Rem publicam, cedendo turbini, sine dubio ne prorsus rueret sustentasti. Calamitosus imprimis fuit is annus; Tu verò ca-

lamitatibus

lamitatibus fuisti maior, eas qui intrepidè excipis; & receſſus neceſſarij inuidiam, hominumque ſapientiſſima conſilia nobiliſſimoſque auſus pro ſuo genio conuitiantium dicteria dum contemnis, ſuperas.

Hoc enimuero Sapientis eſt, exemplo ſuo manifeſtum facere, nuſquam ſiue in aduerſis, ſiue in proſperis deeſſe virtutis declarandæ aut tempus, aut locum, aut materiam. *Sic Sapiens*, inquit ad rem meam diſertè Seneca, *virtutem ſi licebit, in diuitiis explicabit; ſin minùs in paupertate: ſi poterit, in patriâ; ſi minùs, in exilio: ſi poterit, Imperator; ſi minùs, miles: ſi poterit, integer; ſi minus, debilis. Quamcumque fortunam acceperit, aliquid ex illâ memorabile faciet.* Sen. ep. 85. Nam vt paullò ante rectè dixerat: *Non ex ebore tantùm Phidias ſciebat facere ſimulacra; faciebat ex ære. Si marmor illi, ſi adhuc viliorem materiam obtuliſſes, feciſſet quale ex illâ optimum poſſet.* Illud autem ex reluctante tuis manibus fortunâ, ex duris & aſperis rebus feciſti Tu & Miles & Imperator prorſus memorabile; exemplo tuo quòd oſtenderis, excipiendam eſſe pectore aduerſo ſortem etiam peſſimam, non verò timidè declinandam: oſtendiſti quid ſit fortunam pati, & tamen fortiter ferre: oſtendiſti quid ſit clauum cui admotus es conſtanter tenere manu, nec illum dimittere irato mari: tranquillo enim, vti

vulgò dicitur, quilibet facilè Gubernator est. Denique quòd ne mundo quidem supra Lunam posito datum est, in ipso tempestatis feruore summo, serenus Tibi fuit animus, ad agendum semper promptus, numquam diffidens causſæ, Regi, & Deo. perturbabantur omnia, imperturbato Te, Et talis Tu quidem in rebus asperis & aduersis.

Quòd si verò non commemorare, sed vel leuiter tantùm attingere velim Tuam in felici fortunâ tum excipiendâ, tum etiam bene dirigendâ Sapientiam & virtutem, Deus bone! quanta, tam rerum à Te pro Rege fortiter feliciterque gestarum, quàm (quod non nisi magnis datum est mentibus) in prosperitate summâ, modestiæ Tuæ moderationisque demonstrandæ, sese mihi aperit materia, & quàm præclara? Sed quid attinet ea proferre, quæ omnium adhuc tenentur manibus, nostrisque sub oculis à Te prosperè sunt perpetrata? Admirati sanè sumus, versâ iam belli sorte, sub Sereniſſimi Archiducis Leopoldi auspiciis, Ductorem exercitus victricia signa explicantem, eâ felicitate, vt castra tantummodò, propugnaculis hostium admouisse, ea debellasse visum fuerit.

Incumbebat Lisæ fluuio infesta Flandriæ Armenteria; Menena ad portas vsque Gandenses latè sub armis Gallicis dominabatur, & impune. Sed

neque

neque huic profuerunt ingentia ex arte extructa valla; neque illi, vndique campis superfusæ aquæ, imò neque pluuiæ quæ omnem artem superare, ipsaque adeo castra nostra iam iam disiectura videbantur. Vnius impressionis nocturnæ, sed à Te vigili curâ directæ & factæ, Menena labor fuit. Paucularum septimanarum circumuallatione stetit Armenteriæ expugnatio.

Quid quod & ipsum Landrecium, validissimum in Hannoniâ oppidum, eâdem celeritate inopinatò mox cinctum, impetitum, expugnatum sit hebdomadis propemodum tribus, quæ olim cùm lentius gerebantur bella, explicandis castris vix sufficerent?

Eodem planè Marte, plura per Flandriam recuperata sunt oppida, copijs sanè exiguis, sed ausu ingenti. Testis est Dixmuda; ex quâ pauculis diebus exacti Galli, numerum obsidentium egredientes exæquabant. Pares erant impugnantium, & propugnantium copiæ, si Ducem excipimus. Nescio an nomen Tuum horruerint; illud scio, cessisse Virtuti.

Hæc cum agis, reliquamque Flandriam ex hostium manibus erepturus dum videris, ecce in Italiam Regio imperio auocaris, Mediolano & Insubribus, summâ cum potestate & imperio præfuturus. Nutabant certè isthic res nostræ, nisi tempe-

ſtiuè, fluctuantibus ſubuenisſet virtus Tua, ſolitaque in agendis rebus Prudentia, Fortitudo, Diligentia, & Celeritas.

Magnis copijs Cremonam, toti Inſubriæ eâ captâ formidabiles poſthac futuri, cinxerant Galli, ſummo copiarum Præfecto Pleſſeio Pralino, Mutinæ Duci juncti, quem pollicitationibus in ſuas partes hoſtes traxerant. Inualida erant mœnia, magnoque obſidentium diruebantur impetu, concidiſſet procul dubio, niſi Tuâ fortitudine ſtetiſſet vrbs. Quid enim? non immiſſis tantùm identidem copijs & annonâ obſeſſos recreabas, ſed quod hactenus vix auditum, ſupremus belli Dux cum eſſes, ipſemet in vrbem clam penetrans, obſeſſos ſubinde inuiſebas, valla reparabas, mandata dabas Ducibus, animos militibus, ciuibus indubitatam liberationis ſpem. Et ſic in hac obſidione, vt rectè Rerum Italicarum ſcriptor, Ioſephus Riccius; *Miniſtrorum defectu, Imperatorem, Chiliarchum, Caſtrorum, reique frumentariæ Præfectum, annonæ Curatorem agens, indefeſſo gyro circumuolitans, vnus obſeſſis omnia ſufficiebas.* Agebas omnia, Regis rem cum agis indefeſsè. Tuâ certe virtute Cremonam ſtetiſſe, in confeſſo eſt.

Ioſephus Riccius, de rebus Italicis Narrat. 26.

Quòd ſi Te militem etiam ſed egregiè & non gregarium, agentem libeat aſpicere; vidit certè Te Trinum paùlò poſt à Te obſeſſum, tormenta in ſuggeſtibus

gestibus magnâ curâ disponentem. Cùmque vi multâ obsessi ex oppido in valla irrumperent, neque adeò milites nostri impetum ferrent, iamque è statione palabundi discederent, *conspecto*, inquit Riccius, *populariorum discrimine, arrepto hastili ante primos ordines procurrens, Tuo exemplo tuis animatis ad pugnam, præsidiarios celeriori quàm venerant gradu, minoreque numero in oppidum redire coëgisti.* Paucis dein diebus, ex vrbe exacti sexcenti præter læsos præsidiarij, Imperatoris jussa acceperunt non inuiti, cuius in Milite fortitudinem admirabundi suspexerant. Ricc. Narrat. 28.

Et hæ quidem velitationes erant, quibus ad summum illud Martis & Artis opus, dignum Tuâ magnitudine, præludebas. Casaliæ validissima Ducis Mantuani in Monferrato vrbs, erat in oculis & in votis. Gallicis tenebatur armis; suspecta circumfusis Principibus vicinia, & verò toti Italiæ formidanda, Insubriæ præfertim infesta. Ipsa vrbs ex arte munita, Castello insuper (ita vocant) propè inexpugnabili, ac nouâ demum Arce egregiè sustentata, facilè quorumcumque hostium vires eludebat. Illudebat quin imo omnibus. & quia tertiò, fortissimorum Ducum obsidiones licet arctissimas tolerauerat impunè, solâ iam famâ, quâ sæpe geruntur bella, tueri se posse videbatur.

Verùm alijs denegata, Tibi à Deo domandæ Casaliæ

saliæ reseruabatur gloria. Arti Tuæ, & Marti cessit. Artis fuit & industriæ Mantuanum Ducem in belli, ipsi tam vtilis, societatem pertrahere; Vrbem ipsam exactis inde Gallis, Ducis sui imperia acceptare, militemque nostrum excipere. Martis verò, Castellum validissimum, sæpiusque fossis & vallis intercisum, tridui spatio expugnare, stupentibus in Arce Gallis, neque rei tam incredibili fidem dantibus.

Credibilem tamen fecit rem tam inexpectatam, Arcis ipsius oppugnatio, quæ quidem tanto feruore animi fuit impetita, vt nequidquam fortiter agentibus Gallis tandem Fortitudini Tuæ cesserit. Mensem vnicum non tentuit tantum facinus. Vigesimo quarto Septembris ex vrbe in Arcem & Castellum sese recepere Galli, tradidere se & arcem Octobris vigesimo primo. Sic demum munimentum istud inclytum, toties nequidquam impetitum, quodque præclarissimorum Imperatorum industriam copiasque toties fatigarat; Martis Campus, Fortunæ theatrum, Italiæ denique terror, in manus Tuas venit: terrorque ab Italia sublatus est, cum Arcem summa fide, quamque tota obstupuit & venerata est Europa, in Ducis Mantuani manus consignasti. Si mensem prodidimus, annum tamen, quo hæc gesta sunt, frustraneum est adscribere. Annos enim suos, & triumphos Tuos, ipsamet satis numerat,

rat, & exprimit Tuâ virtute DOMITA CASALIA.

Memoranda hîc etiam mihi foret, nisi hanc in paucis celeberrimam toto orbe victoriam, secuta fuisset Papiensis obsidionis præclara solutio. minus ea illustris Tibi quòd sit, solus fecit præcedens de Casaliâ triumphus. Arctâ eam coronâ multo iam tempore, ingentique molimine, arma Gallica Duci præstantissimo Principi Thomæ Sabaudo coniuncta presserant, & fere oppresserant; nescio an luculentam isthic olim Galliæ inustam clademem, Regisque sui Francisci captiuitate imprimis nobilem, vltura. Istud constat, renitentibus aduigilantibusque nequidquam hostibus, summâ arte & verò etiam fortitudine, vrbi obsessæ de militibus annonâqùe militari primùm prospexisse Te: coactis deinde vndique copiis, cum impressionem in ipsa castra meditaris, neque fortissimi quamuis essent aduersæ partis Duces, suam fortunam cum Tuâ virtute audent componere, vrbem tandem obsidione, totamque Prouinciam deinceps ab omni metu liberasse.

Atque hæc quidem omnia (captæ inquam tot vrbes, sustentata, & contra vim hostium immunis conseruata octo annis Insubria) milite admodum exiguo à Te confecta sunt, ærario autem tam exhausto & tenui, vt cùm teste Riccio *ante obsidionem Casaliæ pecunia deesset militi, argentea toreu-* Ricc. Sur.

mata, anaglypha, pretioſos lapillos, monilia pignori dederis, vt extractam ex iis non pœnitendam pecuniæ ſummam, in alendo exercitu totam impenderes. Quid non tam munifico Duce miles audeat, quem publica agentem, publicis videat priuata poſtponere cùm res ſic poſtulat, neque tam ſuam agere, quàm Regiam & communem?

Sanè virtus hæc Italiæ conceſſa, Belgio vbi ſuccreuerat, debebatur. Poſtliminiò igitur poſt octo annorum in Inſubribus Præfecturam tantâ cum laude, tantiſque Prouincialium applauſibus exactam, Belgio redditus es, Sereniſſimoque Principi Ioanni Auſtriaco ſummus armorum Præfectus & Gubernator additus, tum cùm imminens Gallici belli impetus, validiſſimo & maximo caſtrorum apparatu Valencenis incumbebat. Neque minores Duces expetebat res & periculum, quod non vrbi modo, ſed & Hannoniæ imminebat vniuerſæ. Diſcuſſa eſt tam immanis tempeſtas nocte vnicâ: ſuperata ſunt hoſtium valla auſu immani, celeritate maximâ; exuti caſtris Galli, & cum Aurorâ ſerenitas rediit toti Belgio, vti ſummopere & per dies ſingulos expectata, ita ſanè totius Prouinciæ plauſibus longè maximis, gratulationibuſque excepta. Quid enim non expectarent Belgæ talibus armorum Ducibus? Eos hic referre huius loci non eſt. eſt autem, dicere victoriam

riam hanc longè præclariſſimam, Te ſummo Armorum Gubernatore, cuius eſt ſingula digerere in ordinem, digeſtaque exequi, fuiſſe reportatam. Taceo recuperatum exinde Cõdatum, & S. Giſleni fanum, nequidquam vndis, paludibus, valliſque munita oppida. poſt Valencenas obſidione ſolutas, nihil imperuium fuit armis tam felicibus.

Plures ſine dubio triumphos expectaſſet Belgium, tum cùm Tibi poſt diſceſſum Sereniſſimi Principis Ioannis Auſtriaci, totius Prouinciæ adminiſtrandæ ſummo cum imperio cura fuit demandata, niſi Pax ſuperueniens Belgio, Martem ſuppreſſiſſet. Hæc tandem Tibi debebatur pro meritis tantis Præfectura, præclariſſimaque Prouincia, tanto ſanguine procurata, Heroum palæſtra, Martis ſchola toto orbe celeberrima.

In hac verò, bella triumphoſque Tuos vlterius explicare datum cùm non fuerit, Pacis certè Artibus commiſſam Prouinciam exornare ſtudium Tibi fuit & cura imprimis vnica. Atque vt cætera taceam, ne nimium diffluam, quanto demum molimine id perfeciſti, vt merces, quas è vicinorum manibus ſummo ſuo diſpendio, quaſi precariò emendicare Prouinciales debuerunt hactenus, patefactis iam fluminibus, portuque Oſtendano expurgato, ipſi ſibi è Regnis etiam diſſitis aduehere iam poſſint commodè, ſuaſque viciſſim

exteris, ſuis ipſi manibus nauibuſque conſignare?

Quantis hæc res ſtetit non impendiis modo, ſed & inuidentium cauillis! quæ non fuere difficultates complanandæ imo & deuorandæ! quanto ſtudio allaboratum eſt, vt fœtus hic tam fauſtus, in ipſis cunis præfocaretur! Reluctantibus tamen nequidquam qui tam præclarum opus, aut ob rei vti videbatur difficultatem, aut ob priuata commoda, quod de multis magis crediderim, differendum ſaltem in pacatiora tempora iudicabant, Tu ſolo boni publici amore, eâque quâ vt Belgio vniuerſo faueas, beneuolentiâ duceris, tandem perfractis omnibus quæ ſeſe interpoſuerant impedimentis, Oceanum neſcio quâ infelicitate hactenus interceptum, priuatorumque emolumentis intercluſum, ad nos deriuaſti, & cum Oceano commercium & diuitias.

O quanta nunc exoritur, ſua ſi bona norint, Belgis felicitas! Iam tandem Pacis commoda dabitur experiri, cùm pleno allabitur Copia cornu. Interim quid tibi non debet Belgica, qui & Arte & Marte, Pacis Bellique ſtudiis Prouinciam hanc ſplendori priſtino reſtituere tantopere allaboraſti? Vndis inſcribi dicitur, quidquid facile ex hominum memoriâ elabitur. Immortalis igitur erit hiſce in Prouinciis Tui memoria, quam etiam vndæ ipſæ quantumcumque fluxæ & inſtabiles,

felicita-

felicitatem Belgis ex Oceano quotidie deferentes, suo motu & allapsu quotidie identidem renouabunt.

Verùm quò me auehit facinorum Tuorum inexhausta materia? Maris æstus est; cui si quis se committit, illico incautus abripitur. itaque retrahendus est pes, etiam inuito. Illud tamen quod ad rem meam facit maximè, iam dicendum est. Mirabuntur fortassis alij præclarissima hæc vereque Heroica facinora, quibus Tibi ad Præfecturas summas gradum fecisti, & nomen apud posteros immortale. ego verò inter tot tamque ingentes blandientis Fortunæ illecebras, quibus abriperentur alij, constantem animi Tui æqualitatem, mentisque moderationem veneror & obstupesco. Aliis semper aliisque dignitatibus adhibitus; aliis semper aliisque victoriis clarus, numquam fuisti alius, sed semper Idem, Tuique similis: affabilis inquam, benignus, comis, & ad humanitatem omnem factus, semper Tuus, idem semper. Nisi alius fortasse dici debeas, quod crescente Fortunâ, semper visus es modestior.

Neque clientes tantùm Tui, & amici, sed & hostes ipsi comitatem Tuam affabilitatemque experti, eam sæpissimè deprædicarunt; quibus illud solatij fuit victos fuisse, sed à Te. Humanitate hâc & Sereniſsimus Mantuanus Dux in belli societa-

tem adductus est; & verò Mutinensis ipse arma Tua iam expertus, nec tamen adhuc fractus, iis dum nondum cedit, benevolentiæ Tuæ cessit tandem, amicasque iunxit manus & quem armis poteras victor prorsus proterere, maluisti moderatione demereri. Hoc certè est & Heroem esse & verè Sapientem virum, in omni varietate sortis animum seruare eumdem, nec in prosperis præferuidum, nec remissum in aduersis. Talis Tu quidem es, neque dum hæc à me dici ægrè fers, aliud agis, quam reipsâ fidem facere verbis meis; facis enim quod modesti est: & talem te esse contendo.

Interim dum sic agis, en tanta Virtus nobis eripitur: & Hispania quæ iuuenem Te huic Prouinciæ dedit, Virum iam meritisque plenum repetit. An igitur succrescere & matureſcere hisce in terris debebat Heroica illa indoles, vt Hispania fructus iam maturos decerperet, iisque præ nobis frueretur? Fateor; ipsa quidem Te iure suo postulat; à Patriâ enim expeteris, Patriamque repetis. Sic est. sed si rectè rationem teneo, dum Patriam petis, Patriam deseris. Nam si, *viro forti omnis terra Patria est*, certè potiori iure, eam hoc nomine gaudere conuenit, in quâ non tantùm egisti fortiter, sed & beneficè. Hispania locum natiuitati Tuæ cum dat, te fecit suum: Belgium verò, aperiendæ virtuti Tuæ campum dum explicat, Te

suum

ſuum fecit: Belgio autem tot nominibus cùm benefacis, feciſti Tuum. Patriam igitur iſthic naſcendo accipis; Belgium verò beneficentiâ Tua, Patriam facis. Vtram iam, ſi iure agendum eſt, præferendam exiſtimas, an quæ tibi ſorte obtigit, an quam Tuam Virtus facit? Iuſta hic ſanè cum Hiſpaniis expoſtulandi nobis data eſt materia.

Verùm cùm ita Numen tulerit, cuius quidem ſapientiſſima decreta ingens aliquod in Te, & per Te, bonum Hiſpaniis prætendunt, hæc ſanè duo nobis erunt ſolatio. Primò quidem quod in ære Belgij futuræ iam ſint Hiſpaniæ, Heroem tantum quòd remiſerit, totque victoriis exercitatum virum; quem Tironem è Patriâ aduentantem, indoles quidem præcelſa, tantoque digna ſanguine faciebat aſpectabilem; ſed vti herbam futura meſſis, ita indolem tam egregiam, ſpes ſola Heroicorum facinorum eo tempore commendabat.

Nam ſi, vt plerumque fit, indoles innata ſit ſanguini, generoſique ſpititus ex auitâ progenie trahant originem; quid non expectari iure merito poterat abeo, qui ex vetuſtiſſimâ, totâque Hiſpaniâ celeberrimâ Biedmæ domo ſanguinem trahis & genium? Satis conſtat iam indè à quadringentis propemodum annis, anno inquam MCCLXXXIV, Ignativm Ignatii de Biedma, à quo lineâ, Argote de Molina l.1.c.34.

vt

vt aiunt, rectâ, & stirpe non interruptâ Paternam ducis originem, inter RICOS HOMBRES fuisse numeratum: quos quidem & ex stirpe Regiâ plerumque fuisse, Regni primores, quos hodie Magnates siue GRANDES appellamus, eosque qui ad summa quæque belli pacisque adhiberentur consilia; imo qui & subditis, si forte deficerent, suis suffragiis Reges darent, aut etiam in Reges deligerentur ipsi, ex antiquis Hispanis auctoribus præclarè demonstrat, antiquitatis eruderator egregius Ioannes Iacobus Chiffletius. Scimus vt IGNATIVS ille DE BIEDMA, ausu omnino memorabili & digno tantâ indole, Iolante Arragoniæ Reginâ à Mauris fortè captâ & in vincula summo totius Regni dolore abductâ, in hostium castra violentus irruperit, repaguliſque quibus concludebatur effractis, Reginam pristinæ libertati, Regi, Regnoque restituerit, nequidquam frendente Mauritaniâ, tantoque facinori applaudentibus Hispaniæ regnis vniuersis. Nescio an quis opima magis spolia, victor ab hoste ad sua castra reduxerit; gratiora certè vnquam relata fuisse, non credo. Alia possent adferri quam plurima, quæ præclarissimam BIEDMÆ, Tuam inquam domum commendarent, nisi ea manibus teneremus, quæ tam illustrem sanguinem non iam Proauorum facino-

In Childebrando facto.

Molina l. 2. c. 34. Lopez de Haro, & alij.

facinoribus, sed Tuis insignirent. Felicitatis si fuit progenitores nanciſci fortiſſimos, Virtutis sanè tuæ est, iis dignam esse sobolem; neque tam à Proauis splendorem accipere, quàm jam acceptum ad Proauos reflectere, eos illustriores præclarè factis reddere, antiquamque famam jam vetustate fere obductam, nouis facinoribus augere, saltem, vt verbo absit inuidia, renouare. Certè quod Ignatio de Biedma Progenitori Tuo fuit Arragonia, hoc Tibi Belgium fuit; ingenitæ nimirum Virtutis ostendendæ, & exercendæ campus celeberrimus.

Alterum quo absente Te, sese Belgium consoletur caput est, Prouincias hasce amare quòd non desines, quibus tanto Tuo labore & studio feciſti benè; vt ergo alia Belgio deessent omnia, Tuum certè in eo beneficium adamabis.

Iam verò, cùm Beneficentiæ Tuæ toti Prouinciæ exhibitæ mentionem fecerim, certè eam quàm minimæ Societati nostræ jam inde ab adolescentiâ tuâ præstitiſti, quæque cum annis dignitatibusque, tanquam Tibi ingenita, creuit quotidie, nec obliuiſci possum ne ingrati vitium incurram; neque etiam commemorare audeo, ne dum rem pro dignitate non satis expono, penuriam dicendi faciam manifestam. Certè Societa-

tem nostram ita complexus es, vt eius patrocinium, neque ob maleuolorum inuidiam, neque ob calumniantium arrosiones, delationesque non finceras, imo ne ob Principum quidem, quibus res nostræ minùs fortassis erant perspectæ, beneuolentiam, vmquam diminueris: tutatus es quinimo impensiùs, re & fauore sustulcisti, & quòd verè Magnanimi est vereque Benefici, non dissimulanter & clanculùm, sed palam & aperto Marte. Denique vt paucis, non absoluam sed tangam omnia, Societatis nostræ egisti Patronum & Patrem. Gratiam pro tantis meritis referre non potest exilitas nostra: neque vero gratias dignas referri patitur Magnitudo Tua. illud saltem patere, vt Nomini Tuo quàm maximè nos obstrictos esse, candidè & ingenuè fateamur. Hoc ipsum verò dici Tibi si non pateris, Benefici rursus partes agis, cuius est beneficiorum facile obliuisci: à me verò si dicantur, etiam reluctante & inuito Te, grati quidem, quæ nostræ sunt, partes omnino non expleo, agere tamen aliquousque incipio. sin autem eas non ago pro meritis Tuis, debitisque nostris, illud sane confiteri non erubesco, humeros mihi esse impares tantæ moli, & me rei magnitudine prorsus opprimi.

Accipe nihilominus HEROS INCLYTE, hanc qualem-

qualemcumque, debiti nostri, cui persoluendo nonsumus, testificationem sanè exiguam. Exile est quod offero & re & mole; nihilque admodum insigne continet, nisi duo. Vnum, quòd Nomine Tuo passus sis hoc opus insigniri: alterum quòd Theoriam contineat adumbratam Artis illius, quâ ad veram Sapientiam deuenitur, quamque non adumbratam tantummodo, sed viuis in Te coloribus expressisti. Fruatur Virtute hâc, eâque felix sit Hispaniâ: alterum hoc solatium absentiæ Tuæ nobis relinquis, Tuo consilio, Prudentiâ, Fortitudine, Sapientiâ fruitura quod sit Monarchiæ nostræ sedes, vnde tanquam ex fonte, maiores etiam bonorum riuos, ad se, Te isthic præsente, defluxuros, Belgium non immerito, & ferè dixeram suo iure expectat.

Prosequetur interim iter Tuum Societas nostra votis suis: illud identidem exoptans, vt, carere te cùm sit necesse, quàm felicissimè & quàm citissimè cum lectissimâ & EXCELLENTISSIMA tori, dignitatum, virtutumque Tuarum CONSORTE, Regiis oculis sistâre; Virtutemque Tuam, quam iam triginta & quod excurrit annis, per remotas à Regio conspectu regiones, & procul à se dissitas Prouincias imperiis suis & auspiciis circumduxit, coram etiam aspiciat, experiatur, admire-

tur, & meritis tandem præmiis afficiat.

Ita vouet ex animo Societatis nostræ Provincia Belgica & in hâc ego minimus; animo tamen, res quamuis desiderio non respondeat, non minimus, HEROS INCLYTE.

EXCELLENTIÆ TVÆ

Seruus, & Cliens obsequentissimus

ALFONSVS ANTONIVS DE SARASA
Societatis IESV.

ARS SEMPER GAVDENDI

Quâ vera quies animi comparanda, ex solâ consideratione Prouidentiæ diuinæ. Et quomodò hâc vtendum, ad conformandam suam voluntatem cum diuinâ.

TRACTATVS I.

PROOEMIALIS.

Gaudete in Domino semper; iterum dico gaudete .... & pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Iesu Domino nostro. *ad Philip. 4.*

Ostenditur gaudium perpetuum, seu quietem animi, etiam in hoc mundo comparari posse. Artis huius summa est, non res sibi; sed se rebus, prout eueniunt, accommodare: & vt hoc possis, maximam de Deo habere opinionem, cuius nutu omnia gubernantur.

PROOEMIVM.

MAgnus Euangelij, hoc est boni nuncij præco & Apostolus Paulus, gaudere nos vult Auditores. Frustra ergo dubitem ego, an è re vestrâ sit de gaudio sermones instituere, quod septem dum profert verba, bis suis hoc est nobis, inculcat ipse Apostolus. Neque iam ampliùs dubito, an in hoc miseriarum loco gaudium, & quidem perpetuum sit possibile, cùm illud mihi per Apostolum imperet Deus, saltem commendet.

mendet. An verò imperabit is, aut etiam commendabit id quod obtineri minimè possit? haud equidem reor. Si verò fieri potest *semper* vt *gaudeamus*, illudque sibi gratum esse suâ commendatione ostendat Deus, cur me tristi mœrore demens inuoluo? cur melancolicis inhæreo phantasmatis cogitabundus & trepidus, si læto & alacri, bonæque spei pleno cælum datur conscendere? Ita egomet mecum. Idcirco statui gaudere prorsus, & quidem semper. Idem vos mecum Auditores statuite, & conuenimus ambo.

At verò cum Senecâ, gaudium dices esse factitium, & licet domi nascatur, non nasci tamen suâ sponte. Ita planè est. Verùm nisi me gaudium ipsum fallat quo penè exilio, artem gaudendi mihi consecutus videor. Hanc vobiscum toto hoc Aduentus, id est lætitiæ tempore communicare est animus. Et vt viam reliquo Aduentus decursui aperiam, illud agam modò.

Primò quidem ostendam gaudium perpetuum in hâc mortali vitâ comparari posse; & quod id demum sit gaudium. Secundò vnicam tantùm peruersam opinionem quæ in nobis ipsis, & non in rebus est, mutandam esse, vt mutari non possimus ipsi posthac, sed quiete seu gaudio fruamur stabili & perpetuò. Tertiò tandem, vt hoc consequamur, magnam in animo nostro, de Dei prouidentiâ in omnibus sanctâ, in omnibus iustâ efformandam esse opinionem.

Erit igitur hic Tractatus omnium porrò deinceps dicendorum rudis quædam adumbratio. Quod si non tam clarè rem omnem exposuero vt distinctè ab ipso præsertim initio percipiar, date veniam imbecillitati meæ diuina & arcana tractanti. Fortassis etiam ea quæ deinceps expositurus sum, fauente Numine, aliquam quæ gaudio quod persequimur inducendo sufficiat, lucem afferent.

§. I.

Optatur omnibus verum gaudium: optimum sanè votum quod in hoc mundo possumus apprecari.

Salutatur Auditores Græco illo & antiquo εὐχαίρειν.

AB ipso statim felicis huius Aduentus initio, primoque in congressu quo mihi vos datur intueri, inusitatâ & ab ipsâ iam 1.

iam olim Græciâ petitâ salutatione compellare vos est animus, Auditores. Vbi enim ceteræ nationes aliis & aliis apprecationibus occursum sibi mutuum solent congratulari, illud præcipuè Græcis sibi inuicem occurrentibus in ore & in votis erat, quo felicitatem omnem amicis apprecabantur, εὐπραξίαν καὶ εὐχαίρειν, hoc est *benè agere & gaudere*. Duas certè partes complectitur hæc salutatio. Verùm cùm per totum anni decursum sermones illi instituantur, qui complectuntur primam, quæ quidem in bene agendo consistit; Aduentus verò tempus, illud sit quo nos disponimus vt venientis in carne Dei memoriam læti gaudentesque peragamus (quo enim meliori modo recipere possumus eum qui omnis gaudij fons est & origo?) primâ apprecatione iam omissâ, quamque in vobis credo esse numeris omnibus absolutam, ad secundam me conuerto, vobisque sincerum gaudium, & veram lætitiam, hoc est nisi fallor, quòd in hac miseriarum valle maximè optandum est, non cum Græcis modò, sed cum ipsomet imprimis magno Apostolo, ex animo prorsus voueo & exopto, *gaudete in Domino semper*.

2. Verùm inquies, cur à communi salutandi modo iam discediturr? Hodie certè si quis alteri fiat obuiam, aut felicem aduentum, aut faustum diem noctemúe, aut bonam valetudinem præcipuè discessurus amico apprecatur. Quid igitur salutationes è Græciâ accersimus, dissimulatis iis, quæ nobis ad manum sunt? sanè si quis in græcâ illâ arcanum quid, altiorisque scientiæ mysterium reconditum putet, certè neque Belgicum nostrum *Vaert wel* abstrusiori caret sensu: non enim *Bene vale* id tantùm significat, sed & *Bene nauiga*, hoc est feliciter. Quo quid potuit dici ad vitam humanam accommodatius? Quid optabilius in magno hoc mundi oceano fluctuantibus, quàm vt feliciter nauigemus, fluctusque æstuantis maris superent dies nostri, dequi-
Iob. 9. bus id dicit Iob, *Dies mei..... pertransierunt quasi naues*. Non igitur ad græcanicas salutationes recurrendum est. Habet & Belgica leporem suum: *Bene vale*, *Bene* aut *Feliciter nauiga*, nota nobis sunt & vota, & nomina, εὐχαίρειν verò, vt parum dicam, saltem est inusitatum.

3. Fateor non vulgaris est salutatio, votum non commune. Verùm ita iam affectus sum animo, vt nolim commune esse & quasi de triuio votum meum: commune tamen vellem fieret omni-

Datur ratio cur non fiat salutatio cõmunis modo.

bus id quod voueo. Vt autem consilij mei dem rationem, dicam vulgares salutationes cur omiserim. Certè felicem aduentum apprecari tum cùm iam adestis, nescio satis quid sit, aut quid significet. Adde quod parum sit feliciter aduenisse, si abeatur infeliciter. quapropter non felicem aduentum recenter huc ingressis vobis, sed faustum discessum apprecari foret satius, & magis ex vestrâ re. De discessu verò statim ab initio mentionem facere, inurbanitatis id quidem esset, saltem id quoque in vsu non est hodie.

Felicem verò bonumque diem aut noctem, vt vulgò fit, optare non est animus. Nam primò quidem magnus facilè à me committeretur error diem dum apprecor, vbi noctem debueram. Noctis enim dieique tempora à multis iam sunt transposita, & vt Iob ait, *Noctem verterunt in diem*, noctes integras commensantur, diesque noctem faciunt, dum eos stertendo peragunt, & perdunt in tenebris. Deinde nescio equidem quid bonos felicesque dies hodie appellent homines. Vulgò enim ignaui, decoctores, commessatores, & vt D. Paulus loquitur, *ventres pigri*, & carnis massæ, bonos dicuntur habere dies. Sed & id video quòd cùm *ducunt in bonis dies suos*, *in puncto ad inferna descendunt*; eiusmodi verò bonos dies, ne iurato quidem hosti facilè vouero. 4. Iob. 17. Iob. 21.

Iam verò, bonam valetudinem, vitamque longam & prosperam omnibus vt apprecer, non arridet id omnino. Constat enim valetudinem, vitam diuturnam, & prosperitatem non omnibus conuenire; multisque nunquàm esse felicius, quàm cum ipsis datur esse miseris. Hoc si ita est (& ita esse certò scio) cur contra mentem conscientiamque meam, id ipsis voueam quòd vt rectè velim, debeo nolle euenire? 5.

Denique commodum faustamque nauigationem vt omnibus in commune precer, ne id quidem satis mihi adhuc tutum est. Quî enim rectè optauero benè vt nauigent, qui quò nauigent ignoro? Quod si enim finis quò vela dirigis, malus est & peruersus, malo certè malè vt nauiges, nec cursum teneas. Loquendum est clarè. Quod si, inquam, infernum versùs nauigationem instituis, malò te in syrtes vadaque impelli, quàm vt feliciter tenendo cursum adeò infelicem, anchoram iacias in portu tam infausto. At quis adeò insanus sit, inquies, qui eò proram vertat? quis 6.

quis non cæleſtem versùs patriam, & vela expandat & deſideria? Optimè, tecum ſum. Ad cælum ſi tendis ſeriò, cæliq́ue rhombum teneas, certè per me licet; Benè feliciterq́ue nauiga, nihil æquè deſidero, Deus obſecundet tam bonis deſideriis, *& proſperum faciat iter tuum.* Pſ. 67.

7. Hactenus benè. Verùm illud etiam conſiderandum eſt, felicem nauigationem, non tantùm, finem fauſtum, ſed & iter commodum iucundumque complecti. Profectio non eſt ſemper fortunata, quæ bono & optato fine concluditur. Neque enim bonam felicemq́ue nauigationem inſtituiſſe ſimpliciter dicetur is, qui mille pericula perpeſſus, tempeſtatibus iactatus aſſiduis, poſt mille tædia, languores mille ambageſque, tandem quem animo deſtinarat portum ſubit. Finis quidem totius nauigationis fauſtus eſt; & ſic bene nauigaſſe quidem dicendus eſt; non verò bene nauigabat, tum cum erat in ipſo nauigandi exercitio. Malè itaque nauigauit, hoc eſt incommodè; qui tamen benè, hoc eſt feliciter, nauigationem omnem abſoluit. *Gaudium quod optatur, non tantum in aſſecutione finis, ſed & in mediorũ felicitate conſiſtit.*

8. Videte quò hæc vergant, Auditores. Scio equidem, cæleſtem versùs patriam, curſum vos omnes inſtituere; penituſq́ue confido vos tandem feliciſſimum portum ingenti cum gaudio ſubituros. Verùm illud etiam ſatis perſpicio, nauigationem ipſam plurimis admodùm eſſe difficilem. Primò enim multi ſunt, quibus mare hoc quod emetimur, agitationum vi, aëriſque marini ſalſugine nauſeam creat ſtomachi totiuſq́ue corporis languorem. Multi, inquam, in ſummo faſtidio vitam trahunt, ad cæleſtia nauſeabundi, triſtes ob itineris diuturnitatem, ad ventorum inconſtantiam vehementiamq́ue pauidi; torpidi, inquam, ſegneſq́ue ad omnia, ob fortunæ volubilitatem, caſuſq́ue aduerſos qui ab inimicis modò, modò ab amicis, modò à diuitiarum curâ, modò ab inopiâ, modò à morte, modò ab ipsâ vitâ, inopinantibus nihilq́ue eiuſmodi expectantibus obueniunt. Alios ipſamet nauis, annonæque, hoc eſt corporis, in quo nauigamus, cura admodùm habet ſollicitos; fragilitatem eius verentur, quod non morbis modò, ſed & tentationibus, quæ ex carnis miſerâ compaginatione exurgunt, ita vident obnoxium, vt ad ſingula momenta aut corporis naufragium, aut quod etiam eſt magis horribile, ipſius animæ expectari meritò poſſit. Alios denique video, quibus miſerum valde faſtidioſumque in nauigatione ob-

tigit consortium. Cui enim cordato homini libeat cum aleatoribus, commessatoribus, contentiosis, quique rixis & clamoribus omnia compleant, in vnâ eâdemque naui diuturnam aggredi nauigationem? Et tamen id etiam nolentibus & incautis contingit quotidie. Certè querelis passim domus perstrepunt, eorum qui aut infelici coniugio copulati, aut domesticorum misero contubernio, aut inuidorum vexati viciniâ, aut consanguineorum atque adeò liberorum non rarò molestiis irretiti, neque eorum societatem possunt excutere, neque etiam difficultates ex morum animorumque dissentione oborientes superare; quod sane miserrimum viuendi genus est.

Vouetur itaque & felix finis, & quieta vita, seu gaudium in hoc mũdo.

Cum itaque tot agitationes, tot tempestates, tot pericula, tot 9.
tædia videam passim occurrere mundi huius mare enauigantibus, quæ iter alioquin optatissimum cælum versùs, molestum penitus reddunt, triste & fastidiosum; an melius aliquid optare posse videor, quàm bonam, faustam felicemque nauigationem, quæ non tantùm optatum portum consequatur, sed & in ipso etiam mari expedita sit, iucunda, secura, & tranquilla? Hanc certè vobis apprecor, cùm *gaudere* vobis opto. At quia vota in ventos facilè abeunt dum mera vota sunt; certè artem ipsam (artis enim virtutisque est gaudium, non naturæ) quæ mirificè ad vota mea in rem deducenda faciet, statutum mihi est vobiscum communicare; quâ instructi illud demum consequemur, vt in mediis mundi huius agitationibus & procellis, iucundam tamen lætamque nauigationem possimus instituere, nequidquam frendentibus aduersitatum ventis, dolorumque & tristitiæ nebulis, quibus ad singula penè momenta exponimur & infestamur.

§. II.

Gaudium hoc, in quiete animi consistere. Ostenditur autem hanc quietem in mediis mundi fluctibus posse obtineri mutatâ tantùm, quam de rebus habemus, opinione,

Gaudium hoc non in iucunditate corporis, sed in mẽte quiete consistit.

VErum ne quis sese spe vanâ decipiat, aut falsis pollicitationibus deceptum se expostulet, alia dum temerè expectat, quàm 10.
ea quæ promitto; id quidem ab ipso iam exordio admoneo, dum

Gaudendi

Gaudendi artem profero, non de eo gaudio sermonem instituere me, quod vulgus gaudium existimat, totumque in risu & cachinnis, in iocis iucundisque collocutionibus, in festiuis denique saltibus, & delectabili sanguinis, corporisque totius constitutione consistit. Nam vt Seneca, imo & experientia ipsa testatur: *Istæ hilaritates non implent pectus, sed frontem remittunt; leues sunt, nisi tu fortè iudicas illum gaudere qui ridet.* Minime gentium: Hilaritates istæ corpus afficiunt, non mentem; in superficie carnis hærent, non penetrant animam; inconstantes sunt, non duraturæ diutius quam suauis illa sanguinis constitutio, blandaque humorum titillantium agitatio perseuerat. Animi gaudium est quod volo, intimum, solidum, constans. Et vt Senecæ verbis vtar: *Animus debet esse alacer, & fidens, & super omnia erectus. Mihi crede, res seuera est verum gaudium.* Tunc autem verum est & perfectum, cum animus quietus est & inconcussus, omni tempestate maior, supernatans, imò prædominans difficultatum omnium fluctibus; periculorum adeò securus, vt inter medias vndas iis ne tangatur quidem, neque perturbetur orbe concusso. *Talis est sapientis animus*, inquit Seneca, *qualis mundi status supra Lunam; semper illic serenum est*: nam quidquid commouere potest, longè infra ipsum est. Gaudium itaque perfecta est quies animi.

Sen. ep. 23

ibid.

Sen. ep. 59

II. Si gaudium quies est, inquies, iam certè rem esse quam in manu nostrâ non sit consequi, necesse est confiteri te. Quid enim? qui fieri potest quietus vt quis sit, vbi mouentur omnia? si quieti ego me do, quieteque quæro viuere (& quis id non quærat?) infinita sunt euenta quæ me turbent: hinc inuidorum, honorique detrahentium linguæ, mendaces, proteruæ, discolæ: illinc bonis insidiantium iniustæ lites; hinc mariti infesti iurgia, illinc vxoris insanientis deliria, liberorum etiam perfrictæ frontes. Modò morbi, modò mortes chariſſimorum infestant amicorum; modò bonorum iactura, modò commercia intercepta, modò ægritudinis molestiæ, modò diabolicæ vexæ & tentationes bellum inferunt; modò ipsa sanguinis melancolici constitutio subtristis infestat; modò ab amicis maximeque coniunctis deseror, modò ab ipsomet mihi Deo videor derelictus, & sic inter tædia plerumque transigitur mortalis vita. Quod igitur gaudium, si gaudium quies est, habere potest mortalis animus, vbi nihil

Si gaudium quies est, inquies, igitur in hoc mundo haberi non potest, vbi nihil quietum est.

nihil in hoc mundo est quod non moueatur? & verò nisi moue-
rentur omnia, mundus non esset hæc terra, cælum foret.

Ostenditur quietem animi haberi posse vbi mouẽtur omnia; exemplo Ionæ, qui quietẽ corporis inuenit in mediâ tempestate.

Audio querelas,& quidem gaudium non posse dari contendis 12.
in hoc mundo, quia numquam dabitur esse quietis. At verò hoc
ipsum pernego. Fateor quidem omnia moueri quæ hominis ani-
mum circumstant, animum vero ipsum quiescere tum non posse,
id verò est quod inficior. Vt autem rem percipias; an id mihi
quisquam negauerit, somnum à nauigante in medio mari capi
posse, vbi nihil tamen est quod non vndique moueatur? certè
aqua cursu & æstu rapitur, venti circumstrepunt, epibatæ trans-
currunt vndique, agitantur remi, nauis nunc huc nunc illuc ra-
pitur, nauigantis corpus mouetur prout agitationis fert impetus:
denique nisi mouearis, non nauigas, & tamen numquid tot in-
ter motus suauissimè stertunt vectores ad horas plurimas, & so-
mno, porrectis pedibus, indulgent blandissimo perpetes noctes,
tempestatum securi, & extra metum positi? Certè periculorum
securus altum stertebat in nauis carinâ Ionas, quietusque capie- Ion. 1.
bat somnos, tum cum epibatæ reliquique vectores omnes, tem-
pestate ventorumque vi deuictâ arte, lassa fractaque cum animis
abiiciebant corpora, mortem quam præ oculis habebant pauidi,
in singula expectantes momenta. Omnia hic turbata video præ-
ter vnum Ionam. Dormit inquies. Hoc est quod volo, igitur
quiescit. An verò quietem quam somnus tot inter acerbos mo-
tus dare potest corpori, tu sapientis animo detrahes? neque vir-
tute acquiri posse credis, quod ipsa lassitudo corporis dormien-
ti sæpissime concedit?

Ionæ & pueruli dormientis in cunis turbato mari agitatis.

Verùm cùm de nauigantium mediis inter tempestates quie- 13.
te & somno inciderit sermo, lepidum sanè est, & non abs re
meâ id quod narrat Famianus Strada in suâ de bello Belgico Strada de bello Belg. dec. 3. l. 7.
historiâ. Cùm intumescens præter morem Oceanus superatis
effractisque aggeribus bonam Zelandiæ Hollandiæque partem,
totamque fere Frisiam magnâ pecorum hominumque strage
inundasset anno 1570. & hominum quidem in solâ Frisiâ vi-
ginti millium: pacato iam vtcumque maris furore, à Magistra-
tibus vndique emissæ sunt cymbæ excipiendis iis qui colles, ar-
borumque summitates conscenderant, ne tempestatis vim pri-
mam eluctati, miserâ perirent fame. Inter alios inuenerunt pro-
pe Snecam in colle infantem in cunis illuc cum fele aduectum,
& qui-

& quidem periculi tempestatisque vnicè securum, vtpote placidissimè dormientem.

14. Magnam mihi puerulus ille cum suâ sele cogitandi dat materiam. Id enim iam inquiro, an non infantulus is æquè ac reliqui de pago amicos, & matrem fortasse patremque amiserat? an non & eius casa fluctibus subuersa? an non & eosdem vndarum vortices, ventorumque passus est turbines? an non vndique iactatus in cunis? & quid tam pronum subuerti quàm cunæ vndis innatantes, non dico turbato ventisque agitato mari, sed etiam maximè tranquillo? Qui fit tamen vt puerulus hic non horruerit? Eo quod dormiret, inquis. Audio; sed id rursus quæro, dormire quî potuerit tot inter turbati maris aëriſque furores, præsertim à morte cum vix digito transuerso abesset? Nil mirum reponis tu; pericula, quæ vndique eum circumstabant, ignorabat puer, neque vllâ premebatur phantasiâ præsentis mali. Optimè philosopharis, Verum vel ex hoc responso confici volo ego, verissimum prorsus esse id quod Epictetus more suo doctè, & breuiter dicit in Enchyridio: *Homines turbantur non rebus, sed quas de rebus habent, opinionibus.* Neque hic est quod respondeas. Etenim puerulus hic aures habebat, quibus insanos ventorum aquarumque tumultus perciperet; sentiebat cunarum agitationem sine dubio; non enim toto tempestatis tempore, quod diu tenuit, dormisse est credibile; vigilauit aliquando, & nihilominus in somnum potuit redire: vbi tu quisquis es iisdem in cunis constitutus, non dico somnum, sed ne spiritum quidem præ timore potuisses ducere, neque adeo marinâ aquâ quàm sudore defluxisses. Quid hocce demum rei est? vnde eodem in periculo constitutis tam dispar animus? ex solâ phantasiæ apprehensione dispari. Illud quidem imaginabatur in cunis solitus agitari puer, à matre agitari se: aut certe parum pensi habebat à quo tandem moueretur; saltem somni causa erat eadem illa agitatio, quæ te in angores vltimos coniecisset, hâc tantum ex causâ quod longè aliam hic motus in te phantasiam efformasset, & aliam rursus phantasia discriminis existimationem. Itaque planum iam est perturbationem animi non tam ex rerum extrinsecùs aduenientium strepitu & tumultu, quàm ex illâ quam de hoc tumultu & motu habes, opinione prouenire. O vtinam id bene perciperes quisquis es ô homo, quis sit cuius

Dormiebat autè, quia nullâ summi in quo erat periculi habebat opinionem.

Hinc patet homines turbari nõ tam rebus, quam iis quæ de rebus habẽt, opinionibus.

Epict. in Ench. c. 10.

nutu mouentur ea, quæ circa te sunt, omnia! illudque tibi serio persuaderes à Deo moueri te, ab eo tanquam à dilectissimâ matre in cunis infantem agitari, obseruarique nihilominus summâ curâ! ah quam pacatus quietem caperes medias inter tempestates, qui iam ad singula perturbaris & expauescis!

Non igitur multa dicere quæ homines turbant; vnica tantum id agit opinio.

Verùm hoc iam prius ago; petoque ne mihi post hac dixeris 15.
mille tempestatibus, mille difficultatibus, mille molestiis opprimi te vndique. Falsum id enim vero est; vnica tantum difficultas in hoc mundo superanda est, aut corrigenda, aut bene sigenda; vnica, inquam, tua de rebus opinio & phantasia: ea sola est, quæ difficultates omnes in domum tuam inuehit. Fateor mille, imo infinitas res esse extra te positas, casusque ineuitabiles, humanam phantasiam opinionemque commouere qui possint: verùm id etiam iam assero, hanc immotam pacatamque continere si possis, licet sursum deorsumque voluantur omnia quæ te circumstant, licet in te fractus illabatur orbis, non magis tamen cõmouendum te, quàm is, quem dixi, commotus est infantulus, cui dabatur esse quieto, & suauiter cunis indormire orbe concusso.

In hac rebus detrahendâ, felicitatis nostra summa est.

Alterum est quod in hâc historiâ cogitandum occurrit. Dic 16.
amabo, quod si pupulus hic è somno fortè euigilans, ocellosque aperiens, matrem inquisiuisset oculis, nihilque nisi felem vidisset è domo super; interim vndarum vortices circumspectans in lachrymas vagitusque resoluisset ora & oculos, an id flenti puero profuisset? an citiùs quisquam opem attulisset, aut obtulisset manum? haud equidem credo. Et quid si medias inter vndas subuersæ cunæ infanti communem cum cæteris attulissent mortem, nonne satius erat optabiliusque puero, sic sine mortis apprehensione suauiter emori, quàm post longas eluctationes magnosque terrores vndis tandem absorberi? sine dubio inquis. neque dubito ego; & tamen idem malum intulissent aquæ puero, quod adultis cæteris qui cum summâ suâ consternatione & pauore sunt extincti, re ipsâ adduxerunt. Rursus ergo patet non malum exteriùs adueniens, nec mortem adeo ipsam angoris perturbationisque esse causam; sed eam quam de malo, aut morte concipis opinionem. Suauissima fuisset puero illata mors, quæ tamen adultis accidit formidanda: & tamen iidem erant venti, eadem aqua, eadem mortis causa, atque adeo eadem mors, idem omnibus malum, & mali causa exteriùs adueniens.

Sic est, sed non eadem erat mali apprehensio: puer enim opinioni illi fuisset immortuus, quâ se à matre, aut certè ab amicâ manu credebat agitari; vbi adulti quidquid in morte est horribile, sibi dum vndis agebantur, phantasiâ depingebant. Somnum denique in motu sibi fingebat puer, adultus mortem. En omnem perturbationis causam.

17. Itaque si ipsis quoque adultis apprehensionem illam mortis potuissemus detrahere, siue somnum arte aliquâ in mediis fluctibus conciliando, siue etiam rationibus persuadendo, vortices illos, neque mortem vllo modo nocere posse; (verò an falsò non id curæ est, modò persuasero, phantasiamque quam de mortis instantis terrore concipiunt, penitus diluero) nonne tam suauiter mortem oppetent, mortem ipsam agnoscentes, quàm puerulus ille cum mortis ignorantiâ? & rursus nonne tam securi medias inter vndas cum fluctibus luctabuntur, quam securus infans ille in cunis ferebatur? Indubitatum id mihi quidem est; nam medias inter vndas agitato, nunc in altum proiecto, nunc in imum deiecto corpore, habebit *Animum fidentem & semper erectum*. Hoc autem nisi fallor, est animo quiescere; & tandem sic quiescere, est gaudere. Hoc quidem obtineri posse iam ostensum est.

§. III.

Opinio autem, quam præcipuè oportet corrigere, vt quietem animi obtinere possimus, est quod non res nobis, sed nos rerum euentibus debeamus accommodare, sic vt velimus fieri omnia prout fiunt.

18. PAulatim artificium detegimus Auditores, quo gaudium, hoc est quietem animi, procellosum mundi huius mare sulcantibus dabitur obtinere. Quietam instituere vitam omnes percupimus: hanc vero vt obtineamus, omnia volumus priùs quieta esse quæ nos circumstant, multùm solliciti vt compescamus singula, dum quieta volumus omnia. Verùm miseros nos & insipientes! an non attendimus hoc pacto quietem obtineri non posse, cum ea, quæ prima omnium inter animæ potentias quie-

Vt igitur quiescas, noli velle componere quæ extra te sunt.

scere deberet, phantasia, sollicitudine illân imiâ semper excitetur & perturbetur? Quæso diligenter ad hoc attendite. Quod si in naui ad somnum tibi libeat lassâ iam membra componere, an per transtra forosque assiduus discurreres, omnes & singulos admoniturus vt silentium bene magnum teneant, nec verbum hiscant, ne strepitu exorto tibi somnum interrumpant? Credo cachinnis exsibilandum te id si faxis, imò & conuitiis impetendum, quasi qui aliis, idem tecum in naui ius habentibus, velis dominari. Nihil de compescendis ventis vndisque dico; stultum enim foret, si indomitis his elementis velles legem ponere, non aliâ lege dormiturum te, nisi strepitum omnem ponant, & molliter abblandiantur naui. Denique ridiculum prorsus foret, si non vectoribus modò ventisque; sed & nautis, & epibatis silentium velis indicere, edicereque ne rudentes moueant, ne vela transmittant, ne transtra obambulent, ne remos agant; nimium hæc omnia excitare strepitum, dormire debere te: & nisi quiescant omnia, dormire neque posse, neque adeo velle. Magnæ certè virtutis patientiæque, quod non solent, epibatæ vt sint oportet; si non egregiè derisum, contumeliis etiam impetant, iubeantque agere quod libeat dormientem aut vigilem, dum ipsi rem communem agunt.

Quam id stultum sit, ostenditur exemplo viatoris, qui se nollet ad somnum in naui componere, donec omnia, quæ in naui sunt, conquiescerẽt.

Describitur inanis hominis huius cura.

Rursus, si hoc modo explosus in ima nauis descenderes, pal- 19.
lioque te inuoluens in somnum membra extenderes; omnes interim phantasiæ vires ad cogitandum explicares, omnium, quæ in naui aguntur, rationes examinaturus serio & expensurus: videlicet, an non nimia viatorum multitudo naui immissa: an non pondus nimium, quo carina vel dehiscat vel deprimatur? an nautæ rerum sat gnari? an nauclerus gubernatorque rectè dirigant? & inter has cogitationes ad minimum nauis impulsum clamares illico: perimus, actum est, in vada impingimus; an hæc demum videtur apta satis ad somnum captandum instituta ratio? Denique si nauigatione futurâ diuturniore, etiam de annonâ cœperis esse sollicitus, an sufficiat? an bene conseruetur? quid agendum si deficiat, & quo demum modo capitatim distribuenda tum sit? an tot curis implicitus somnum oculis, quietemque corpori posses inducere? Nullo prorsus modo. Quid ergo consilij? nullum supereſt, nisi primùm curas illas planè abiicias, phantasiam compescas, quæ longè magis quietem interpellat, quàm

quàm omnis ille qui exteriùs circumſtrepit motus & tumultus. Manifeſtum id quidem eſt. Alios enim vectores paſſim video porrectis pedibus altum ſtertere, iiſdem tamen periculis æquè expoſitos. Neque miror ego. His enim, quid alij, qui in naui ſunt, agant, nulla eſt curatio; tu vero curas omnia, ventos illi fluctuſque rapi ſinunt prout feruntur, ſatis gnari eorum motus non eſſe in manu ſuâ, fruſtra iis ſe iraſci; tu verò pro tuo illis libitu velles imperare; ſed temerè id & nequidquam vis. Viatores ſinunt agere res ſuas illi, certi nihil eos admodum mutaturos ſuâ causâ: tu iis modum vis ponere; & fruſtra cum ponis, excandeſcis. Illi de nautarum gubernatoriſque imprimis arte ſecuri, eorum ſeſe peritiæ committunt, tibi ſuſpecta ſunt omnia; & ſic te ipſum inani curâ exedis, quietem tibimet adimis; atque adeo nauigas anxius, tibi aliiſque permoleſtus. Nauigant interim reliqui ſoluto animo; & ſi mouentur vndis ventiſque, minimè tamen permouentur, vtpote quibus *alacer eſt animus, & ſemper erectus*, ſatis conſcij, interiores illas ſuſpiciones curaſque, nihil admodum ad commodiorem nauigationem ſubſidij allaturas.

20. Hoc in ſchemate rudiora quædam obſcurioraque lineamenta poſui artis illius quam penitius deſcribam, quâque optatiſſimam quietem inter mundi huius procellas dabitur obtinere. Ingemiſcis non rarò, ſat ſcio, altumque trahens ſuſpirium, fierine poteſt, inquis, vt numquam hic quies detur, & ne vnico quidem ſolido liceat gaudere die? At vero interrogo ego, quis demum id tibi imponat, niſi peruerſa planè, quam animo concipis, perſuaſio? quis, inquam, ſi tu nolis, quietem inuito adimet? Rides hîc tu me ſat ſcio, & nihil non obſtare tranquillitati tuæ aſſeris. Quid enim? nihil non mouetur in hoc orbe, inquis, ne cælum quidem ipſum ſtabile eſt, mouetur in horas & momenta ſingula, & me immotum vis poſſe conſiſtere vbi circa me mouentur omnia? mutantur omnia, & me mutari non vis? quòd ſi mutor, quòd ſi moueor, ſanè non quieſco. Et vero mutationes rerum quis neget, quibus res perſpectæ ſunt quaſque oculis intuemur, & ipſo tactu eheu nimiùm experimur? modò dies eſt, modò nox; modò æſtas lætam frontem explicat, modò ingruit triſtis hyems; modò æſtu, modò frigore adurimur; modò ſerena eſt aura, modò pluuia; modò fortuna eſt proſpera, modò aduerſa; modò bella inſtant horrida, modò blanditur dubia pax; modò in homines

Sic paſſim homines turbationis ſuæ cauſam, in res extra ſe poſitas coniiciunt.

sapientes incidimus, modò in discolos & effrænes, modò laude, modò iniuriâ afficimur; modò bene, modò valemus pessimè; modò ad nutum fluunt res, modò pessum abeunt omnia; modò constitutio ipsa corporis viuax est & alacris, modò deiecta & grauis; modò Diuinus fauor me prosequitur, modò diabolicis impugnor tegnis: vt paucis dicam omnia, modò viuo, modò morior. Omnia demum cum in motu sint, quî tandem fieri potest vt quiescam ego?

Verù aliud est moueri & permoueri.

Perbellè vt tu quidem reris, attulisti hæc omnia. Verùm id ego clarè iam perspicio, idem prorsus tibi esse moueri & permoueri; turbari & perturbari. Neque enim illud contendo, in hoc mundo nos posse consistere sine agitatione vllâ, aut motu. Fieri id nullo modo potest, nauigamus sat scio, neque aliud est vita nostra, quàm vt rectè Patriarcha Iacob ait: *Peregrinatio* sane grauis. Quid est mundus, nisi mare magnum vndique exæstuans, innumeris expositum ventis & syrtibus? Nauis est respublica, nauis est res domestica, priuatusque vnius-cuiusque status & conditio; neque fieri potest, vt non cum promiscuo hominum genere in hisce nauibus coniuncti simus, cum quibus necessariò vitæ huius enauigandum est mare. Velle autem vt nihil horum nobis obstrepat, aut quietem interpellet, id quidem votum vanum est, nec sperari quidem nisi temerè quod possit. Et licet nullum aliud contubernium haberemus, quàm miserrimum hoc corpus, cui necessitate alligati sumus, satis id solum foret ad quotidianos animæ ciendos motus. Denique frustra nos torquemus. nauigamus, & quamdiu sumus in hoc corpore *peregrinamur à Domino*: nauigatio autem peregrinatioque nequeunt esse sine motu. Fateor ita est. Non tamen inde rectè conficies, perturbari necessariò debere te tum cum turbaris; nec commoueri cum moueris. Certè frænum impone tantummodò vagæ phantasiæ, peruersamque quam de rebus habes persuasionem corrige. & non minorem quietem consequêris animo, quàm Ionas in imo nauis assecutus est corpore, & vt credo etiam animo, admodùm securus rerum dum perirent omnia; & immotus dum sorti suæ nemo non impalleseeret. 21.

Impossibile est, non moueri vbi mouentur omnia.

Possibile tamen est non permoueri.

Hoc consequeris, si nõ labores cõtinere ea,

Rectè hæc quidem. illud tamen explicandum modò quæ demum ea sit persuasionis, aut iudicij peruersitas; in quo sita, & quomodò corrigenda. Hoc nunc ago. Dico igitur in eo omnes 22.

falli,

falli, quòd sibi persuadeant primò, quiescere se non posse nisi priùs omnia, quæ se circumstant, pacata fuerint, quieta & composita: hinc ad ea componenda incumbunt toti, labore immodico, fructu nullo. Deinde, id quod ex hoc consequitur, rerum omnium euentus ad suos, quos sibi præstituunt, fines conceptusque conantur trahere & detorquere, semper anxij & solliciti donec omnia pro suo fluant arbitratu. Vtrumque planè peruersum est, & quieti, quam quærunt, adeo non accommodum, vt prorsus contrarium sit potius & repugnans. *quæ in manu tua non sunt.*

23. Ac primò quidem, quid aliud agunt ij qui omnia in hoc mundo pacata vellent & quieta, antequam se ad quietem componere inducant animum, quàm quod viator ille, qui somnum captaturus, nauim totam insanè discurrebat, vt paulò ante dicebam, silentium & ventis & aquis, & vectoribus & epibatis, & velis & remis, & gubernaculo impositurus, aut etiam extorturus, vt sibi quidem videtur, clamore & vi? Erras vir bone: quietem hoc modo si quæris, frustra quæris. Tu caput puluino accommoda, contrahe phantasiam, compone & membra & mentem si somnum quæris, & permitte Diuis cætera, non nocitura si non cures. Sic agimus mortales, & sic perturbamus ipsimet nos. Quietem animi omnes suspiramus; sed vt eam consequamur, nolumus neque bella moueri, nec classica exaudiri in terrâ, nec in mari tempestates, nec ventos in aëre; neque morbis corpora infestari, neque maleuolentiam aut scelera inueniri in hominibus, neque infortuniis bona agrosque infestari; neque litigantium clamores, neque calumniantium linguas pessimas, neque subditorum vlla esse vitia; denique omnia esse pacata, rationi consona, quieta & sancta. Sed heu nos miseros, si non, antequam hæc omnia fuerint composita, pacem tranquillitatemque animi sumus consecuturi! Cælum conscendas oportet, vbi tanquilla sunt omnia, immutabilia & æterna. Sed quod in præsentiarum volo, est vt sanè te non commoueas; neque quietem extra te quæras, vt felix sis. Quæ demum ista dementia est, ea velle componere & tranquillare quæ in manu tuâ non sunt posita, quæque multitudine sunt infinita; neque interim ad eam quæ tui arbitrij est, mentem vnicam attendere? hanc solam compone si sapis, & frustra in te elementa omnia infernusque desæuient. Hic itaque primus est error, prima iudiciorum peruersitas, omnia velle pacare præter se. *Ostenditur quam is sit futilis & inutilis labor.*

Ex

Deinde nolle velle fieri omnia arbitratu tuo.

Ex hâc, secunda ortum habet, quietem consecuturi non videmur, nisi omnia pro nostro fluant arbitratu. Hinc cum secus accidunt res, omnia complemus querelis, murmuratione, imo luctu & planctu. Nihil non arrodimus, nihil non diiudicamus, nihil non perperam factum decernimus, nihil non secus quàm res accidant, accidere debuisse contendimus & statuimus. Hoccine est quietem quærere? eamque te reperturum credis toto corpore obsistendo marinis fluctibus, quos cum ventus æstusque in Occidentem rapit, tu solus in Orientem vis deflectere, tum demum quieturus cum totum mare retro egeris? incassum laboras demens; neque si pacatam vitam hilaremque desideras, aliud supereſt consilij, quam illud Epicteti: *Ne postules, ea quæ fiunt, arbitratu tuo fieri, sed si sapis, ita fieri quæque velis vt fiunt; sic omnia secunda tibi accident.* Permitte tu imprimis rebus omnibus cursum suum; cursum quem natura, & fortuna instituit, hunc prosequatur; sint bella quamdiu casus, aut Principum dissidia viresque ferent; sint euentus modò prosperi, modò aduersi, durent morbi, redeat sanitas; sint peruersi homines, dominentur impij, opprimantur pij, inuoluatur suis casibus totus orbis; ne postules tamen ea corrigi *arbitratu tuo*. Est qui ad clauum sedeat, omnibusque prouideat Deus. 24. Epict. in Ench. c. 13.

Sed potius ea quæ fiût nec emendare potes, velis fieri prout fiût, præter peccatum.

Neque hoc tantùm vult Epictetus; sed peruersa iudicia, quæ te perturbant, planè vt corrigas; non sinas tantum omnia fluere vt fluunt; *sed si sapis, ita fieri quoque velis vt fiunt*, præter peccatum. Quod quidem sic explico. Si quid accidat quod extra manum tuam est auertere, aut emendare, tum verò velis ita fieri; & vt velis, iudica ita fieri debuisse, non verò prout tibi iam videtur. Hoc à te si impetraueris, nihil prorsus in orbe est, perturbare te quod possit. Pluit, ningit, tonat, fulgurat? ita planè, & quidem magnâ frugum cum ruinâ. Bene est. Estne in manu tuâ tempestatem hanc auertere? Non est. Dic itaque, & prorsus apud te-ipsum statue, ita fieri debuisse, neque quidquam moueberis. Iniustè ab hoste opprimeris, morbo impeteris & quidem acerrimo. Verùm declinare neutrum potes, nec vim illatam infringere in manu tuâ est. Velis ergo ita fieri, & sic debuisse fieri iudica; neque quidquam rursum commoueberis. Hoc si in omnibus rerum euentibus præstiteris, nonne tranquillam planè nullique perturbationi obnoxiam vitam fueris consecutus? Vides iraque 25.

totam

totam ſemper gaudendi artem , in vnicâ illâ opinionis iudiciique proprij rectâ conformatione eſſe conſtitutam. Nihil ergo iam reſtat, quàm vt opinionem noſtram rectè formemus, neque ſolliciti ſimus poſthac, vt quidquam componamus extra nos. In hâc enim opinionis noſtræ conformatione , ſumma totius artis continetur, quam toto hoc libro deinceps ſumus expoſituri.

§. IV.

Vt autem iudices omnia bene fieri, rerum euentus non in ſe-ipſis; ſed in Dei dirigentis omnia, diſpoſitione conſidera.

26. VErùm vt veluti in anteceſſum aliquid eorum, quæ promitto, perſoluam, breuibus expedire debeo difficultatem, quam ſine dubio iam animo concepiſtis omnes; ne dubios hæſitanteſque dimittam. Nam vt verum ſit, inquies, nullo caſu perturbandum me, eum ſi ſuperuenire debuiſſe iudicauero ; at quâ ratione id mihi rectè perſuaſero, qui contrarium oculis ipſis perſpicio , & verò perſpiciunt mecum omnes. Quid ? an non melior pax, quàm bellum; proſpera fortuna melior, quàm aduerſa; valetudo, quàm morbi; pietas denique & religio, quàm impietas, hæreſis & tyrannis ? Quis id non videat ? quis non iudicet, cui aliquod bonæ mentis reliquum eſt veſtigium ? ita quidem tu. Sed ô miſeram cæcitatem noſtram ! id tu vides mortalis homo? tu in huius machinæ vaſtâ mole quid ſit melius, introſpicis ? Erras, mihi crede, vti ſolent homines; erras, inquam, & ea bona iudicas, quæ an bona, an mala futura ſint, ignoras? Nimiùm cæci ſumus, quàm vt iſta videamus; nimiùm ſtupidi, quàm vt rectè hâc in parte iudicemus. Et hoc quidem toto ſermocinationis huius decurſu palam faciam euidentiſſimè; ex hâc enim iudicij præſumptione, ſentiendique peruerſitate & tenacitate , omnem in animis noſtris perturbationem video exoriri.

Vt autem id velis, res non in ſe ipſis videndæ ſunt: nã tũ multas voles ſic nõ eſſe.

27. Et vt verbo rem contingam, ponite vobis ob oculos hominem nauiculariæ artis prorſus ignarum, quique ante hac nauim numquam conſcenderit : an non is ſtomachum meritò moueat vniuerſis, ſi nauis gubernatorem velit reprehendere , & ad ſingula officij admonere eum , qui totam in nauiculariâ arte exegit vitam ?

Sic artis nauicularia ignarus, multa vult fieri à nautis ſecus quam

faciant; sed malè id vult.

tam ? & quid si gubernaculum in dexteram impelli videns, vt nauis, quæ terram subit, abeat ad sinistram, illico erroris arguat nautam, in dexterum latus vim quod faciat : rursus quando ad captandum ventum obliquari nauis cursum perspicit, clamet illico id esse tempus perdere, & recto quidem itinere non obliquo procedendum esse; cum verò vela consperguntur, nimiùm illo pondere degrauari nauem : & cum nauis ipsa in latus inclinatur, tum verò subuerti conqueratur; denique insanos diceret nautas omnes, quòd retrorsum remos agant, cum antrorsum propellenda est nauis; idque clamoribus, imo & rationibus velit euincere : nonne tu ignarum hominem diceres, imo fatuum, mordicùs id tenere qui velit & euincere quod penitus ignorat; dignum denique, cui etiam indignis modis obstruatur os ? dignus planè. interim non acquiescit miser; de omnibus iudicat; & dum iudicat quod ignorat, ipse sibi angores facit, nauigationemque plenam miseriis; vbi alij, nautarum arti & peritiæ sese dum committunt, curis illis vacui, inceptum peragunt iter læti & alacres.

Turbamur itaque rerum euentibus, quia rationes euentuum non intelligimus; neque vero capaces sumus vt de iis iudicij feramus rectum.

Duo sunt præcipuè Auditores, quæ nauigationis nostræ tran- 28.
quillitatem interpellant & turbant. Iudicium ferimus de rebus, quas nec intelligimus, & quarum causas rationesque penitus ignoramus. Deinde nimis abiectam vilemque opinionem habemus de mundi huius Gubernatore & Directore Deo: Hæc fusiùs à me deducentur. breuiter iam dico, re verâ ignorantes nos rerum esse, neque sanum de vllo fere euentu ferre iudicium. existimatio nostra nos decipit; nimiumque perspicacitati nostræ abblandimur. Retrocedere iudicamus res nostras, tunc cum progrediuntur quam maximè; aduersamque putamus fortunam, quæ tamen quasi retroactis remis nauim in anteriora promouet: omnia iudicamus amissa, cùm ea amittimus quæ nobis erant vltimam ruinam allatura; subruendos nos putamus cum res paululum inclinantur, & tamen necessaria tantùm obliquatio est; tempestatem dicimus, cum ventus vela fortiter promouet, & serenam auram tunc, cum periculosissima est malacia. Denique profutura exhorrescimus, & nocitura exoptamus. Quid mirum? futurorum omnium ignari sumus, nec quò præsentia vergant, scimus; & tamen de præsentium rerum bonitate aut malitiâ iudicium ferimus, quæ à futurorum euentu dependet. Quid igitur

iudicas

iudicas homo de rebus, quas nec intelligis, nec scis quò vergant, nec quem in finem, à Magno illo nauis nostræ Moderatore Deo dirigantur? certè vt parum dicam, temerè facis & temerariè. Hæc prima turbationis origo.

29. Altera est, exigua prorsus quam in Gubernatoris nostri Dei, prouidentiâ & curâ habere deberemus fiducia: quod quidem ex supinâ infinitæ illius sapientiæ sollicitudinisque ignorantiâ liquidò contingit. Nescimus porro Diuina mundum hunc dirigentis consilia, euentus rerum videmus quidem; sed quò vergant, clam nobis est, totam seriem rerum ignoramus, totamque regiminis vniuersi machinam. Ad vniuersi bonum, certum est referri singula; sed cum comprehendere nequeamus omnia, ad singula hæsitamus, & sic trepidamus ad omnia. *Deinde turbamur, quia nimis exilem habemus de Dei prouidentiâ hac omnia dirigentis opinionem.*

30. Certum verò id est, quòd si singula rerum euenta attendimus, mutationes, inquam, viciſſitudinesque quotidianas, ascensus interitusque familiarum, fortunæ modò surgentis, modò cadentis volutationes tam inopinatas; impiorum, & in omne flagitium proiectorum potentiam, optimorum verò oppressionem; denique scelerum, iniustitiæ, impudentiæque dominatum, virtutis autem obliuionem & contemptum; sine dubio hæc sunt eiusmodi, vt humanam mentem meritò possint percellere. Quin imò & de constantiâ suâ aliquantulum se fuisse dimotum fatetur sacer vates: *Mei autem pœnè moti sunt pedes*, inquit, *pœnè effusi sunt gressus mei; quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns.* non enim capiebat Dauid tantam in rebus inæqualitatem, tam iniquam, vt quidem ratiocinio humano videbatur, bonorum malorumque sortem, tam confusam in vniuerso ordinationem. quorum omnium dum rationes secum ipse vult exequi, frustra vult: *Existimabam*, inquit, *vt cognoscerem hoc. labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum.* Psal. 72.

31. Frustra laboramus, & non sine labendi periculo, si rerum euentus, prout in se sunt, tantùm attendimus, singulorumque causas pertinaciter inuestigamus. non est hæc humanæ menti apta indagatio. Totam enim vniuersi molem comprehendere mente cum non possimus, singulorum exactam rationem numquam percipiemus, & sic frustra indagamus. Verùm *intra in sanctuarium Dei*, incomprehensibilem cuncta comprehenden- *Corrigendus vterque error, quietem animi si desideras.*

tis mentem considera & admirare; hanc esse crede, quæ se totam, rerum omnium euentis dirigendis impendit, & facilè tum acquiesces ad singula, cùm eius dispositione hæc credideris euenire, qui per singula continet, conseruat, & regit vniuersa. Hoc autem penitus animo infixum prius habeas, eum esse omnium Moderatorem, qui in ordinatione quam animo concipit, falli non potest, neque quem casus vllus fortunaque possit fallere.

Quod vt fiat, eximia de Dei prouidentiâ & sapientiâ excitanda est opinio.

32. Hoc totius tranquillitatis nostræ fundamentum, hoc gaudij semen. Vult quidem, & bene vult Seneca, in animo nostro Gaudium nasci, non enim esse aduentitium: *volo illam domi nasci*, inquit; tamen semen huius Gaudij, ex cælo petendum est, ex immensâ inquam illius prouidentiæ cognitione. Et vti in viatoribus contingit, quo maiorem de gubernatoris nauclerique peritiâ & experientiâ conceperunt animo opinionem, hôc lætiores nauim conscendunt, securioresque periculorum, nauigationem instituunt: ita prorsus, quo altior profundiorque de magnâ illâ mente vestro animo insederit opinio, eô alacrior exurget magisque de Deo secura, & inter omnia tempestatum occurrentium discrimina lætior, hoc est tranquillior. Sen. ep. 13

Exponitur quibus rationibus ea deinceps sit excitanda.

33. Agamus itaque hanc rem. Quod si ergo existimationem hanc alte vobis impressero, ostenderoque nihil planè, ne atomum quidem commoueri, sine expressâ ordinatione, omnia ratione & studio dirigentis Dei; an non hoc sufficiet, vt omnia, quæ euenient, gratanter excipias, fierique velis prout fiunt? sine dubio: nisi forte Diuina te credis statuta posse conuellere & emendare.

34. Secundò, quid si liquidò demonstrauero, omnia ad tuum particulare bonum institui, ô quisquis es homo, neque paupertatem, neque morbos, neque fortunam malignam, neque vim hostium, neque conuitia, neque malam famam, non ipsam denique mortem tibi euenire ex Dei permissione & decreto, nisi vt tibi bene sit; an tum demum hæc, cum accident, læto hilarique vultu non excipies?

35. Tertiò, quid si planum istud fecero, & verò etiam planissimum, omnia & singula, quæ ab ipso mundi exordio euenêre, totumque futurorum euentuum ordinem, tam concinnè digestum esse, tantâ symmetriâ inter se connexa omnia, tantâ sapientiâ disposita, permissa & ordinata, non vniuersa modò sed & singula, vt non dico tu ipse, sed ne quotquot fuerunt, sunt & erunt humanæ

humanæ Angelicæque mentes simul iunctæ, melius concinniusque, non vniuersum tantum orbem, sed ne tuam quoque conditionem vitamque possint disponere: quid tum demum dicturus es? an non hoc sufficiet, vt os murmurationibus obstruatur, etiamsi totum orbem cerneres euelli suis sedibus, & cælum in terram diffluere, terram vero super astra eleuari? Incredibilia proferre me dicis. fateor incredibilia prorsus erunt, *donec intrauerimus* pieque inspexerimus *Sanctuarium Dei*, quod breui subibimus.

Psal. 72.

36. Quartò denique, si ostendero, omnia à Deo sic disposita, solo quô erga te tuumque bonum ferebatur amore impulsum, egisse causam tuam ab ipsâ iam inde æternitate; inspectisque & sedulò expensis circumstantiis omnibus, statuisse tandem ecquando nascereris, quo loco, quibus parentibus, quâ corporis conformatione, quo ingenio, quibus talentis, quibus diuitiis, cui matrimonio destinandus; denique ne infinitus sim, singula & omnia quæ te modò faciunt quod es modò, & cras quod cras futurus. Hæc, inquam, omnia si liquidò ostendero, & quidem ex solo amore, quo tibi vt bene & vt melius sit vult Deus, esse ordinata; an tunc quidquam requiretur, quo-minùs pleno amplexu omnia, quæ tibi euenient, excipias, osculerisque disponentis tam amicam manum? an aliud votis tuis adiici cupies? aliamne lætitiam quæris, aliud gaudium, quietem in hoc mundo aliam? non quæres sat scio, alia namque nusquam est.

37. Bene itaque vobis sit. *Intremus* ergo in *Sanctuarium Dei*. Et vos Auditores, animo reuoluite quidquid Prouidentiæ tam sanctæ, ordinationique tam concinnæ possitis opponere: mox vt per aliquod tempus Sanctuarium hoc, humili cum reuerentiâ inspexerimus; omnia facilè conuellam, omnibusque, vt spero, faciam satis.

38. Illud tantùm ab ipso exordio, te supplex rogo Sapientia Increata, prouidentia infinita, Amor immense, Diuina Mens: *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam; & noli me reprobare à pueris tuis, quoniam seruus tuus sum, & filius ancillæ tuæ; homo infirmus & exigui temporis. & minor ad intellectum iudicij & legis.* Scio equidem, prorsusque confiteor non esse me, qui Diuina possim decreta comprehendere, & arcana infinitæ Mentis mysteria penetrare; homo sum exigui temporis, experientiæ vero

Oratur Diuina sapientia, vt cœptis nostru faueat

Sap. 9.

nullius. tamen vt Epictetus præseferebat, *Apud homines te defendam*, demonstraturus vt minimùm, desiderium meum quô feror vt Creatoris mei, Gubernatoris, & Domini, honorem inter homines promoueam; hominibusque vt tandem id persuadeam, maximum id sibi decus esse ducant, maximamque fiduciæ causam, se non alio dirigi consilio, non aliâ sustentari manu, quam omnia circumspicientis, omnia penetrantis, potentis omnia, & singula amantis Dei.

Apud Arrianum L.2 c.16.



PARS I.

TRACTATVS II.

Delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Quàm magnificata sunt opera tua Domine! nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. *Psal.* 91.

Ostenditur fusiùs, quod vt omnibus rerum euentibus acquiescas, habenda sit maxima de Dei prouidentia opinio. Hæc autem excitatur primò ex consideratione instrumentorum, quibus Deus vtitur ad gubernationem vniuersi.

PROOEMIVM.

ILlud quidem exorsus sum dicere, artem omnem tranquillitatis veræ, & stabilis inter tot tantasque tum naturæ, tum fortunæ vicissitudines tumultusque acquirendæ, in solâ phantasiæ nostræ, iudiciique efformatione rectâ consistere; sic nempe vt quidquid euenerit, cuius in manu nostrâ non sit euentum impedire, illud melius esse apud nosmetipsos statuamus, conducibiliusque quàm id, quod optamus: vt autem altè infigatur hæc opinio, illud certò statuere debere nos, nihil non è Dei decreto aut fieri aut permitti. At verò hoc ipsum vt menti nostræ imprimamus, rectè à Deo fieri quæ fiunt, quæ permittuntur rectè permitti, hîc Rhodus, hîc saltus. Difficultatem verò, quam in acquiescendo diuinis decretis experimur, video inde ortum habere, quòd non satis amplam & eximiam de-

de Dei Prouidentiâ, opinionem conceperimus. Hâc enim qui imbutus est, quid quæso, molestiæ persentiscet, vt approbet omnia, suumque quod nullum esse videt iudicium, subiiciat Diuinæ menti? hoc vbi à se impetrarit humanus animus, nihil erit, quod eum magnopere conturbet, vbi quod conturbare poterat, rectâ, magnâque ratione euenisse iudicarit. Itaque vt rem promoueam, ostendam primò, magnam illam de Deo opinionem, componendis animis prorsus esse necessariam. Deinde eam excitare vt incipiam, instrumenta tantummodò considerabo attentiùs, quæ Deus, magnus ille vniuersi Gubernator, dirigendæ naturæ adhibet, ex quibus vtcumque magnitudinem, sapientiam prouidentiamque Dei patefaciam, quantùm nempe opinioni illi, existimationique quam quæro efformandæ sufficiet.

§. I.

Vt acquiescas omnibus rerum euentibus, certò statuendum est omnia à Deo dirigi: & maximam de eius Prouidentiâ habendam existimationem.

Naui mũdus est similis: nihil in eo Rabile, & quietum.

EA, quæ de nauibus, nauigationeque instituta est comparatio non ita mihi displicuit, quin eam rursus, si veniam datis Auditores, adhibiturus sim, vt quasdam, quæ occurrerunt, cogitationes fusiùs explicem, ac declarem: Similitudo enim in plurimis mirè conuenit cum rerum humanarum vsu quotidiano, prout præcedenti tractatu dicere incepi. Quid enim mare, quid fluctus, quid æstus, quid recessus vndarum, quid instabiles venti aliud denotant, quàm inconstantiam rerum earum, & euentuum, qui per momenta singula, aut à naturâ, aut à maleuolorum impudentiâ, aut ab amicorum fauore, aut ab eâ, quam vulgus Fortunam vocat, instabilitate, & imperio inferuntur? iam verò illa nautarum quaquauersum discurrentium sollicitudo, nunc malos summâ celeritate conscendentium, nunc in nauis descendentium ima, nunc vela expandentium, nunc contrahentium labores, nonne dilucidè exprimunt sudores hominum, graueisque curas? Ah! vt toti sunt mortales in explicandis velis ventisque captandis! quantùm eheu laboratur, vbi se fauoris 1.

ris aut lucri vel minima ostentat aura; omnia tumultibus tunc complentur, discurritur vndique; sudant, æstuant vniuersi. Rursus vela videas nunc distenta vento, nunc vento destituta diffluere; nunc omnibus simul velis suppariſque conceptas auras, volucris instar ratem ferre; nunc vnico eoque minimo delatam velo, repere videas; & nunc quidem recto tramite, nunc obliquo, numquam eodem tenore, semper alio. Quid tam dilucidè humanos casus exprimat, vicissitudinesque rerum alias semper atque alias? modò omnia prospero feruntur vento, modò medio, modò aduerso. Hodie non nisi victoriæ, calamitatum eras nuncij afferuntur; iam res publicæ & priuatæ lætæ sunt & floridæ, iam tristes pessumdatæ & subuersæ; qui modò summitatem mali conscenderat, & carchesium sublimis tenebat omnibus spectabilis, iam transtra perambulat; qui paulò ante ad clauum sedebat, & à quo pendebant omnia, exauctoratus iam, sentinæ exhauriendæ admouet manum, quâ clauum gessit. Ita sunt res humanæ; & si tibi ipsi applicare rem volueris, eandem sanè in animo tuo instabilitatem reperies; cogitationes inquam modò amplas, modò dimissas, modò ad magna extendentes sese, modò contractas, viles & humiles; lætas modò, modò tristes; modò plenas bonâ spe, modò omni fiduciâ destitutas; semper alias, rarò constantes sibi.

2. Hæc cum ita sint, inquies, semperque sic fuerint; quam quæso quietem animo concipiet is, qui tantam volubilitatem rerum attentiùs considerat? Vbi pedem figet immotus vt sit? In Deo solo dicebam heri, in Naucleri totam hanc machinam dirigentis arte & industriâ: ita Diuinum Numen appellat Theodoretus, *summum videlicet illum Dominum nauis huius, mundi videlicet sapientissimum Gubernatorem*; comparationemque institutam suâ auctoritate confirmat. Non secus ergo, tot inter rerum euentuumque varietates, in Deo figenda est fiducia, securus vt sis, quàm viatores solent nauicularij peritiæ acquiescere, tum cùm nauis tota feruet variis epibatarum discursationibus & tumultu.

Vt tamen quieto sis animo, naucleri artificio acquiescendum est.

Theodoretus Orat. 6. de Prouid.

3. Verùm vtcumque comparatio quam nauis inter, vniuersique gubernationem instituit, in plurimis vtrique conueniat, neque adeo ipsi Theodoreto displiceat, multum tamen inter vtrumque directorem est discriminis; & vti omnis, ita & hæc non parum claudicat comparatio. Nauicularij enim ars tota in hôc sita est,

Quod maiorem in Deo locum habet vtpote qui nõ tantum ventis vti.

sed & eò pro suo libitu potest efformare.

vt se auræ accommodet, æstui obsequatur, & vela prout venti ferunt porrigat. Industriæ verò illius est, datâ æstus ventorumque opportunitate vti pro suo commodo, & pro velorum nauisque conditione. Verùm nec ventis potest ipse modum ponere quantumcumque peritus ventorum, neque vela ipsa extendere, si exigua sint, neque mali si iustò breuior, neque nauis, si ob nimiam paruitatem à maris impetu obruenda, augere molem. At verò vniuersi Gubernator Deus, præterquàm quòd eâ polleat industriâ, vt nullum non euentum in suam rem commodumque possit deflectere, præstitutoque fini accommodare, id habet eximium, quòd ventos omnes in manu habeat, eosque possit pro suo libitu moderari. quòd si hæc nauis minùs sit accommoda, eam illico aut minuere aut augere si vult, potest. quòd si secundus ventus minùs conueniat, aduersum certè concitare in manu eius est; si siccitatem fini præstituto videat officere, præsto sunt pluuiæ; denique si malis minùs proficit, adsunt volenti illico bona, omnia ad nutum imperantis prompta & expedita. Nam *ipse dixit & facta sunt; ipse mandauit & creata sunt.* Quæ cùm ita sint, vt verè sunt, nescio sanè quid dicam: aut paruam de Deo opinionem habere necesse est homines, parum ipsi fidere, parum credere; aut immeritò sanè, præterquè rationem omnem, tam facilè perturbantur. Psal. 32.

Neque tamē vt Deo acquiescas, singulorum quæ agit, noscenda est ratio.

Hoc inde suam habet originem, inquies, quòd Diuina consilia ignoremus, nec quò singula vergant in promptu sit percipere. Verùm, ita me Deus amet, an vt Deo me credam meaque omnia, singulorum quæ tanta Mens temperat agitque, rationes percipere necesse est me? neque sufficit id me scire, ab ipso esse & dirigi omnia? Quasi verò acquiescere non possit viator Naucleri sui peritiæ, nisi singulorum quæ totâ naui aguntur ex gubernatoris imperio, ab ipso gubernatore penitus & veluti à fundamentis edoceatur. Vt ergo mortalis ego homo magnam de Diuinâ Prouidentiâ concipiam opinionem, rationem omnium mihi dare cogetur Deus, & cur mundum sic construxerit, & cur eo quo construxit modo, & cur tot homines & non plures paucioresque creauit, & cur hos quidem corporeos, Angelos verò incorporeos, & cur modò pluat, modò ningat, cur singulorum temperamenta ita disposuerit, denique cur omnia sic eueniant prout videmus euenire; singulorum inquam rationem, & quidem 4.

quidem bene exactam reddere debebit Deus, vt ſapienter eum agere mihi perſuadeam ? Demens profectò ſim , hoc ſi velim, Nam præterquàm quòd rationum omnium, vt quæ infinitæ ſunt, concipiendarum capax minimè ſim, vnicam vt mihi penitus faciam ſatis, rationem video ſufficere, quæ quidem in certâ & infallibili Fide & ratione fundata ſit, magnam inquam quam mihi formo, de Deo opinionem.

5. Hanc ſibi effformare, eſt Deum colere & quidem cultu præcipuo. Mirum id vidiſſe, medias inter tenebras , Ethnicum Epictetum. *Religionis erga Deos immortales* , inquit, *præcipuum illud eſt, rectas de eis habere opiniones.* & ne dubium vllum relinquatur, de quibus agat opinionibus, ſubiungit illico, *vt ſentias & eos eſſe, & benè iuſteq; adminiſtrare omnia.* vnde illud conſequitur : *parendum eſſe eis , & omnibus iis quæ fiunt acquieſcendum, & ſequendum vltro , vt quæ à Mente præſtantiſſimâ regantur.* Hoc verò pulchrè exponit Epicteti Commentator Simplicius. *Siue quis enim Deos eſſe non cenſet ; ſiue cum ſint non conſulere rebus humanis; ſiue cum & ſint & rebus humanis conſulant , id tamen & iniuſtè & imprudenter facere opinatur; is neque colet & venerabitur eos, neque illorum actionibus ſubſcribet ac parebit, vt ab optimo conſilio profectis.* Quòd ſi verò hoc mihi perſuaſero , præſtantiſſimam eſſe Dei mentem quâ regor, quid ego miſer homuncio me contorqueo , quaſi malè mecum agatur, aut quaſi meliùs ego diſponere poſſim quæ me concernunt ; homo ignarus omnium, miſerum animal, nullius aut frugi aut rei ? cur ergo non acquieſcam præſtantiſſimæ illi Menti, amens ego & demens, ſi mentis tantæ præſtantiam agnoſco, magnamque de eâ habeam opinionem ?

Epict. Enchir. c. 38.

Tantùm magna de eius Prouidentia habenda eſt opinio.

6. Hæc ergo, vt videtis, tranquillitatis noſtræ fundamentum eſt: hæc à nobis exigenda, vt nobis benè ſit & quietis eſſe detur. Neque enim quam de ſe habeamus opinionem magnopere curat Deus, neque an obmurmures an vero approbes multùm Dei intereſt, vt rectè Epicteti Commentator, quem dixi, Simplicius; benè tamen ſentiri de ſe vult Deus, vt benè ſentientibus benè ſit. *Non quod his egeat Deus,* inquit, *neque enim probitate noſtrâ* (id eſt approbatione) *eget , neque rectis de ſe opinionibus : ſed nos per hæc, pro eâ menſurâ quæ nobis conuenit, illuſtrationis Diuinæ facti capaces, Deum ſuſcipimus ſi digni ſumus.* Quid dici poteſt hâc in re

Hæc opinio magnus eſt Dei cultus & tranquillitatis noſtræ primum fundamentum.

Simpl. in locum dicti Epict.

re illustrius? sic vectoribus viatoribusque prodest ea, quam de magistro nauis habent, opinio, parum cæteroquin curante malè ne an probè de se sentiant, nec quidquam eorum iudicijs cessuro aut daturo. Nobis certè consulimus, dum non humiliter, sed altè de Deo & eximie sentimus: primaque, quam veluti omnis tranquillitatis hoc est gaudij basim, fixam ratamque opinionem statuere est necesse, hæc est; Deum & quidem solum esse qui moderetur vniuersa. Hâc certè opinione imbutus, gratanter omnia excipies, certus quod *Deum suscipis*. Neque molesta an sint, an iucunda curabis magnopere; nam vt vt sunt, à Deo sunt; sic ea dum suscipis, *Deum suscipis*. Et quamuis rationem euentus maligni aut prosperi non percipias, imò & rationi videatur aduersus, resque tuas liquidò retroagere, non credes ipsemet tibi; hâc tantùm ratione nixus, ita visum est Gubernatori nauis & Magistro Deo, *Deum suscipio*, & salua sunt omnia.

In hâc itaque magnâ & ingenti opinione bene firmandâ, vt videtis, summa stat rei, totumque tranquillitatis adipiscendæ fundamentum.

§. II.

Vt autem opinionem magnam de Deo efformes, non est necesse singulares omnium Decretorum scire causas; sufficit vniuersalis de Dei prouidentiâ cognitio. quod primò in comparatione viatorum de Naucleri peritia iudicio efformando ostenditur.

Singulorũ Decretorũ Dei rationem nõ esse expoſcendã demonſtratur.

AT verò vt opinionem hanc in animis nostris excitemus, illud priùs dicendum est, non idcirco necessarium esse rerum omnium, aut certè multarum rationes sigillatim perspectas habere, vnde de Diuinâ Prouidentiâ præclarum apud nos ipsos iudicium feramus. Nam præterquàm quòd particularis illius scientiæ capaces non simus, vti deinceps sigillatim ostendam, illud video scientiam illam, huic opinioni excitandæ neutiquam esse necessariam. Magno certè nostro bono; nam vt rectè Paulus magnus cæteroquin Diuinorum mysteriorum indagator, *Incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius*: non Ad Rom 11.

ratione

ratione quòd careant; nam vti Propheta Dauid teſtatur, *Omnes*
Pſal.118. *viæ tuæ veritas*, & rurſus *Æquitas iudicia eius*, ſed quòd à tam multis circumſtantiis, ſingulorum euentuum æquitas, ratioque quæ Deum mouit dependeat, vt illis omnibus capiendis in quibus rerum ſingularum ratio ſtat, humana, hoc eſt finita, ratio non ſufficiat. Benè itaque nobiſcum actum, ſingularium illa ſcientia quòd non requiratur, generalem vero opinioni illi firmandæ ſufficere. quam quidem ſanctiſſimus Dauid inuenit *in*
Pſal 72. *Sanctuario Dei*; quod cùm turbatâ prorſus mente ſubiiſſet, egreſſus eſt pacatâ prorſus & ſerenâ, *pacem* nihilominus *peccatorum videns*, ob quam paulò antea fuerat perturbatus. Date itaque mihi hanc veniam, vt Dei arcanum ſanctuarium ſubiturus, artem totam priùs vobis paulò fuſiùs exponam, vt liquidò pateat non eſſe ſigillatim euentuum omnium dignoſcendas cauſas, mente eos vt placidâ excipiamus, velimuſque fieri res, prout fiunt; in quo omnis tranquillitatis ſumma eſt: modò id certò ſtatuamus. Deum eſſe à quo omnia diriguntur, eumque Deum qui
Pſal.47. ſit *Magnus Dominus & laudabilis nimis* & *ſanctus in omnibus operibus ſuis.*

Confuſa prouidētiæ diuinæ ſcientia ſuffi-cit, vt maximam de Deo opinionem concipiamus.

8. Et quidem, vt ei quam exorſus ſum de nauicularia, comparationi inhæream, illud ſciendum eſt quod in maritimâ nauigatione, illâ maximè quæ Orientales Occidentaleſque versùs Indias inſtituitur, diciturque nautis Magna nauigatio, gubernaculum totius machinæ, ſub ipſis foris tabulatiſque lateat; neque à nauis Directore, ſed ab epibatâ quodam, omnium ſæpe ignaro teneatur. Res eſt ſtupenda ei qui rem non percipit. Magiſter ipſe, neque cælum neque mare conſpicit, verum totos dies in arcano ſedet conclaui, ſub ipſum gubernaculum. Hic in menſulâ expanſam habet mappam, in gradus longitudinum latitudinumque par. lelè diuiſam, in quâ vti portum vnde digreſſus eumque quò curſum dirigit, diligenter habet annotatos, ita totum nauis curſum punctis atramentoque accuratè diſtinguit: curſum autem vt aſſequatur, varia habet diſpoſita inſtrumenta; vt puta clepſydras metiendo tempori, compaſſum in triginta duos diuiſum ventos acu magneticâ inſignitum, Quadrantes, Annulos, Radios & alias ex Aſtronomiâ petitas machinas Solis altitudini, Polique eleuationi excipiendæ neceſſarias, Tabulas deinde Declinationum, Solis ſtellarumque Refractionum, Ephe-

Explicatur id per comparationē nauigationis magnæ, cuius vſus & ratio vtcumque exponitur.

merides, aliasque computationes nauigationi determinandę subseruientes.

Nauclerus in obscuro conclaui sedens, totam nauis machinam gubernat.

Itaque simulatque ventus vel minimùm vertitur, admonetur illico ab eo cui ventorum demandata est obseruatio; scribit id Magister, adiectâ horâ quâ cœpit auræ mutatio, vehementiâ venti vtcumque expensâ & ascriptâ, nec non & maris æstu. Cùm sese sol aperit, altitudinem metitur, poli eleuationem computat; & secundùm has pluresque alias circumstantias, clauum obuerti iubet, nunc ortum, nunc occasum versùs, prout res fert; pluribus nonnumquam extra tramitem rectum milliaribus, ad ventos secundos captandum, deflexo cursu. Omnia interim summâ cum curâ mappæ inscribuntur: adeo vt pluribus sæpè mensibus nullâ quamuis tellure conspectâ, tam accuratè tamen iter mari transactum in mappâ designet, quàm si terrestre confeciset. Iam verò ad rem meam quod facit est, totam totius machinæ mari innatantis directionem, ex obscuro illo arcanoque conclaui existere. hinc epibatis nautisque mittuntur imperia; his verò obsequuntur omnes: si vela obuertenda Magister pronuntiat, obuertuntur sine morâ; si contrahenda nunciatur, contrahuntur; si clauus Eurum versùs deflectendus dicitur in conclaui, ad Eurum declinatur, quamuis in septentrionem instituatur nauigatio; nec quisquam hiscit, nemo obloquitur, rationem petit nemo; satis id est omnibus, Magistro sic visum, & è conclaui mandata deferri. 9.

Viator qui artem nauicularia non intelligit, turbatur; si ea tantùm attendit, quæ in naui supernè geruntur, & temerè omnia geri suspicatur.

Arcanum qui nescit viator, stupebit omnia, si solùm ea conspicit, quæ per foros transtraque aguntur aperto in aëre; & verò rem dicet esse, vti ridiculam, ita summis omnino periculis expositam. Quid enim, inquiet, hocce rei est? quid agitur, quò tenditur? neque terram neque domos turresque conspiciunt homines hi, nihil in oculis est nisi cælum & mare, & de nocte nec hæc quidem sunt aspectabilia: venti mutantur in horas penè singulas; nunc in ortum ferimur, nunc in meridiem, nunc recto, nunc obliquo cursu; in aquâ verò nulla apparent viarum aut præcedentium vestigia, tota plana est, & eadem vndique: sine dubio, casu ferimur, fame peribimus nec optatum consequemur cursum. Ita quidem ille secum obmurmurat. Epibatæ interim benè securi, agunt res suas. 10.

Id quidem fateor, quòd qui sano pollet iudicio, facilè conii- 11.

ciet

ciet aliquem tantæ moli dirigendæ præesse, magnæque sine dubio inter epibatas classiario que auctoritatis, cui tam incondita turba obsequitur; cum tamen de eorum vitâ non minùs agatur, quàm de vectorum omnium salute. Et hæc certè sola ratio sufficit, vt omnes componat metus, licet quid agatur sigillatim ignoret. At verò, si ineptus quis censor nautas transcurrentes aggrediatur eosque increpet, rationemque sibi dari postulet cur vela obliquent, cur rudentes laxent, cur clauum detorqueant, cur nauim deflectant; certè vt modestè respondeant, dicent nautæ, id quidem nescire se. Quòd si censor hic excandescat vocemque attollat, neque ignorantibus quid agant committendam nauim vociferetur, agi de omnium vitâ, non sic agendum cum hominibus, nec mari committendam nauim in quâ nec clauus nec Magister appareat. Quid ages hôc homine? magis æstuat quàm ipsum mare. Age vir minimè male, sensus turbatos vt componas, per gradus hos descende, subi conclaue, & quid agatur penitius, si placet inspice.

12. Intrat conclaue sollicitus censor, & magistrum quidem multâ canitie venerandum aspicit, summo studio incumbentem mappæ, singulaque summâ accuratione dispungentem, calculantem, pendentem. Conspicit obtutu vnico clepsydras hinc & hinc pendentes; Quadrantes, Circinos, Regulas, Astrolabia in manus sumit, versat, miratur, stupet; & dum stupet, illico omnis ex animo euanescit metus, acquiescit illico. Dic modò, an propterea nauticæ artis præcepta intelligit? an quid sibi velint Rhombi, Parallelæ, Graduſque tum mappæ, tum instrumentis tam affabrè inscripti intelligit? an concipit instrumentorum vim? an de Magistri peritiâ iam edoctus est admirator ille, paulò ante censor? minimè verò; ne nomina quidem instrumentorum audiuit; nec quidquam eorum, quæ magnâ numerorũ calculatione digessit nauclerus, percipit magis quàm cùm non viderat. Quid ergo turbatum hominis pacauit animum? nihil planè, nisi illa quum mente concepit de Magistri peritiâ, existimatio; hanc autem non singularum rerum explicatæ rationes concitarunt; verùm illa generatim inspecta instrumentorum concinnitas, graduum exactè inscriptorum distinctio tam accurata, studium naucleri tam improbum, hanc ei ingessere opinionem, eum esse senem illum cui se possit tutò concredere, & à quo rationes

Verùm cũ Naucleri cõclaue intrat, eiusq; instrumẽta & studia contẽplatur, licet ea non intelligat, tamen admiratur, & opinionem magnam de Magistro concipit, quæ sufficit vt acquiescat.

tiones omnes minutatim exigere nefas sit. abit itaque ad socios lætus & alacer, iam pacatus censor, salutatoque comiter nauclero, non habet aliud quod reponat, nisi placidum illud, Age prout lubet Magister rem tuam, & dum tuam agis, agis meam. En, vt sola de nauclero concepta generatim opinio, metus omnes sedat, tranquillitatemque animo inducit, quam singulorum euentuum exquisitæ rationes, penitus perturbarant.

§. III.

Applicantur iam dicta iudicio quod de diuina gubernatione efformari debet.

Applicatur nobis comparatio. Conquerimur de mundi gubernatione quasi si temerè agerentur omnia.

IGnoscite si longior in comparatione exponendâ fuerim; nam non tam similitudo & comparatio, quàm ipsissima rerum nostrarum est historia. Certè Auditores quamdiu in turbulento hoc mari viatores sumus, exedimus nos ipsos superfluâ sollicitudine, eo quòd euentuum quos videmus causas rationesque non percipimus: numquam non obmurmuramus, turbamurque nunc ob auræ aëriſque intemperiem, nunc ob commerciorum infrequentiam, nunc ob temporis rerumque fatalitatem; modò displicent ij qui ad clauum sedent tum vrbis, tum Rei-publicæ, tum etiam priuatæ; modò bella accusamus tam publica regnorum, prouinciarumque, quàm domestica, imò & quæ cum carne nostrâ, dæmoneque miseri gerimus; modò eos increpamus qui muneribus officiisque publicis adhibentur, iniustos eos dicimus & incurios; modò superiorum iussa arrodimus tanquam præter rationem ordinata, tanquam nociua, tranquillitatique aduersa, plurimasque de rebus omnibus hunc in modum querelas efformamus quotidie, quibus non mala emendamus, sed tantum exasperamus rem verbis, & quod peius est mentem nostram. Quid ergo agendum inquies? certè foros & transtra desere, eripe te è turbâ, permitte vnumquemque agere rem suam: mentemque turbatam vt sedes, intra eum Dauide *Sanctuarium Dei*, certus vti D. Augustinus asserit *Nihil fieri sensibiliter & visibiliter, quod non de interiori inuisibili aulâ illius Imperatoris, aut non iubeatur aut non permittatur.* Aug. l. 3. de Trin. c. 4.

13.

Subi

14. Subi inquam arcanum Dei conclaue, & quod oculis non potes, mente perlustra. Videbis illic peritissimum illum totius huius machinæ Directorem Deum, *antiquum illum dierum* qualem Dan.7. Daniel conspexit. Videbis inquam incumbentem eum, oculisque coniectis in mappam, in quâ mortalium omnium, & tua imprimis, vitæ viæque, iam ab ipso exortûs principio ad mortem vsque singulorum, exactissimè sunt descriptæ, dispunctæ & compositæ. Videbat mappam hanc summo cum silentio admirabundus Dauid, & tandem, Quid hoc demum rei est inquit? *Omnes* Ps.118. *viæ meæ in conspectu tuo*, quin imò & *dolor meus in conspectu tuo.* Ps.37. An itaque mihi attendit æterna illa Mens, sapientia infinita? en quàm exactè obseruata omnia, nihil eum latet, aut fugit. *Tu cognouisti sessionem meam & resurrectionem meam*; inscripsit nimirum mappæ vbi steterit nauis, quamdiu hæserit, rursus quando nauigationem resumpserit, & quem tenuerit tramitem; denique ibid. *Omnes vias meas præuidisti*: non habeo præ stupore quod loquar. ibid. *Et non est sermo in linguâ meâ. Ecce Domine tu cognouisti omnia nouissima & antiqua.* & quod admirationem omnem superat, *In libro tuo omnes scribentur.* Neque vitæ cursus omnes tantummodò video describentem te, sed & tempora diesque secundùm æternarum Ephemeridum Diuinas leges, computantem & mensurantem conspicio. *Ecce mensurabiles posuisti dies meos*, Ps.38. mensuratos vtique & expensos. Denique tanquam exactissimum nauis meæ gubernatorem, totum te video in solis altitudine capiendâ, vt pro variâ rerum hominumque constitutione & eleuatione, gratias dispertias, cursum dirigas, & cuncta ritè ordinatimque disponas. *Quoniam secundùm altitudinem cæli à terrâ, corro-* Ps.102. *borauit misericordiam suam.* Totus hîc hæreo, totus stupeo, *& non* Ps.138. *est sermo in linguâ meâ.* Illud tantùm possum eloqui, *mirabilis facta est scientia tua ex me*, hoc est, ex solâ quam de me habes curæ consideratione, *confortata est, & non potero ad eam.* quidquid conor cogitatione assequi, hoc tantùm assequor, assequi me non Ps.38. posse; *nimis enim profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Vir insipiens* qualem me confiteor *non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.*

15. Quid igitur ages Dauid, quò te vertes? ad Deum meum inquit; illi me tradam animitùs, absque hæsitatione minimâ, & dicam, Age tu Domine prout agis, tantùm *Proba me Deus & sci-* Ps.138 *to cor meum, & cognosce semitas meas; & vide si via iniquitatis in me*

Verùm secretũ Dei conclaue subintra cum Dauide. Deiq; tuis rebus quasi studentem aspice.

Et non tantùm admiraberis mundi gubernatorẽ, sed & eius

consiliis tuæ acquiescet.

in me est, & deduc me in viâ æternâ. Volebam ego perscrutari diuina consilia; pessum opinabar ire omnia *Pacem iniquorum videns:* ideo *moti sunt penè pedes mei*; Verùm cum subiui *Sanctuarium Dei*, dixi *vide si via iniquitatis in me est*, quam ego in aliis detestabar; verte tu vela, contrahe, expande, prout tibi collibitum fuerit Magister sancte: *si via iniquitatis in me est*, corrige, castiga, deprime, extolle, & vt facis deduc me in portum æternæ felicitatis.

Acquiescētia verò illa, & iudicij tui submissio, ex admiratione ortum habet.

Vnde hæc tanta & tam subita in Dauide mutatio? vnde in perturbato homine tam inexpectata iudicij submissio, vnde mentis tranquillitas tam quieta? an à Deo decretorum omnium seriem didicit, & rationum omnium pondera ac momenta? Minimè verò. vnicam tantum generatim opinionem, eamque altissimam concepit animo de diuinâ in rebus Prouidentiâ, *mirabilis facta est scientia tua ex me*, & hæc sufficit. Neque verò ex particularium rationum explicatione, opinionem illam hausit: sed quemadmodum in viatore illo quem exposui, sola tabularum instrumentorumque Mathematicorum tam affabrè, tamque accuratè in suos gradus parteſque distinctorum inspectio, maximam de Magistri iis vtentis peritiâ & sagacitate, in eius mente opinionem excitauit, licet ea ipsa non intelligat; ita prorsus Dauid, simulatque *in Dei sanctuario* eximia, quibus Deus, ad mundi machinam dirigendam, vtitur, instrumenta admirabundus inspexit & suspexit, tantam de diuinâ sapientiâ concepit existimationem, vt liquidò exclamaret, *confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es.* & vnde hoc colligis? nimirum quia *mirabilia opera tua & anima mea cognoscit nimis*: tanto enim artificio, tantâ proportione confecta sunt instrumenta quibus vteris, tam concinna & pulchra, tanti denique pretij, vt amens planè sit qui de artificis ea conficientis industriâ & sagacitate prosus eximiâ, aut de operum quibus adhibentur symmetria & præstantia velit dubitare. 16. Ps. 138.

Admiratio igitur illa excitanda est.

Ex hâc igitur admirandâ diuinorum instrumentorum fabricâ, nos eam quæ fiduciæ omnis tranquillitatisque fundamentum sit, opinionem fabricare incipiamus. 17.

§. IV.

§. IV.

Vt igitur magnam illam de diuina Prouidentiâ opinionem excitare incipiamus, considerantur generatim instrumenta corporea quæ Deus vniuersi gubernationi adhibet, nobisque sunt conspicua.

18. CErtè quòd si ea quæ summus ille rerum artifex, mundo vniuerso dirigendo applicat instrumenta, ea, inquam, tantùm quæ oculis nostris quotidie sunt conspicua, sedulò consideremus, eiusmodi esse fatebimur, quæ humanam mentem in stuporem rapiant, confessionemque etiam inuitis exprimant, quam sanctus Dauid vltro proferebat. *Confitebor tibi*, inquiebat Ps 138. ille stupore defixus, *quia terribiliter magnificatus es.*

Ad hoc, instrumenta præcipua quæ Deus mundi gubernationi adhibet cõtemplare.

19. Oculos igitur mentemque in ipsam cæli concauam, quâ nobis patet, superficiem attolle, & si totum penitus artificium formam & materiam non potes comprehendere, attende pulchritudinem & figuram. En vt tabernaculi instar expansum, Vni- Ps 103 uerso incubat, *Extendit cælum sicut pellem*, inquit Dauid, quo cunctæ creaturæ saltem corporeæ contegantur. Ecquod ornatius splendidiusque concipi potest ornamenti genus, quam quo cæruleum hocce pallium, vniuersitatisque quasi tegimen & velum vndique conspersum est? stellarum inquam tam copiosâ multitudine, quibus quasi adamantibus totum conspergitur, omniumque in se oculos rapit, dum eos suauissimo splendore delectat. Et verò in tantam altitudinem machina hæc porrigitur, vt quamuis tam exiguæ appareant stellæ singulæ, illæ tamen quas primæ magnitudinis vocant non minus quam centies septies, quæ verò omnium ex aspectabilibus minimæ, non minùs tamen quam decies octies totum hunc, cui insistimus, terraqueum globum mole superent.

Ac imprimis firmamentum aspice.

20. Liceat hîc mihi paululum extra præstitutum sermonem euagari, & pio aliquid dare affectui. Tantam enim extimæ illius concamerationis superficiem dum considero, exclamare iam Baruch. 3. lubet cum Propheta Baruch; *O Israël! quàm magna est Domus Dei, & ingens locus possessionis eius! magnus est, & non habet finem,*

Eiusq; magnitudinẽ cum terrâ quam incolis, si potes, compone.

nem, excelsus & immensus. subduc rationes si potes; & si stella vnica centies septies totum terræ globum continet, dic sodes, quot millionum millionibus, totus ille cæli ambitus, terram quam incolimus videatur superare? metire spatia, imò si potes consideratione solâ complectere. Non potes scio. Hæc tamen Domus tua est, Christiane; *hic locus possessionis* ad quam destinaris, *excelsus & immensus.* Erige animos mortalis homo, cælumque terræ, quam tantopere colis, compara. Punctum est, pene nihil est. Et *hoc punctum* inquit Seneca, *ferro & igne diuidimus.* Si terra punctum est, quid Belgium est toti orbi comparatum? orbis punctum est. Rursus quid ciuitas hæc, collata cum Belgio? Belgij punctum dices. Quid demum domum tuam quam hîc possides rectè dices, nisi ciuitatis huius punctum portionemque perexiguam? & pro puncto decertas tu; hoc te magnum, hoc te aspectabilem facit, in hôc gloriaris, in hôc triumphas. Miseros sanè mortales, & tamen superbos! gloriamur in nihilo, & veram gloriandi materiam aut ignoramus stupidi, aut contemnimus superbi. Interim *O Israël! quàm magna est Domus Dei,* imò est tua! Hæc quam vides, extima tantùm superficies est possessionis tuæ; quæque ne pedibus quidem tuis, domûs possessionem cum adieris, merebitur conculcari.

21. Verùm ne me longiùs abripiat suauitas argumenti, vicissitudines motusque cælestium corporum, tam æquabiles tamen, certâque astrictos lege dum perpendo, an aliud exclamare possum quàm cum Dauide *cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum?* quis non videat, non alias huic operi tam immenso, tam solido, tam concinno & decoro adhibitas esse manus quàm diuinas? at quam diuinas? quis hoc explicet, quis capiat, nisi Deus ipse qui se solus capit? hoc vnum habeo dicere cum D. Augustino, *Mundus ipse ordinatissimâ suâ mutabilitate, & mobilitate, & visibilium omnium pulcherrimâ specie, quodammodo tacitus & factum se esse, & non nisi à Deo ineffabiliter atque inuisibiliter magno, & ineffabiliter atque inuisibiliter pulchro, fieri se potuisse proclamat.* Ps. 18. Aug. l. 11. de ciuit. c. 4.

Deinde Solem attendas.

22. Iam verò Solis globum cùm contemplaris, vultumque amœnissimum, quô vniuersum hunc mundum aspectabilem facit dum consideras, quid cogitas, quid iudicas, quid dicis? An lumen quô illustrat omnia, an calorem quô fouentur vniuersa, satis percipis?

percipis? an non formosissimi illi radij ab hoc corpore emicantes, magis subseruiunt menti illustrandæ, vt conditoris magnitudinem assequatur, quàm illuminandis oculis? Quis dubitet inquit Ecclesiasticus. *Sol illuminans per omnia respexit, & Gloria Domini plenum est opus eius.* Nec tam lumen & calorem, quàm Gloriam conditoris sui, toto orbe quotidiè circumfert & repræsentat. Eccli. 42.

23. Si magnitudinem planetæ huius exquiris, certè centies sexagies sexies, & tribus octauis partibus, hoc est ferè vnâ mediâ, terraqueum globum mole superare statuunt ij, qui modestè secundùm Astronomiæ placita calculos subduxere. *Eius magnitudinem.*

24. At verò situm eius quis non obstupescat, vt cætera sileam? quis nisi summus artifex, summa attentione & studio, eo quo situs est loco, Solem collocauit; vt nec propinquior esset terræ, nec ab eâ etiam remotior; neque rursus maior molè, nec etiam minor? si enim terræ propinquior fuisset, certè calore suo adussisset omnia; & si non in cineres, saltem in aridum puluerem redegisset terram, sterilitatemque induxisset orbi, fœcunditati inducendæ factum sidus. Quod si à terrâ remotior, iam illi calefaciendæ non suffecisset. An verò solem, eius rei conscium, hunc sibi, quasi aptissimum locum, delegisse somniabit quis? Rursus, si propinquior quidem terræ at corporis mole fuisset minor, iam nec sufficiens terræ spatium eodem simul tempore illuminasset, neque firmamenti stellis debitum luminis sui præstitisset obsequium. Si verò & maiorem mole & situ terræ propinquiorem statueris, tum verò dubio procul, & terram ardoribus conficiet, & humanos oculos nimiâ luce. Quis itaque terram, hominesque, ita cum Solis lumine ardoreque potuit componere, altitudinemque eam Soli dare, quæ commodissima foret humanis vsibus; quâque melior non poterat excogitari? certè non nisi magnæ mentis est, tam apta constitutio. Neque aliud de sole dicere possum, vt dicam omnia, quàm illud Ecclesiastici, *Vas admirabile opus excelsi*, vas id est instrumentum magni Dei, ad magnos vsus à summo artifice adhibendum. Eccl. 42. *Et situm commodissimum.*

25. Quid nunc de Lunæ corpore ediseram? nolò de iucundissimo eius aspectu quidquam dicere, ne tempus teram rebus quæ patent. Verùm, situm considera, & stupe artificem. Quis enim nisi cui Solis vehementia, terræque distantia omni ex parte fuerat *Tertiò Lunam, eius situm & qualitates.*

perſpecta, corpus illud Solem inter & terram, interuallo tam æquo potuit collocare, vt neque frigore ſibi innato, neque humidis influxibus, nimis propinquum terræ, animalium fœcunditatem prorſus infringeret; neque remotius, Solis, ardoriſque ex eo emicantis vehementiam minus aptè temperaret? quis vnius quidem Aſtri calores, alteriuſque frigus ita immiſcuit, vt temperiem eam, ſine quâ neque plantarum, neque animantium generatio ſubſiſtebat, gratâ fœcundâque mixturâ terris daret? An nõ hæc demum inſtrumenta, Artificis manum & mentem ſatis ſuperque manifeſtant, Deumque eſſe *qui fecit cælos in intellectu*, vti Pſalmiſta teſtatur? Pſal 135.

Quartò terræque globũ, contemplare etus ſitum.

Quòd ſi oculos ad terram ipſam libet demittere, terram, inquam, viliſſimum ſanè, ſi cum cæleſtibus comparetur corpus; tamen quem non obſtupefaciat, ſi quis aut pondere ſuo in medio vniuerſi puncto conſiſtentem, aut ſi ita placet cum Copernicanis, neſcio vbi in æthere, circa ſolem volitantem gyrantemque contempletur, ſimilem tamen ſemper ſibi, ſuaque ſtantem mole? quis dedit pondus terræ, & quis ponderi tam iuſtum æquilibrium? Quis antra aperuit, in quibus lapidum metallorumque tot diuerſa coquerentur genera, & formarentur quaſi in vtero? Quis ingentes illas cauernas & abyſſos terræ excauauit, quibus ampliſſima maria continentur; cum tamen æquabili pondere, centro incubent grauia: vnde æquabilem quoque, & à centro vndique æquali diſtantem interuallo, ſuperficiem terræ exiſtere, ſecundùm grauium naturæque leges erat neceſſe. Quod ſi verò in lacunas depreſſa non fuiſſet terra, totam vndique aquis obuoluendam, ac propterea humanis vſibus ineptam prorſus futuram, liquidò conſtat. 26.

Et ſuperficies extima admirabilem declinitatem.

Rurſus verò, quis vndis extantem ſuperficiem hominum habitationi deſtinatam, in valles colleſque diſtribuit, imò & in montes altiſſimos tantâ arte eduxit, tum ad arcendam ventorum rabiem tum etiam ad ſolares radios aliter atque aliter reflectendos, non ſine variâ & multiplici tum ipſorum montium, tum etiam vallium fœcunditate & prouentu? Quid, quod hæc ipſa, quæ oculis apparet plana & æquabilis terræ planicies, plana tamen non ſit, nec ad libellam perpendiculumue conſtrata; ſed à mari molliter accliuis, per longiſſimos terrarum tractus paulatim aſſurgat, ſtupendo prorſus artificio? quod quidem ex 27.

fluuiorum

fluuiorum lapsu, clarè conficitur. starent enim aquæ omnes, nisi terra per quam deuoluuntur, decliuitate suâ labendi facultatem daret. Quis itaque tellurem hanc ab ipsâ inde Hollandiâ, per longissima Germaniæ spatia ad montes vsque Italiæ docuit assurgere? quis Brabantiam ita complanauit, vt tamen tota à Leodiensi tractu, Antuerpiam vsque Zelandiamque decresceret, artificio planè necessario, vt illic Rhenus, hîc Mosa, Dilia, Scaldis aliique passim fluuij & torrentes defluerent, & quasi ingentes venæ, terram vndique summâ hominum commoditate intersecarent.

28. Verùm si omnia velim percensere, infinitus sim. An autem hæc non sufficiunt, vt stupore defixum teneant considerantis animum? An non *cœli enarrant*, imo mutis vocibus proclamant *Gloriam Dei*, liquidoque demonstrant, quòd sit *magnus Dominus & laudabilis nimis* & *Sanctus in operibus suis*? *Ex his gloriam artificis, in rem suam vtentis, obstupesce.*

§. V.

Instrumenta autem ea non casu sic constructa, sed summo iudicio, à Deo vsibus suis aptata esse considera.

29. ADmiraris instrumenta sat scio, magnamque de Artificis peritiâ opinionem, menti tuæ ingerere incipit tam iusta admiratio; crescetque cum contemplandi studio. Nisi fortè vt eam tibi detrahat Atheista quis, diuinitatis contemptor, hæc omnia non arte & industriâ, sed casu & fortunâ, hoc quo sunt modo coaluisse, nugetur. Equidem scio non paucos esse, quibus aut Deus displicet, aut cogitationes propriæ nimiùm placent, quibusque, mediis in errorum tenebris versantes Ethnici, Græci inquam aliquot Philosophi, prætulêre facem. hi sanè totum hoc quàm latè patet vniuersum, casu mero ex atomis munitissimisque puluiseulis, mutuo se complexu colligantibus existere contendunt. Sic quidem, vt primo non nisi merum chaos esset, vniuersum pulu seulis illis confuse complentibus: at tractu temporis incubuisse sibi paulatim atomos, & in varia, hæc nempe quæ videmus corpora, residendo sese conformasse, sic vt & Sol & Luna, & cuncta quæ videmus, nihil aliud sint, quam puluiseulorum temerè *Neque hæc casu ita facta sunt, sed summâ attentione & arte.*

merè residentium colliculi aut acerui. Et hæc quidem illi magno supercilio.

Refutatur futilis quorumdam circa mundi fabricã speculatio, ex ipsâ mũdi tam ordinatâ cõstitutione,

30. Verùm quis eiusmodi, vt parum dicam figmenta, æquis auribus accipiat? Dic sodes, an atomi isti eiusdem omnes erant naturæ, coloris, magnitudinis, iisdem, vt dicunt, imbuti qualitatibus, an diuersis? Quòd si omnes eiusdem naturæ fuerint, quomodo atomi qui solis aceruum constituunt, tantâ claritate caloreque iam pollent, cùm illi qui terræ aceruum, frigidi sint, rigidi & obscuri; illi verò qui aquæ molem conficiunt humidi sint, molles & fluidi? Quòd si diuersæ prosus naturæ fuisse dixeris atomos illos, & alios quidem perspicuos, alios adiaphanos, calidos hos, frigidos alios, hos cæruleos, flauos illos, diuersoque colore tinctos, & virtute imbutos variâ & diuersâ: dic quæso quis illos sic discriminauit, quis ita circumegit, vt lucidi & calidi tantum atomi, & quidem tantâ copiâ confluerent, qui solis corpori conficiendo sufficiebant? an & hoc factum putas casu? idemque de reliquis corporibus esto iudicium. Rursus, cùm iam conuenissent puluisculi in vnum, vti vis, aceruum; quis eos, cùm singuli nullo inter sese vinculo colligati, sic quasi temerè sibi incumberent, quis inquam eo nexu tamque constanti eos sibi mutuo astrinxit, vt ingentes illæ Astrorum cælorumque machinæ, iam vltra sex mille annos, sibi indissolubili vinculo constanter adhæserint. vbi eos, qui terram constituunt puluisculos, videmus minimo vento abripi & in aëre circumrotari? Quis puluisculis illis cælestibus, gyrationis motum indidit, vbi terrestres omnes ad terræ centrum suo pondere deferuntur? Quis solaribus atomis tantam celeritatem ingerere aut imprimere potuit, vt horæ spatio vndecies centena millia leucarum facilè conficiant, vbi terrestres ignauo torpent otio, si motum spectes. An casus tantum potuit? fortuitusque puluisculorum lapsus, tantam iis indidit varietatem?

Et motũ tam diuersorum æquabili cõstantiâ.

31. Quòd si casum hæc posse perfractè vis euincere; an verò Solis, Planetarumque cursum etiam fortuitum esse argues, casuque fieri vt communem quidem cum cæteris astris habeant ab ortu in occasum, cum toto firmamenti delati orbe; interim verò quòd huic raptui quasi obluctantes per Eclypticam suum ipsi cursum proprium instituant; septentrionaliter quidem orientalem in æstate Sol, in hyeme verò occidentalem meridionaliter.

Et

Et hoc quidem eâ constantiâ, tamque exactè, vt iam per tot annorum millia, ne latum quidem vnguem à solito suo cursu deflexerint aut aberrarint? casus hæc fecit, fortuita tu hæc dicis, & tamen vt sapientem te circumspicis?

32. Pſal. 91. Certè insipientiæ te insimilat Sanctus Dauid, hæc sine summâ Dei industriâ dirigi si existimas. *Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.* quin & ipse Seneca nullo Fidei imbutus lumine, superuacaneum, quasi indignabundus, iudicat eiusmodi quæstionibus immorari. *Superuacaneum est.* inquit, *in præsenti ostendere, non sine aliquo custode tantum opus stare, nec hunc siderum cursum fortuiti impetus esse; & quæ casus incitat, sæpe turbari, & cito arietare: hanc inoffensam velocitatem procedere æternæ legis imperio. . . . non esse materiæ errantis hunc ordinem; neque quæ temerè coierunt, tantâ arte pendere, vt terrarum grauissimum pondus sedeat immotum, & circa se properantis cæli fugam spectet.* Breuiter & eleganter sanè conficit totam rem.

Sen. l. de Prou. c. 1.

Stulto: vocat Dauid eos, qui casu hæc facta cẽsent, eosque deridet Seneca.

33. Enimuerò non tempus modò perdam, sed & auctoritatem penitus omnem, has si nænias, somnoque conciliando non inepta figmenta vobis proposuero. Olim nempe contigisse, vt cùm omnibus vndique ex Æoli cauernis, nescio quas Iunonis ob iras, immissis ventis mundus quateretur vniuersus, ventorum vi infinitam puluisculorum aut arenarum copiam, ex vicinis procul-que dissitis ponti littoribus, in hunc quem incolimus locum conuolasse; & quidem tantâ copiâ, vt aërem vndique complerent vniuersum. Cùm verò ventorum rabies quibus arenulæ circumferebantur, resedisset, paulatim etiam eas suo pondere, modestè tamen in forum delapsas; sed casu tam felici, vt pulcherrimam hanc, quam videmus molem, prætorium inquam siue Domum ciuicam, templumque hoc construxerint. Errare itaque omnes, qui vllam operi adhibitam esse censent artificis manum, omniâ enim casu coiisse; & fundamenta, & superstructos parietes, tectumque, & quæcumque videntur Architectonices insculpta ornamenta. Cùm enim arenulæ illæ casu delaberentur, ita tamen bene accidisse, vt sibi inuicem insidentes, debitam inter se proportionem obseruarint, locum dantes vacuum portis futuris, feneſtrisque; concauitates itidem conclauibus instruendis. Hoc itaque ordine vnâ arenulâ suffulciente alteram, paulatim accreuisse molem, surrexisseque in eam quam videmus altitudi-

Fatuitas sic sentientium graphicè exponitur.

nem : arenas verò ita ſeſe complexas, vt aliæ quidem fornices conficerent, aliæ in gradus ſe conformarent; alias denique, in columnas, baſes, capitella, ſtrias, coronides ſeſe conuertiſſe, tanto ordine, tantâ ſymmetriâ, ac ſi omnia credas artificis expolita malleo, & induſtriâ deſignata; cum tamen non niſi arenarum, caſu ſibi inſidentium, ſit aceruus. Cùm verò aliquot adhuc arenæ flauæ ſuperfuiſſent, eas ita ſe quoque coniunxiſſe, vt Aquilam hic, alibi Crucem quaſi auream expreſſerint. Rurſus cùm aliquot præter eas arenulæ fuſci coloris diu pependiſſent in aëre, dubiæ quo deſlecterent, communi conſenſu coaluiſſe vt ferreum haſtile conficerent, Aquilæ æneæ, aut Cruci ſuſtentandæ neceſſarium; cui cùm machina infixa ſtabat, caſu neſcio quo arenulas aliquot tenaces aduolaſſe, quæ calore ſolis diſſolutæ, ferrum lapidibus, & æneam machinam ferro aſſolidarint. Et hæc quidem pulcherrimæ illius quam in foro videtis machinæ, vel quam oculis hic aſpicitis, templi huius eſt origo & conſtructio.

Quis quæſo ad hæc deliramenta non rideat, aut ſi ſeriò quis 34.
hæc perſuadere mordicuſque velit defendere, non excandeſcat? An deliros ergo credis nos eſſe tu, quibus poſſe perſuaderi tam puerilia figmenta exiſtimas? Ne caſulam quidem quantumuis humilem, imò ne haram, ſine induſtriâ confici poſſe, perſuadebis homini quantumuis ruſtico; & tu ingentia illa cælorum terrarumque corpora, in immenſum expanſos firmamenti fornices, aſtra ſingula eâ magnitudine, ſitu, ordine, concinnitate, quam ne mirari quidem ſatis poſſumus, caſu coiiſſe, caſu ſtare, caſu volui, ſine vllâ artificis impensâ induſtriâ aut manu, vis vt credam? Abiſis; & hoc quidem mihi vt des rogo, amentem ſaltem ne credas me. Satis id quidem perſpicio, ex eo te hominum genere eſſe, de quibus dicit Apoſtolus *Quorum Deus venter eſt*, & Ad Phil. 3
ne Deum agnoſcant, non pudorem modò ſed & rationem omnem exuunt: dementes, ne magnam illam Mentem agnoſcant & reuereantur: denique *qui terrena ſapiunt*, hoc eſt, qui non niſi terram ſapiunt, fundumque ex quo genitum corpus circumgeſtitant, terrenas animæ. Item *terrena ſapiunt* hoc eſt, nullum excæleſtibus rebus percipientes guſtum, non niſi terrena concupiſcunt, illis inhiant, illis inhærent: & vt *terrena ſapiant* prorſus deſipiunt. Ibid.

Artificium ſane in his

Vos verò Auditores, quorum cum Apoſtolo, *conuerſatio eſt in* 35.
cælis,

attendendum & gratulandum est Artifici.

cælis, hæc penitiùs considerantes exclamabitis cum Dauide. Psal. 9. *Quia delectasti me Domine in factura tuâ, & in operibus manuum tuarum exultabo. Quam magnificata sunt opera tua Domine!* Et hic quidem primus fructus est, quem ex consideratione instrumentorum diuini Artificis percipiemus, si magnam de eo opinionem concipimus qui talibus vtitur instrumentis, licet ea ipsa non nisi superficie tenus intelligamus: eo fere modo, quo viatorem illum non instrumentorum nauticorum peritia & scientia, sed sola inspectio, de naucleri sui industriâ tutum & securum reddidit, per eam quæ videndo excitabatur opinionem. Non enim non magnus esse potest, qui magna & præclara adhibet; neque non exacta ea, ad quæ conficienda, tam exacta, tamque sublimia adhibentur instrumenta.

§. VI.

Adde quod tam præclara instrumenta non ideo confecerit Deus, vt ea tantùm essent in rerum naturâ, sed vt per ea naturam ipsam, visibilemque hunc mundum aptè dirigeret.

Talia sunt certè hæc instrumenta, vt Deus ipse ea approbarit.

36. ATque hoc quidem in præclarissimis illis corporibus præcipuè spectandum est, ea non idcirco creata esse vt in rerum naturâ existerent solummodò, sed vt iis vteretur ad præclaram hanc vniuersi machinam dirigendam, hominumque aptandam commoditatibus, qui eâ tanquam in naui vectores continentur. Illud modò considera, quàm accuratè instrumenta sua, vsibus & euentui rerum efformando applicet diuinus ille Artifex, qui ea ipsa tantâ industriâ & tam exactè confecit. Certè tam exacta è manibus eius prodiere, vt ea ipsemet laudarit eximiè, omnique prædita probitate declararit iam ab ipso nascentis orbis exordio. Gen. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* non quòd eâ bonitate præstarent, quæ ad bene aut malè agendum, ac propterea ad laudem vituperiumue requiritur; sed quòd eiusmodi essent, quibus Deus, secundùm naturæ designatæ ordinem, vti posset aptè & commodè assequendo fini à se præstituto, euentibusque rerum futurarum, secundùm sua placita temperandis. Ita sanè est, *vidit* & *Approbauit*: etenim erant bona & *valde bona*.

Attende in quos vsus ius Deus vtatur.

Hic verò rursus hæreo stupore defixus. Quis enim concipiat fines eos, quos sibi in hâc Vniuersi creatione, conseruatione, directioneque tot creaturarum, quæ numero vt sic dicam infinitæ sunt, diuina Mens præstituit? quis item admirabilem illum modum, quô cuncta inter se commiscendo & quasi inuoluendo, tamen præstitutum sibi attingit scopum, rectè enarret? Id tantùm dicere habeo, *Magnificata sunt opera tua Domine* & *Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.* Sed quod perscrutari non possumus, admirari certè possumus & venerari. 37. Ps. 91.

Cursim exponitur, quo pacto ad sublunaria Deus lunam, solemq́, quasi instrumenta omnis generationis & conseruationis adhibeat.

Hoc saltem, licet abdita non intelligam, satis video; Solem instrumentum esse quô totum Deus illustrat orbem; Solem esse quô calorem præstat; Lunam verò quâ humorem frigusque confert: horum autem influxuum mutuâ actione infractorum temperie, fœcunditatem omnem plantis animalibusque communicari. Istud video, quod ad Lunæ ascensum descensumque, certâ & ineuitabili lege Oceanus quantus quantus est turgeat, inflетur, ascendat; & rursus deturgeat, descendat, & quasi animos ponat; fluxuque aquarum & refluxu, motum illum æstumque causari tam necessarium purgando aëri, imò & aquis ipsis, ne nimiâ quiete torpidi & corrupti, exhalationibus suis orbem inficiant vniuersum. Video Solis motu quem cum firmamento communem habet, diem noctemque confici: ex obliquatione verò cursus proprij septentrionaliter orientali à principio Arietis, æstatem, hyemesque procedere: æstatem quidem vt calore matureſcant plantæ fructusque; hyemem verò, vt per frigus depresso plantarum vigore, illum ipsum radicibus extendendis fortiusque terræ infigendis, alimento denique sub terrâ quærendo & insugendo aptiùs impendant. Video Solem esse instrumentum quô vapores calore dissoluti, ex vasto attrahuntur oceano, vt sublimes ascendant, donec extra Solis reflexos è terrâ radios constituti, rursus frigore condensati in nubes coëant; quæ vento per exhalationes, aliis atque aliis locis excitato, toto aëre circumferuntur, tum vt vmbracula sint propulsandis æstibus, tumetiam vt iterum in pluuias resolutæ, quasi haustra deseruiant, quibus aquæ irrigandis agris terræque fœcundandæ, circumferantur. 38.

Verùm quid his inhæreo, tanquam aliquid pro rei dignitate dicturus? Rectè Ecclesiasticus. *Quis magnificabit eum sicut est ab initio?* 39. Eccli. 43.

initio ? quis artem vniuersam enodabit, nisi is quem nihil latet, & qui solus nouit omnia? Certè vt aliquid nouerimus, *Multa abscondita sunt maiora his, pauca enim vidimus operum eius* subdit Ecclesiasticus; & hæc ipsa quæ videmus, quàm tenuiter intelligimus! Quis id explicet quo pacto per hæc ipsa instrumenta floribus, frugibus, arboribusque incrementa subministrentur, folia, fructusque; & quidem per radices adeò informes & debiles, per quas quasi per anthlias, à Solis calore humores in altum extrahuntur, quibus non tantum fruticis arborisúe truncus augeatur & alatur, sed qui tandem in omnis generis flores fructusque efformentur & effingantur, tam diuersæ magnitudinis, coloris, imo odoris, & gustus, & ne quid oculis desit, pulchritudinis tam variæ & admirandæ?

40. Quis capiat artem, quâ per Solem, calidi humidique variam temperiem, tam diuersa metallorum saxorumque corpora, suis quæque in cauernis fabricet magnus ille artifex; quâ arte adamantes induret, gemmasque ex leui formet roris stillicidio; quâ industriâ, illic inter obscuras densasque nubes, niues, grandinem, fulgura, fulminaque cudat, iisdem planè instrumentis quibus cætera omnia, aliter tantùm aliterque dispositis & applicatis? Deinde quo astu frigida calidis, humidis sicca committat & commisceat, sic vt sese mutuo non destruant; & tamen iis ipsis, eam inducat in omnia quotquot extant corpora, quam percipimus varietatem? Denique quis rationes comprehendat, quibus inductus, huic Prouinciæ vbertatem quidem vini, alteri frumenti feracitatem, olei aromatumue copiam largitus est alteri, alteram verò non nisi in steriles extenderit myricas? *Profectò nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ Domine, & multa abscondita sunt maiora his.* Psal. 91. Eccli. 43.

41. Illud tantum cum omni veneratione admirabundus dicam, *Quia delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.* Subsilit certè præ gaudio mihi cor, instrumentorum tuorum præstantiam dum contemplor; non enim ea procurantur, nisi in magnos vsus procul dubio adhibenda. Et licet ea penitus non intelligam, illud certè iam intelligo Tua esse, & esse *valdè bona*, melioremque longè esse, ea vsibus suis aptantem & adhibentem manum. Psal. 91. *Hinc excita in te sanctam de Deo opinionem.*

42. Deinde, cum iam perspiciam, tot tamque præclaris instru-

Teque ei penitus subiicere incipe.

mentis instructum te, naturæ Auctor, Conseruator, & Director prudentissime, nihil iam restat aliud, nisi vt totum me gubernationi tuæ committam, securus mei, dum Tuus sum. Fateor, rationes sigillatim eorum quæ passim accidunt non intelligo; verùm & stuporem meum imbecillitatemque non ignoro. Illud enim iam video, quòd non sim qui mihi ipsi, vt maximè velim, ne vnicam quidem hyemem, nec æstatem, imo nec vnicum quidem diem serenum aut pluuium possim efformare; nec minimam quidem auram ventumque, quantumuis rebus meis commodum, pro arbitratu meo effingere; ne tum quidem cùm instrumenta omnia Sol, inquam, Luna, Planetæ, nubes, terraque ipsa, meæ potestati forent concredita. Quid igitur me vexo miser homuncio, quid me diuinis decretis, directionique cælesti immisceo, animal mortale, nec satis diuinorum capax? Fateor, agnosco. Itaque me tibi prorsus committo diuina & Æterna Mens; tu age, versa, dirige, pro vt visum fuerit magne Deus, tantùm *Proba me Deus & scito cor meum, & cognosce semitas meas; & vide si via iniquitatis in me est, & deduc me in viâ æternâ.* & rursus. *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniustitia.* Psal. 138. Psal. 118.

TRACTA-

TRACTATVS III.

Delectasti me Domine in facturâ tuâ, & in operibus manuum tuarum exultabo. Quàm magnificata sunt opera tua Domine! nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. *Psal.* 91.

Vt autem opinio quam de Dei prouidentiâ animo fixam habere debemus, magis augeatur: ostenditur eum etiam minima quæque & vilissima, vti quidem nobis videntur, dirigere, & Prouidentiâ suâ complecti.

PROOEMIVM.

NEcdũ arcana Dei mysteria ita peruestigauimus, vt non abyssus infinita adhuc restet perlustranda. Tantùm enim adorandum Sanctuarium Dei quasi cursim inspeximus: quæque oculis ob magnitudinem splendoremque maximè patebant, cælestia Artificis diuini instrumenta, corpora inquam cælestia admirabundi suspeximus. Iam verò id satis constat, obscurum conclaue subitò ingredienti, nihil admodum apparere ex his quæ isto atrio sunt disposita: diutiùs vero immoranti plura semper sese offerre, paulatimque fieri magis conspicua. Ita prorsus accidit, arcanum illud diuinæ prouidentiæ sanctuarium subeuntibus. Primò aspectui omnia adhuc obscura sunt, & maiora tantùm illustrioraque, sic quasi per nubem conspicienda sese offerunt. Ideo præclariora tantùm instrumenta in manus cœpi, oculisque adhuc caligantibus perlustraui; & quod solùm potui, sum admiratus. At verò, cùm diu immoratus illud quoque conspexi, tam ingentia, tam præclara instrumenta, minimis

nimis etiam quæ sub Luna sunt reculis dirigendis adhiberi; tum verò exclamaui, *Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.* quis hoc credidisset? istud quidem mihi persuadere conabatur humana Philosophia, ea quæ hîc contingunt casum ferre, fortunamque moderari: neque nëris intemperiem, neque animalium vitam mortemúe, neque terræ vicissitudines, diuinæ curæ subiacere, vtpote quæ tantâ maiestate prorsus indigna sint: at verò cùm omnia cæli instrumenta ad hoc dirigi & disponi video, vt sublunaribus dirigendis Artifici deseruiant & ad manum sint, tum verò *Confessus sum tibi Domine, quia terribiliter magnificatus es.* Hoc itaque iam ago, vt existimationem quam de Deo concepimus, magis augeam. Ostendam liquidò, non ingentium modò, quæ toto cælo vagantur corporum, curam gerere præstantissimum artificem Deum, verùm & minimis etiam rebus attentissimum inuigilare: neque adeo hoc esse indignum Deo, vt etiam hunc in finem, totam cæli symmetriam composuerit, & attemperarit. Psal. 91. Psal. 138.

§. I.

Ex tam constanti & vniformi cælestium corporum situ & circumuolutione, Philosophi Ethnici, vnum tantùm esse summum Deum & gubernatorem collegerunt. & hoc quidem rectè.

A maiorũ corporum consideratione, ad minorum etiam expensionem descendendum est.

QVòd si ingentium machinarum, instrumentorumque quæ in *Sanctuario Dei*, hoc est in arcano illo gubernatoris nostri conclaui vtcunque conspeximus & verò etiam suspeximus, sola consideratio; eorumque sic quasi per nubem conspecta præstantia, ingentem quandam admirabilemque de excellente artificis mente opinionem cœperit concitare; operæ pretium me facturum existimo, si in minora quædam, quæque quia iis assueuimus minùs æstimantur, oculos mentemque referamus, ex quibus profectò illud consecuturos nos video, vt maiorem adhuc ex iis admirationem opinionemque Artificis concepturi simus animo; vnicum sanè Tranquillitatis omnis vt dixi fundamentum; ac propterea omnibus ingenij viribus, animo, tranquillus vt sis, altissimè infigendum. Certè 1.

2. Certè ea quam hactenus proposui, attenta cælestium corporum inspectio, stupendus ille tantâque arte dispositus planetarum, stellarumq́; ordo & situs, æquabilitas & constantia in cursu tam vario tam diuturna sibique semper similis, influxuum verò effecta tam diuersa, tam necessaria, tam iucunda, totique atmospheræ tam accommoda, ita gentilium quoque oculos animosque suâ præstantiâ perculerunt, vt quamuis in ordinem omnia redigere, omnia ingenij sui viribus conarentur expendere & dimetiri, illud tamen statuerint, mentem aliquam existere necesse esse, hoc est, ni fallor supremum Deum, cuius arbitrio & designatione, hæc quæ oculis videbant, tam aptè concinneque, tam ad numeros omnes exactè fuere composita, & verò etiam disposita.

3. Quamuis autem planetis singulis, & orbibus, quibus diuersum ineſle motum perspiciebant, singulos etiam diuersosque genios affigerent, hoc est minores vt ipsi appellabant Deos (Angelos diceremus nos) eorum cursus qui temperarent, machinæque quisque suæ conseruandæ & obseruandæ attenderent; illud tamen etiam rectè colligebant homines acutissimi, fieri minimè potuisse, vt tanta proportio, tanta symmetria, tanta tamque accurata coniunctio & ordo seruaretur tot annorum euolutis iam spatiis, sine vllâ dissentione, concussione, aut incursu impactorum inter se corporum, tantâ tamen properantium celeritate; nisi vna & verò vnica esset Mens, cuius ingenio omnia fuerint expensa, arbitrio disposita, & tandem imperio perfecta; ac deinde geniis tradita, gubernanda tamen non suo genio, sed secundùm Mentis illius vnicæ ac supremæ æternas leges.

Ex cælestiũ instrumentorum symmetriâ, gẽtiles colligere, vnũ esse omniũ moderatorem Deũ.

4. Rectè collegerunt id Philosophi; Vnicus sit oportet qui dirigat omnes, vbi agunt plures; & quo plures sunt qui agunt, eô maior vni tribuenda est auctoritas; ne dum non vnus agere satagit, turbentur, & sic frustra laborent omnes. Certè dum magnificum quoddam erigendum est ædificium, quisque opifex artem exercet suam: & rusticus quidem fundamento iaciendo terram excauat; latomus ordine ad libellam componit lapides, quos ad rectos angulos lapicida detruncauit: anchoras autem cæteraque ferramenta ferrarius adaptat faber. cùm carpentarius trabibus tigillisque decurtandis & dedolandis totus incumbit, quisque suo intentus operi. Quòd si verò quis curiosus inquirat, eccur fos-

Probatur eos rectè id collegisse.

fores quidem non longiori tractu fossas eruderent, latomi non altiùs muros educant, cur hæc quæ dantur, non verò alia à lapicidis saxa excipiant, cur eo loco columnas figant, cur columnæ ad istam non verò ad aliam reducantur figuram, cur trabes ad talem longitudinem decurtentur? si id illi reponas, murorum interuallo vt conuenirent, latomos ad eam & non ad aliam mensuram muros eduxisse; rogabit illico, quid quæso causæ sit, cur carpentarius suam operam cæmentario potiùs, quàm suam hic illi accommodet? Atque hinc quidem rectè conficiet, alium quendam esse cui pareant singuli, & cuius industriâ omnes dirigantur. Neque qui tot tamque diuersa inter nauticos homines munia contemplatur, hos quidem vela substringere, alios expandere; rudentes hos attrahere, remos expedire alios; hunc assidere clauo, hunc bolidem dimittere, illum altitudinem Solis quadrante annuloue excipere; alium vento, alium inuigilare clepsydris; minùs euidenter coniiciet, non pro cuiusque libitu hæc ita fieri, verùm Magistri alicuius, & quidem vnius arbitrio, tantum in tam dispari labore stare consensum.

Si enim plures essent, sub vno moderatore non dependētes, aut nunquam extitisset hæc rerum machina, aut citò periisset.

Hâc sane argumentandi methodo, olim Philosophi in vnius 5.
omnia dirigentis Dei cognitionem fuere delapsi. Nam vt ita foret, & vnus quidem genius, minorúe Deus (Angelum dicamus nos) Solem efformasset, Lunam alter, alter Iouem aut Saturnum, alij astra cætera cælorumque orbes, singuli singula efformare potuissent, atque si ita vis etiam efformassent; quo pacto fieri potuit, vt eam quisque magnitudinem obseruaret, quæ corporibus omnibus inter sese aptandis sigillatim conueniret, nisi vnius designatione singula rite determinentur? Hoc verò si non fiat, en quanta illico, minores inter Deos subortura est contentio, quantæ rixæ, bella quam atrocia? nemo enim de iure suo quidquam concederet, nec vllam pateretur in suo opere mutationem. Certè minor ille Deus seu genius Lunæ opifex contendere potuisset, opus suum non vsque adeo deprimi debere, vt postremo loco & terris proximo statuatur; non adeo esse deforme, vt non in ipso firmamento figi possit inter alia astra conspicuum. Solis vero genius id volet euincere, vt saltem non infra Iouem, edentulumque Saturnum detrudatur, neque lucidissimum sanè sidus præ plumbeo obscuroque debere contemni. Rursus conqueretur cur suus planeta, tantâ celeritate non sine

offensionis

offensionis periculo impellendus sit, vt vno absoluat anno cursum, quem tardipes ille, veternosusque senecio Saturnus inquam, non nisi triginta statuat annis conficere? quid, quòd non leuis hic rursùs Lunæ genio detur conquerendi ansa, vt quæ viginti nouem diebus vastum illud iter cogatur absoluere, quod Sol anno vno, Saturnusque triginta pro suâ commoditate lentus legit; cui libeat, inquiet, ita gyrare æternitate vt sic dicam totâ, ita circumferri, ita rotari, toties oriri, toties occumbere, toties lumen amittere, toties vmbram terræ subire, toties Soli se opponere, toties eclypsim pati? patiantur hæc qui volent, ego certè non feram, non patiar. En nonne hîc ampla, & quidem iusta contentionum est materia? & nisi quis vnus omnibus imperet, quis turbatos animos sedabit, quis rebus cælestibus modum ponet? Profectò bella oriri, mutuisque odiis perire, minores illos Deos necesse est; cælestiaque illa corpora, mutuâ inter se collisione & arietatione detergeri & labefactari. Minimè igitur tot inter bella, animorumque dissensiones, tot iam annorum millibus stetisset stabilis illa cælorum astrorumque harmonia, nisi ad vnius imperium nutumque attemperata.

Hoc inquam filo ducti Philosophi, ad agnitionem vnici Dei, cuiusque arbitrio & Prouidentiâ cælorum orbes dirigantur, deuenere.

§. II.

Non rectè tamen voluere Philosophi Dei Prouidentiam ad sublunaria sese non extendere

6. ET hactenùs quidem rectè ratiocinando prouecti sunt Philosophi, illud tamen perperam inter sua dogmata statuêre, quòd cælis tantummodò diuinam affigentes Prouidentiam, ad sublunares res eam descendere, minimè sint passi, errore si vel rationem solam spectes, sanè grauissimo. Aristoteli dogma tam futile adscribit D. Ambrosius, *Aristoteles*, inquit, *asserit vsque ad Lunam, eius descendere prouidentiam*, quod quidem Epicuræis ita placuit, vt expansis illud brachiis sint complexi. Pugnant illi Deum, vt sanè cælestia moderetur corpora, minora tamen humilioraque

Non rectè tamen statuerunt Philosophi Deũ sublunaria non curare.

Ambr. l. 1. Offic. c. 10.

milioraque, nubes puta, aërem, terram, iisque contenta animalia, non esse ei curæ sed contemptui.

Primò quia id indecens Deo in multis.

Et hoc quidem primò, quòd sanctissimum illud venerandumque Numen, vilissimis, quæ passim in atmosphærâ conspiciuntur, rebus applicare absonum planè sit, indecens & indecorum. Quid enim? non hominibus dico (& tamen quid sunt homines, nisi abiecta & terrena animalia) sed vermibus, sanguisugis, muscis, vespis, ranis, muribus, & serpentibus, vt alia fœtidissima fileam corpora, diuina se Mens admoueat, quibus ne manum quidem suam homo quis honestior, sine fastidio possit applicare? putida sunt hæc, & exilia nimis, & tantâ reuerentiâ prorsus indigna. Neque ea quæ toti regno à Rege aliquo impendenda sunt studia, culinæ sordibus, aut felibus enutriendis, nisi à socorde & ignauo homine adhibentur. 7.

Secundò quia nimis exigua sunt pleraque tanta mẽti.

Deinde an hoc non ridiculum, vt credamus supremam illam intelligentiam, minutissimis reculis attendere? nam si hoc ita est, certè ventos etiam nubeculasque minimas, neque has tantùm, sed & folia, arenulas, quinimo & atomos eum obseruare, imò & numerare necesse est, oculisque prosequi cùm vento auferuntur, quô tandem decidant, quô quiescant loco. Et an hæc sunt studia digna Deo? quis id ferat, qui tantum Numen veneratur? 8.

Tertiò quia in humanis quoque multa fiũt indigna Dei prouidentiâ.

Tertiò denique, si saltem inter sublunaria, humanas res eius curationi subiectas contendis; præterquam quod homines ipsi, non sint occupatio digna Deo, an verò tam feliciter cum rebus humanis agitur, vt Deum iis sese impendere sit credibile? an ea esset tamque iniusta diuitiarum in improbos quoque facta elargitio, proborum verò ea indigentia; horum depressio tanta & contemptus, illorum verò tantus fastus & potentia, si ista à Numine aliquo pio & iusto rerum moderatore regerentur? denique si humanis rebus modum poneret Deus, an hoc pateretur, contemni se passim quotidie, & imperata despici summo certè Diuinitatis suæ despectu & iniuriâ; quam tamen à se auertere & amoliri in manu suâ sit? Quid pluribus opus est? profectò, humano hæc omnia ingenio geri, hominumque pro suâ improbitate quidlibet audentium arbitrio, aut certè casu & fortunâ sic ferente contingere, manifestum est. 9.

Verùm superuacua

Et hæ quidem sunt blasphemæ voces, eorum quibus Deum esse, 10.

esse, aut non esse perinde est, imò quibus diuinum Numen superuacaneum est, aut potiùs odiosum: hominum inquam *quorum Deus venter est, qui terrena sapiunt*, quique insanis vocibus illud itentidem impiè occlamant *circa cardines cæli perambulat*, iis dirigendis, totus quantus est, impeditus Deus; item *cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum*, eam nempe pro suâ libidine, summoque Numinis, cuius præstantiam verbis extollunt, cum contemptu, inculturi post hac, & pudendis sceleribus impleturi.

hac honoris diuini cura ingès blasphemia est.

ad Phil. 3.
Iob 22.
Ps. 113.

11. Verùm cùm ad singula respondere non possim hodie, certè ea quæ liberum hominis arbitrium, fortunæque vicissitudines spectant, non attingam modò: illud tantùm persequi est animus, quod de rerum vt ipsi dicunt vilissimarum curâ, tanquam Deo indignâ, insanè & putidè, imò impiè obganniunt. Et primò quidem, vt Ethnicum hominem impietati tantæ opponam, lubet generalem quandam Simplicij verbis adhibere responsionem; quam deinceps singulari, magisque instituto sermoni accommodatâ ratiocinatione prosequar.

Probatur id responsione generali Simplicij.

12. Quod si Dij, inquit Simplicius, rebus non consulunt aut prouident, *aut quia non possunt non prouident, aut quia nolunt. iam si quia non possunt, id fit aut propter magnitudinem rerum humanarum Dei potentiam excedentium; aut ob paruitatem & vilitatem, prouidentiam effugientium. Si cum possit, non vult, aut ob delicias & ignauiam eas negligit: aut rursus quòd ob paruitatem & vilitatem, quamuis possit, eas aspernatur. Cùm autem generalis diuisio sit huiusmodi, interim ad omnes eius sectiones sic dicendum.*

Simpl. in c. 38. Epict.

13. *Cùm tale sit Numen quale descriptum est, cognitione præditum exquisitissimâ, & potentiâ firmissimâ, & voluntate optimâ, & omnes res à se producat, nec ignorat res à se conditas esse curandas (qui stupor ne in stupidissimas quidem pecudes cadit, nam illæ quoque suos curant fœtus) neque ob magnitudinem relinquet; quî enim maior erit res conditore suo? Neque vt viliores quàm quæ curentur, aspernatur. nam si tales erant, cur omnino condebantur? At nec voluntas eius est accusanda, quasi ob delicias & socordiam eas negligat: hominum enim isti affectus sunt, nec omnium sed non proborum: cùm ne pecudes quidem ita delicatæ sint & ignauæ, vt fœtus suos negligant. Neque verò tanquam viles eas contemnit, quas condere non est dedignatus. Sic nullo modo fieri potest, quin Deus consulat rebus à se conditis.* ita

Simplicius, ille doctissimus Epicteti commentator, concisè, verè & piè.

Deinde particulari petitâ ex fine ob quē cælestia corpora sint formata.

Iuuerit tamen altiùs hanc rem prosequi, diuinumque honorem defendere, quem omnis religionis osores impetunt & profligant, venerationis maiestatisque diuinæ, callido sub prætextu. Et vt iam quidem nihil de infinitâ Dei sapientiâ dicam, de quâ Tractatu proximo prolixior mihi instituendus est sermo: dic amabo te, quâ fronte Deo sublunarium rerum administrationem & curationem audeas detrahere, quasi cælestium corporum globis disponendis & dirigendis satis superque impedito, hoc illi nempe opus, hanc curam incumbere; cum hæc ipsa corpora non alio fine molitus sit, quàm vt per ea tanquàm per apta instrumenta, totam quam incolimus sublunarem regionem, incolasque beneficiis repleret vt naturæ auctor, & rectè vt beneficus Pater administraret? Non satis intelligo, quo pacto Aristotelis ingenium & ratiocinatio in Lunâ hæserit, quidue homini ingeniosissimo in mentem venerit. Attendite si placet ea quæ dicturus sum, ingerent ea paulatim rectam quam de Deo habere conuenit opinionem: quam vt bene firmauero, confecutus sum omnia. 14.

§. III.

Deum non cælestia tantùm sed & sublunaria, & quidem minutissima quæque curare, probatur ex ipsâ cælestium corporum constructione & fine.

Vrgetur hæc ratio. certè corporum cælestium cõstructio & motus propter se non est, sed propter sublunaria.

AGedum ergo Philosophe, quisquis es, quid dicis? cælestia corpora curare Deum, sublunaria non curare. Videamus porrò, quàm id rectè concluditur. An ergo cælos, cælorumque cursus tam varios, Astraque idcirco esse autumas tu, vt essent in rerum naturâ tantùm, an verò vt ad alium referrentur finem? Certè si motûs omnis, prout hi ipsi Philosophi cum Aristotele statuunt, finis est quies, continua illa cælorum circumgyratio, tot iam elapsis annorum millibus, finem suum non obtinuit, neque obtinebit porrò, donec hic quem videmus naturæ perstabit status. Ad alium itaque refertur finem, orbium illorum continuus 15.

nuus motus. Neque iam opus est illud longiùs prouehere, cùm & ipsimet id fateantur, & verò experientiâ satis constet, quantum in his sublunaribus per altiores illorum corporum influxus, mutationis accidat: quod vel solæ noctis, & diei, hyemis æstatisque accessus recessusque, maris vicissitudines, & corporum in pleniluniis, & aliis Lunæ planetarumque affectionibus, mutationes luculentè testantur. Nimis clara res hæc est, quàm vt longiùs deducatur.

16. Id verò iam vrgeo; an hoc rationi consonum credis tu, Deum Prouidentiæ suæ thesauros impendere cælestibus illis corporibus ordinandis, ad ea verò non attendere, propter quæ ea ipsa corpora & confecta, & hoc quo videmus ordine situque sunt disposita? Hoc enim verò persuadeat mihi quis, nauclerum artis suæ instrumenta curare, quibus in arcano suo, prout explicui, Tract. 2. §. 1. conclaui vtitur, totumque eius studium in hoc consistere, vt Astrolabia, quadrantes, compassum, regulas, cæteraq; rectè in suos gradus minutaque diuidat: acus nautica accuratè ad magnetem & ex arte sit affricta; alia verò armamenta nautica non expendere, neque velis, neque rudentibus, neque remis, neque clauo, neque adeò vectoribus epibatisque vllo modo attendere; cùm tamen in horum vsum directionemque instrumenta illa constet esse confecta? Solem, Lunam cæterosque planetarum orbes conficit Deus, terræ fœcunditatem vt det; pluuiam, grandinem, niues, frigus, caloremque suo quæque tempore vt induceret; animantibus procreandis alimenta vt suppeterent, gramine humum, hortos floribus, foliis fructibusque frutices & arbores vt conuestiret; interea terræ non aduigilat, omnia permittit casui; nascantur, non nascantur animalia; alantur, an pereant parum ipsi pensi est, modò circa cæli cardines rectè peragantur omnia. Quis id credat, nisi aut cui mens sana non est, aut est peruersa?

An ergo credibile Deum instrumenta sua curare tantùm, negligere verò ea, propter quæ instrumenta illa condidit

17. An non id saltem perspicitis, si quidquam luminis vobis est super, instrumenta cælestia tantâ arte distribui, & tanto ordine composita conseruari, vt hunc quem videtis rerum ordinem in terris disponeret, dispositumque conseruaret? ita sanè cùm insanis illis, nimiumque ratiocinio suo tribuentibus Philosophis, Iob 38. expostulat Deus ipse, teste Iobo. *Numquid nosti ordinem cæli, & pones rationem eius in terrâ?* ac si dicat: si percipis cælorum motus, siderum influxus, Planetarumque discursationes si intelligis,

gis, nonne illico luce meridianâ clariùs cognoſces rationem tantæ machinæ à terrâ dependere, hoc eſt, non niſi in ſublunarium vſum & commodum fuiſſe procreata? & tu interim inſtrumentis vacare me, *cardines cæli perambulando* deterere, & ad præcipuum, cui illa deſeruiunt opus, non attendere blaſphemus finges?

Exponitur abſurditas huius ſententiæ, in familiari artificis horologia componentis comparatione.

Attendite vos ſi placet Auditores, & inſanam Philoſophorum collectionem, ex eo quod iam dico, percipite. Quod ſi artificem magnâ ſeſe induſtriâ automati, ſeu hologlogio quod rotis circumagitur conficiendo impendere videretis; totos dies rotulas in ſua membra denteſue diuidere, excauare, perpolire: tympana cochleaſque rectè diſponere, vt dentes dentibus, rotæ rotis correſpondeant, mutuoſque excipiant & retardent lapſus; omnibuſque ritè confectis, tabellam cui inſcriptæ horæ, manumque quæ eas deſignet extrinſecùs affigere, ſupernè vero æs campanum erigere, malleumque imponere, qui quot horas, totidem ictibus prodat; denique iuſta pondera diu expendere, & tandem appendere, quibus automa totum, tota inquam machina, certo ordine & debitâ celeritate moueatur. Quis, inquam, hæc oculis ſuis perſpiciens, ſi modò præter oculos, mentis habeat aliquid, iſtud ſibi perſuaſerit, non aliò ſpectare hæc omnia ex artificis mente, quàm vt rotulæ circumferantur, neque alium habere finem? horæ autem an deſignentur ab indice, aut à malleo campanæ incumbente proclamentur, an non; & quæ deſignantur, an deſignentur rectè, horane audiatur tertia cum ſit duodecima, nihil id quidem curare artificem; cui id niſi parùm ſano imponetur? Tamen, inquies, ſemper artificem video rotulis adhibere manum mentemque: iam pondera attrahere, iam minuere, iam augere, iam denticulos abradere, limare, perpurgare, campanulæ verò horiſque, ne digitum quidem adhibet, aut ſi adhibet certè id quidem facit admodum perfunctoriè. At verò vir minimè male, non attendis ideirco rotis ponderibuſque tantum ſtudium adhiberi, quòd ab his omnis campanulæ ſonantis, & maniculæ horam indicantis directio dependeat? Niſi fortè tam ſis amens, vt malleum ſuâ ſponte ſe mouere credas, ictuſque quotlibet, & quot ei in mentem venerit, campanæ imprimere, horaſque pro vt caſus tulerit, indicem demonſtrare. 18.

Qui non tantum ro-

At vero dices, demus ſanè, ad horas integras dirigendas artificem 19.

tificem attendere: illud tamen minimè credo, semihoras quòd curet, aut quadrantes; exiguæ hæ sunt minutiæ, neque dignæ satis quibus ingenium istud attendat, quod rotulis tam egregiè accurateque conficiendis rectiùs impenditur, quam quadrantium exprimendorum anxiâ & parum vtili curâ. Quid enim? an tanta res est quadrans, vt illi totam impendat machinam, artemque suam?

tarum, & horarum, sed & quadrantium & minutorum exactam rationem habet.

20. Næ tu profecto automatum imperitus es, ista qui loqueris! ignoras sanè quod sit automatis illius horologiique officium & finis: quin imò, quo peritior est artifex & exactior, eò minimarum etiam rerum, quæ machinam totam constituunt, maiorem habet rationem, conscius in minimis totam consistere machinæ elegantiam & perfectionem. Idcirco non horas modò & quadrantes, sed & minuta singula exprimere, in votis habet. neque verò minoris molis est & artis, quadrantem vnum minutumque exactè horologio determinare, quàm horam diemue integrum: imò illud conficere, maioris artis est.

§. IV.

Deum vero cælestibus corporibus veluti instrumentis vti, ad sublunarium curationem, expenditur, & declaratur.

21. RVdem sane obscuramque quamuis, aliquam tamen diuinæ industriæ, quam in procurandis rebus sublunaribus Deus adhibet, imaginem exposuimus: quam si Aristoteles non intellexit, aut potiùs intelligere si noluit, magno tamen ea nobis erit vsui, vt curam quam rerum omnium, humanarumque potissimum, gerit Deus, liquidò cognoscamus. Verùm humana non attingentes modò, ea quæ terræ, terrenarumque rerum curam spectent, tantummodò exponemus.

Ostenditur quod cælestia, corpora, sublunariũ sint instrumẽta.

22. Certè si res omnes prout in hâc atmosphærâ obueniunt, tantummodò oculis contemplemur, vicissitudinem inquam aëris, ventorum inconstantem rabiem, pluuias, grandinem, niues, glaciem, calorem, frigus, dies noctesque, & has quidem modò breues, modò longas, modò mediocres, obscuras modò, modò sublustres: rursus, anni tempestatem & temperiem adeò diuer-

Quæ sit singula seorsim spectata, casu credes accidere omnia.

sam ; & nunc quidem arbores fruticesque, in flores & folia calices suos expandere, quibus decentissimè quasi vestiuntur; nunc vero denudari vestimentis omnibus ornamentisque spoliari, sic vt non nisi squallida extendant brachia, luridos stipites & siccos ramos : item animalium distinctionem ; dum alia quadrupedia terram occupant, aërem alia circumuolitant, alia vndis incubant, alia denique intra terræ, quam reptando radunt, viscera sedem ponunt : hæc vero omnia & singula, modò nidos construere, modò generare, modò pullis vndique alimenta conquirere, modò sedes etiam gregatim mutare : hæc inquam si superficie tenus tantùm aspicimus, certum est puerorum instar, qui horas mallei campanæque repetitis ictibus indicari audiunt, artisque omnis quæ in rotis est, ignari sunt interim, illico exclamaturos nos, hæc quidem omnia casu euenire : noctem esse quia nox est, æstatem quia sic contigit, pluere quia sic cecidit, res ire prout eunt, & quòd eant casu fortuito, & sic quasi temerè.

Sin verò ordinatam rerum, etiam minimarũ originem & interitum attendis, artificem illico summum admiraberis.

Verùm qui penitiùs altiusque rem considerat, omnemque rerum ordinem vicissitudinumque symmetriam attendit ; & quidem hyemes æstatesque in orbem ire, sesequè per veris temperiem, autumnique humores statis temporibus excipere ; noctes & dies certis fixisque interuallis minui & augeri : frigora, caloresque per vices imperium tenere & sibi inuicem prædominari : animantia & volucres, suos habere præfixos terminos, quibus nidos summâ arte construant, pullos excludant, foueantque : arbores autem & plantas id veluti persentiscere, ecquando calices floresque fas sit protrudere per naturæ leges, idque non ante præfixum tempus moliri audeant aut possint ; rursus quamdiu folia sustentare, & quasi manu-tenere, quando verò ea debeant manumittere, & sub terras vires contrahere, extendendis radicibus nouisque quasi suppetiis conquirendis : insecta denique ipsa, ne sim infinitus, muscas, culices, locustas, cynipesque certis prodire temporibus, certis agere, certis occumbere : atque hæc omnia suis euenire tempestatibus, suis esse, suis redire, idque iam tot annorum non interrupto lapsu, modoque ferè semper simili & eodem : quid qui eiusmodi cogitationibus mentem implet, exclamare poterit, nisi magnificum illud Dauidis, quôque omnia continentur, *Magnus Dominus & laudabilis nimis*, magnus omninò 23.

omninò artifex, qui tantam varietatem, sine vllâ totius machinæ, artisq; varietate, inter se committit, continet, & moderatur.

24. Magisque percellor, & in eâ quam de Deo concipere incipio existimatione confirmor amplius, quòd artificium obscurè saltem intelligam, illudque percipiam *Cœli ordinem è terrâ rationem petere*, cùm videam liquido, ea non nisi sublunaribus rebus aut procreandis, aut fouendis, aut permutandis deseruire; & in hunc finem à Deo quasi instrumenta applicari, sicut rotularum lapsus horologio dirigendo. Illud enim certum est & manifestum, quòd si Solis tantummodò Lunæque cursus sisterentur, vnóque starent fixi loco, totam illico inuertendam esse imò subuertendam terræ machinam, omnem illico perituram Vniuersi symmetriam. Nam præterquàm quòd alteri hemisphærio perpetua nox incumberet, quæ frigore & obscuritate, totum illum terræ tractum redderet inhabitabilem: illa certè sphæræ dimidia pars, cui Sol perpetuò directus immineret, parum foret animalium vsibus accommodata, & quæ plerumque foret sterilis. Regiones enim illæ, quæ proximè Soli subiacerent, radiis caloreque adustæ, & in puluerem redactæ, nullum frugibus darent locum, animalibus verò ne respirandi quidem facultatem, tantis ignibus ardens aër: remotiores verò à sole prouinciæ, perpetuo rigerent frigore, atque adeo habitationi victuique minùs accommodæ; aliquæ tantùm regiones intermediæ, temperatiori fruerentur aurâ: sed hæc terræ portio, tantæ non sufficeret alendæ hominum animaliumque multitudini; præterquam quòd quatumuis remissus calor, si semper duret, nec vllâ vicissitudine temperetur, sensim terræ succum exedat, humoremque subducat, aërem verò malignitate corrumpat, vnde id quidem foret consequens, generationem paulatim diminuendam, fruges annonamque putrefaciendam, aërem respirationi necessarium inficiendum intemperie, totumque hoc modo hominum, animaliumque genus, breui tempore conficiendum.

Iob 38.

Probatur autem, ad hæc producenda, cælestia corpora adhiberi.

25. Aduertite nunc quantâ industriâ rotas illas, orbesque cœlestes mutuò inter sese nexu, horologij instar composuerit, vnumque alteri innexuerit sagax Deus. Supremam quidem quasi primam rotam, Firmamentum statuit magnus ille artifex, à quo ceu à primo mobili, aut si id primum non est, saltem vt à secundo, oculisque nostris magis conspicuo astra omnia, Planetarumque

Per motũ Solis, omnis anni, tempestatum, dierumq; & noctiũ varietas tam

necessaria orbi inducitur.

rumque orbes raperentur, diurno motu ab ortu occasum versùs: & hæc est noctium dierumque origo. At vnde tanta inter hos diuersitas? dicam: interim ita raptus Sol, obliquum ipse carpit tramitem, orbemq; suum percurrit Septẽtrionem inter & ortum medius, cùm in vere Arietem ingreditur; cursumque hunc absolut vno anno, quem quidem Luna 29. diebus, hoc est plus quam duodecies vno anno conficit, suas interim gyrationes circa Solem voluente Venere, & suas Marte, calores & intemperiem Solis sine dubio, frigore suo & influxibus nobis non adeo cognitis, vt attemperent. Atque eccum dierum variationem, æstatis hyemisque vicissitudines, & omnium rerum sublunarium semina & exortus.

Ità frigus, calor, venti, pluuia exteraque animalũ vita & generationi conducentia.

Sol namque per diem radios caloremque explicat, qui rursus per noctem temperatur. Calor hic vapores passim excitat, eosque è terrâ marique latè educit; qui per noctem condensati in nubes coguntur; & dum condensantur cogunturque, aër magnâ vi exprimitur, qui sic expressus ventum facit; venti verò in proximas impacti nubes, eas aut pluuiis, aut grandine niuibusque grauidas toto aëre circumferunt, aut Solis ardori temperamentum allaturas, aut pluuias rigandæ terræ, niuesque fouendo solo, quasi haustra circumlaturas: & hinc terræ debita fœcunditas. Semina interim fruticumque radiculæ & stirpes, calore solis excitantur, humoremque attrahunt, quem per venulas fibrasque in varia forment folia & fructus; spiritus subtiliorúe sanguis animalium alitur, & generationi aptatur, vires dantur quibus actiones quæque suas expediant, adurendas procul dubio calore perpetuo, & frigore etiam perpetuo nimium constringendas. Hinc omnis ea, quam non satis admiramur, rerum varietas, exortus, discursationes, sustentatio, & occasus: & omnia suis aptata locis & temporibus; quæ quidem non à floribus tantùm terræque fructibus, sed & à muscis ipsis, vespis & culicibus rite & exactè obseruantur. 26.

§. V.

§. V.

Deum vero esse & non alium, qui cœlestibus corporibus vt instrumentis vtitur ad sublunaria dirigenda, magis expenditur & è Scripturâ probatur.

Deum autem esse quibus instrumentis vtitur ad minima quæque sublunaria gignenda probatur ex Iobo.

27. IAm verò quis id credat, aut aliam præter diuinam, omnemque omnium rerum naturas circumstantiasque, quæ numero infinitæ sunt, complectentem Mentem, hæc tam varia tamque necessaria terræ administrandæ instrumenta, rite potuisse disponere, ad singula prout in lucem veniunt producenda? aut Deum terrestria non disponere, quis dicat, qui cælestia terrestribus tantâ industriâ adaptauit? An ergo horologij artifex, rotarum & quadrantium rectam dimensionem designationemque non curat, & rotis tantum inuigilat, cùm has non nisi illis exhibendis construxerit? Agite porrò, inquit, non sine stomacho, quasi caussam suam acturus Deus, Iobo teste: vos qui sublunarium curam impiè mihi denegatis, auctorem producite, & si potestis edicite tandem. Iob 38. *Quis dedit vehementissimo imbri cursum, & viam sonantis tonitrui, vt plueret super terram absque homine in deserto, vbi nullus mortalium commoratur, vt impleret inuiam & desolatam, & produceret herbas virentes? Quis est pluuiæ Pater, vel quis genuit stillas roris? De cuius vtero egressa est glacies, & gelu de cælo quis genuit?* & quasi si artem quâ hæc omnia conficit, quamque iam generatim exposuimus, quæ tota in stellarum dispositione consistit, mortalibus vellet declarare. *Numquid*, inquit, *coniungere valebis micantes Pleiades, aut gyrum Arcturi poteris dissipare? Num quid producis luciferum in tempore suo, & vesperum super filios terræ consurgere facis?* Quòd si neque tu, neque alius quisquam instrumentorum aut compositionem, aut ordinem, aut motum in manu suâ habeat præter me, quâ fronte eorum quæ non nisi hisce instrumentis conficiuntur, auctorem alium ponis, aut eorum mihi detrahis productionem?

28. *Quis itaque dat vehementissimo imbri cursum & viam sonantis tonitrui?* Quis non obstupescat? pendent in aëre nubes multâ pluuiâ grauidæ, quam tamen nimio frigore constipatæ eniti non

possunt: excitatur itaque superiori in aëre vehementissimus ignis, fulgur inquam, & tandem fulmen, quod summo impetu & celeritate nubem condensatam perrumpit, non sine ingenti strepitu & fragore dissilientium vndique nubium (& hic fragor tonitru est) nubes autem sic concussæ, in aquas illico dissoluuntur, quæ lapsæ per aërem in liquidissimos coguntur globulos, qui quidem pluuiam constituunt: sin autem globuli illi sic decidentes, in frigidiorem aliquam auram delabuntur, in niuem efformantur, aut certè in grandinem. Dic amabo, quem tu dicis modò pluuiæ patrem? eum certè dicere necesse est, *qui educit nubes ab extremo terræ, fulgura in pluuiam fecit, qui producit ventos de thesauris suis.* Interim pluuiâ hâc fœcundatur humus; radices vero stirpesque humorem sugunt & attrahunt, vt matris papillas infantulus. Quis verò eas id edocuit? Et ne de maioribus hæc tantùm à Deo dici putes; *Quis*, inquit, *genuit stillas roris?* stillas inquam guttasque singulas quis genuit, non ingentis modo pluuiæ, sed vel roris matutini? quis rorem ipsum ita coxit & attemperauit, vt flosculis delicatissimis alimentum, imò & limacibus apibusque escam præbeat sanè tenerrimam, mox conuertendam in dulce mel? Psal. 134.

Fidē ex testimonio Christi.

29. Et hæc quidem Deum non curare, instrumentisque suis tantùm attendere, cætera casum ferre, est adhuc, qui euincere præfractus volet? Profectò vel vnius Christi conuincitur testimonio. *Respicite inquit volatilia cæli, quoniam non serunt neque metunt neque congregant in horrea, & Pater vester cælestis pascit illa.* an casu pascuntur, quos cælestis pascit Pater? Rursus *considerate lilia agri, quomodo crescunt; non laborant neque nent.* vnde ergo eis hæc prætexta tam nobilis, toga tam candida & decora? an casu facta, casu inuenta, casu scapo viridi superexpansa? Deus sic ea vestit, inquit Christus. Et verò aliud credere quis possit, Diuinâ nempe destinatione hæc omnia non euenire, quæ tanto ordine video digesta? frutices suam habent altitudinem, suam flores, flores singuli sua foliâ designatæ latitudinis, coloris, odoris, imò & numero fere semper paria: & ad hæc omnia, culicem etiam & muscam ne excipias, video cælum concurrere vniuersum. Matth. 6.

Illud verè admirandum, quod

30. Quid enim? an vilissimus ille quantumuis flosculus, aut limax ille abiectissimus, produci potuit sine humore & calore, corpori-

corporibus illis gignendis attemperato? minimè verò. At calor vndenam principium sumit nisi à Sole, & à nube humor? Rursus, quæ nubium origo nisi Sol, qui radiis suis quasi antliâ vapores è mari eduxit, & à salsugine depurauit? Denique calor Solis atque adeo Sol ipse, à quo demum prodiit, nisi ab infinitâ illâ Artificis omnia dirigentis Mente?

iisdem instrumentis vtitur Deus vt minima quæque producat, quibus maxima protulit.

31. Quis hæc duo non obstupescat, & quis non in tanti Numinis admirationem rapiatur? Primò, tam multa, tam ingentia, tam stupenda instrumenta fuisse præuia, & omnia adhiberi ad flosculi vnius, vnius folij, vespæ vnius, ranæ limaciſque efformationem: iisque efformandis debitoque ordine collocandis instrumentis, incumbere tantum Deum? Deinde, non minori arte paucioribusque instrumentis cælestibus opus esse, ad procreandam muscam minimam, quàm ad gignendos maximos elephantes; neque minorem illis, quam his producendis à Deo industriam adhiberi. Quis hîc non admiretur, quis non stupore defixus hæreat? Certè minùs id mirabitur, cui iam perspectum est, totidem rotulas ab artifice adhiberi, vt in horologio designentur minuta singula, quam vt horæ integræ, dieſque tota,

§. VI.

Adeò non èsse Deo indignum, vt contra glorioſissimum sit, minima quæque producere, eorumque curam gerere.

Neque hæc minimarũ rerum cura indigna Deo est, cũ omnium sit creator.

31. AT verò inquies, vt illud demus, magnâ se industriâ Deum impendere vt sublunaria omnia producantur; illud tamen non est credibile, conseruationi singulorum mentem aduertere; indignum id certè videtur Majestate tantâ, viliſſimis hiſce reculis & quasi nugis impediri. Verùm Ambrosio quæso respondeDiuinitatis curator præpostere. *Quis operator negligat operis sui curam? quis deserat & destituat quod ipse condendum putauit? si iniuria est* (nempe Deo) *regere, nonne est maior iniuria feciſse; cum aliquid non feciſse nulla sit iniustitia, non curare quod feceris summa inclementia?* Ne in pecudes id quidem cadit, vt rectè ex Simplicio paulo ante dicebamus. Rursus alio in loco Ambrosius. *Est aliquid hâc assertione stultiùs, vt feciſse dicatur mundum, &*

Amb. l. 1. Offic. c. 13

Amb. in Rom. 1.

& curam eius non agere ? Vt quid fecit , si non ad illum pertinet quod fecit ? Præterquàm quòd illud liquidò perspicio , iisdem planè cœlorum orbibus & instrumentis opus esse vt conseruentur , quibus primitùs fuere producta. quod sanè dicta consideranti manifestum est. ad Cor. par. 4.

32. Verùm si rei indignitatem arguas, nimiamque fore Dei se ad gramina , arenulas , vermiculosque demittentis abiectionem contendis , certè illud primò cum D. Ambrosio Simplicioque vrgeo. *Nam si tales erant , cur omnino condebantur ?* Si inglorium ea conseruare, ecquæ fuit gloria in lucem protrudere, infamiæ, si ab auctore agnoscantur, futuram materiam ? Si gubernare ea, si alere , pudenda Deo res sit , eccur hæc genita est Patri tanto postmodum pudenda soboles ? Certè ab ipso operis exordio grauiter errasse dicendus est, quem operis facti pœnitet ; pœnitet autem eum operis, cuius meminisse pudor sit & infamia. Igitur si conseruare res huiusmodi Deo indignum sit , certè non conseruabit : nihil enim se indignum committet Deus. pudebit ergo Deum opus suum agnoscere. Quòd si id ita est, iam certè in ipsâ rerum formatione errasse dicendus est.quod quia in Deum cadere nequaquam potest, aut conseruare & dirigere censendus est omnia etiam minutissima, aut certè non creasse ; hoc verò prorsus est impium.

Et vero nihil exiguum est etiam in rebus minimis, sed in omnibus summum est artificium.

33. Deinde illud vrgeo. An tibi quidquam exiguum , quidquam humile in Dei operibus, quantumuis exiguis & humilibus videtur , mortalis homuncio , & tamen superbe ? aut minorem in floscculi, aut culicis efformatione artem, quàm in Solis ipsius cœlorumque ingenti fabricâ, impensam credis ? Augustinum audi. *Deus ita artifex est magnus in magnis , vt minor non sit in paruis. quæ parua, non suâ granditate, quæ nulla est , sed artificis sapientiâ metienda sunt.* Quibus verbis si addere quidquam possum, illud dicere non verebor , maiorem me longè artis eximiæ præstantiam & effecta in muscâ & culice, quam in Solis lucidissimo corpore comperire. plura certè in culice nobis conspicua sunt artis argumenta. Nam vbi duos tresue in Sole motus, generalesque effectus & vibrationes agnoscimus, millenos sanè in culice, plurimumque inter se differentes & varios , oculis ipsis intuemur. *Attendat Charitas vestra* inquit alio loco Augustinus , Deumque vel in pulice agnoscite. *Quis disposuit membra pulicis* Aug. Lit. de Ciuit. c 22. Aug in Psal. 148.

&

& culicis, vt habeant ordinem suum, habeant vitam suam, habeant motum suum? Vnam bestiolam breuem, minutissimam considera quam volueris: si consideres ordinem membrorum ipsius, & animationem vitæ quâ mouetur, vt pro se fugiat mortem, amet vitam, appetit voluptates, deuitat molestias, exerit sensus diuersos, viget in motu congruo sibi! Quis dedit aculeum culici quo sanguinem fugat? quam tenuis fistula est quâ sorbet? adde, quod per microscopium culicem contemplantibus patet, forcipes habere in proboscide, quibus carnem eleuent succumque exprimant, sic facilius attrahendum. *Quis dispositit ista* inquit Augustinus? *quis fecit ista! expauescis in minimis? Lauda Magnum: qui fecit in cœlo Angelum, ipse fecit in terrâ vermiculum.* ita ille.

34. Et sanè mirabilior mihi longè est, apicularum in suo melle conficiendo labor & industria, quàm Lunæ Solisque labores indefessi. Quid magis stupendum, quod tamen pauci attendunt, quàm faui in suas cellulas tam artificiosa distinctio? sexangulares omnes sunt æquiangulæ & æquilateræ, figuramque omnium isoperimetrarum, quæque sibi sic congruant vt superficiem faui exactè compleant, omnium maximam capacissimamque constituunt, vtpote etiam aptissimam, quam in medio cellulæ considentes, vndique ore attingant. Nam licet octogonum maius sit hexagono, & omnium isoperimetrorum maximum sit circulus, tamen nec octogona neque circuli ita sibi congruunt, vt faui planitiem, iuxta se positi, perfectè compleant. Tres enim circuli se tangentes externè, triangulum curuilineum in fauo vacuum deperditumque reliquissent, quod neque alia apis potuisset occupare, nec ab eâ quæ circulo insedisset apiculâ, ore contingi & repleri melle. Quis autem Geometriam illam animalculo indidit, quam ne homines quidem nisi longis demonstrationibus assequantur? Iam verò, aranearum telas qui considerat, quantum isthic reperturus in tenuissimis filis deducendis, iungendis, intersecandis artificium? Quid verò bombyces? vt sese filamentis suis inuoluit turpis vermiculus, daturus tamen humanæ superbiæ non vilem materiam! vt postmodùm in alitē conuersus, totam quam sibi ex infinitis tenuissimi oculorumque aciem ferè fugientis fili complexibus, ædificarat capsulam, ita perforat & penetrat, vt tamen ne vnius quidem fili texturam frangendo interrumpat? Quid his immoror? Volucrum tan-

Quin imò in minimis admirabiliora sæpe sunt quam in maximis.

tùm nidos aſpice, alios quidem è limo ſolidè ſubacto circa parietes pendulos; alios è crinibus quos ne homines quidem eo tempore reperirent contextos, figurâ quaſi ad tornum exactâ; alios plumis molliſſimè inter ſe connexis ſtratos: rurſus appetitus animalculorum varios affectioneſque conſidera, vt iraſcantur modò, (nam & muſcis ſua bilis ineſt) modò gemant & doleant, modò exultent & ſubſiliant; fugiant modò & auerſentur, redeant rurſus & complectantur ea quæ naturæ ſunt accommoda, aut incommoda. Hæc inquam & longè plura attentius perſcrutare, & ſubductis rationum calculis ediſſere, an non hæc admiranda magis, quàm ea quæ cœlorum orbibus continentur?

Quanquàm nihil magnum dici poſſit, ſi Dei mateſtatẽ ſpectes.

Sed ne comparationibus adnaſcatur inuidia, illud dicamus cum D. Auguſtino *Deus ita artifex eſt magnus in magnis, vt minor non ſit in paruis.* Quapropter illud ſtatuamus, parem eum omnibus adhibere induſtriam, parem curam: neque inglorium magis eſſe, nec minus tantâ Majeſtate dignum, minimo flori, apiculæque, quàm maximo cœlorum orbi inuigilare. At vero vt id dicam tertiò, cum de Dei magnitudine & Majeſtate ſermo ſit, an vel ipſum cœlorum Soliſque regimen, occupationem iudicas dignam Deo, Majeſtatem eius ſolam ſi conſideras, & ad tanti Numinis bonitatem & miſericordiam non attendis? aut quidquam in Cœlorum accuratâ diſpoſitione reperis dignum Deo, quod non in volucris minimæ conſtructione reperitur? Certè, quod & Sapiens teſtatur, *Tanquam gutta roris antelucani quæ deſcendit in terram, ſic eſt ante te orbis terrarum.* Sap. 11. En totum vniuerſi orbem; cum minimâ guttulâ comparatum, & verò etiam æquiparatum; & rectè: neque enim aut rei magnitudo quidquam laudis adijcit, neque exilitas Prouidentiæ Diuinæ quicquam adimit: auget eam potius, quò magis humanis oculis ars ſubtrahitur. 35.

Denique minima neceſſaria fuêre, ad maiorum corporum ſuſtentationem, & ornatum vniuerſi.

Quartò denique non ſatis vniuerſæ naturæ prouidiſſet Deus, niſi minima etiam viliſſimaque curarentur; cùm ea ipſa, naturæ ſuſtentandæ aut ornandæ fuerint neceſſaria. Alia enim in alimentum cæteris, alia in medecinam cedere debebant; alia neceſſitatis, ornatus cauſsâ alia, in hoc orbis theatrum prodire erat neceſſe: Omnia denique, vt, quod omnium rerum finis eſt vltimus, artificem Deum ſuâ varietate, magnitudine, exilitate, artificio tamen in omnibus admirando, proderent ac declara- 36.

rent;

rent: quod pluribus ostendere supersedeo. Hoc certum est, omnia mutis vocibus, non cœlos modo sed & minima gramina, & animalia quantumuis exilia *enarrare gloriam Dei.*

§. VII.

Hinc concluditur in omnibus etiam minimis naturæ euentibus, admirandam esse & adorandam Prouidentiam Dei.

37. ILlud igitur, hæc considerantes, magnâ animi subiectione admirabundi dicamus, magnum enimuero & peritissimum esse artificem, qui se in omnibus præstet admirabilem; eumque summâ accuratione inuigilare omnibus, qui ad minima etiam, quæque nullius videbantur pretij accuranda, tam ingentibus tamque accuratis vtitur instrumentis: adeo vt ne volucris quidem minima, diuinam illam Prouidentiam sollicitudinemque, quantumuis celer, possit effugere. An cuiquam potiùs credetur quàm ipsimet, cui tamen nihil ita curæ est quam suamet gloria, bonaque de sua Diuinitate existimatio? quòd si itaque indignum Deo est parua curare, vt quid igitur de eâ curâ gloriatur? Gloriatur enimuerò apud Matthæum. *Nonne duo passeres asse veneunt, & vnus ex illis non cadit super terram sine Patre vestro?* & si volucres adhuc eâ curâ dignos iudicas, en minora. *Vestri autem capilli capitis, omnes numerati sunt.* Quis id, quantumcumque rationibus euictum iam sit, sine hæsitatione vllâ aut errandi formidine credidisset, nisi ipsamet hoc Diuina Maiestas palam fateretur? Hic pedem figo, hic fixus sto. Sine vllâ igitur trepidatione dico, & adhuc parum dico pro veritate rei, Deique magnitudine,

Cõcluditur ergo Deum omnium euentuum, etiam minimorum in toto vniuerso esse auctorem.

Matt. 10.

38. Nihil prorsus accidere in hoc orbe, quòd non Diuinâ Prouidentiâ, vt accideret, fuerit decretum; in eumque finem cuncta ab eo instrumenta summâ industriâ fuisse disposita, vt omnia prout eueniunt euenirent; ea tantum si excipias, quæ à libero pendent hominum arbitrio. Neque hoc tantùm generatim, terra vt terra esset, & non aqua, aqua verò aqua, cæteraque id quod sunt; neque vero etiam hyemes, æstatesque vt essent aliquando, vti & frigora & calores; sed hyemes modò tam frigidæ

Et quidem destinato consilio & singillatim ab eo procurari.

gidæ quòd sint hoc anno, æstates quòd tam siccæ modò, modò tam humidæ, pluuiæ modò tam densæ, exactè tot guttarum millionibus fœtæ & neque pluribus neque adeò paucioribus (idem de cæteris esto iudicium) id totum in arcano Dei sanctuario, summo consilio fuisse concluſum, idque vt hanc hoc anno fœcunditatem terræ daret & non aliam: tum verò huic pluuiæ excludendæ, cælestia attemperasse instrumenta. Præterea, ne vnicum quidem floſculum, aut gramen in totâ esse terræ superficie, quod non eius crescat arbitrio, decretoque clarè expresso, vt quodlibet suo quo crescit loco enasceretur, altitudine, crassitie, colore, & pulchritudine exactè statutâ & circumscriptâ. Ne vnica prorsus arenula toti adiacet oceano, nec minimus quidem in orbe est puluiſculus, qui non designatum à Deo locum obtineat: nec vllo auferuntur vento quantumuis magno, vt præscriptum ab eo excedant terminum, qui non mari tantùm dedit terminos, & ventis pondus, sed & arenulæ minimæ & pondus indidit & terminos; eosque mutandi, facultatem concessit ventis, excedendi autem vltra metas à se positas, minimè. Nullum ex arbore decidit toto orbe folium, nulla volucris alis proscindit aërem, quam non diuina dirigat Prouidentia: in arboribus quidem aut vento immisso, aut humore subtracto, in volucribus verò excitando & mouendo phantasiam. Denique nihil quod creatum est interit, nullum animal emoritur, nulla tempestas, nulla intemperies aëris exoritur, nulla corruptio, nulli morbi, nullæ pestes, nulla mortalitas terram hanc corripit, nulla ne formica quidem occumbit, quin destinato præfigantur singula Dei consilio & decreto; præter ea, vt ante dixi, quæ à libero hominum arbitrio inducuntur. & quidem eâ arte instrumenta sua, ad hæc consequenda disponit, vt planè tali tempore & non alio, eâ celeritate aut tarditate, eâ vehementiâ aut debilitate, tanto temporis tractu & non longiore aut magis contracto euenirent, prorsus sicut modò contingunt vniuersa. Neque hoc magis mirum est, quàm si dicam duodecim modò ictus campana in horologio à malleo quòd sustineat, modò sex modò tres, modò vnum, modò nullum, totum hoc ex artificis, rotas ponderaque ritè disponentis arbitrio, dependere & euenire.

Hinc mens in admiratione creatorum.

Quid modò restat, nisi vt illud itenditem inclamem *Magnus Dominus, & in operibus manuum tuarum exultabo*: & quamcumq; posthàc 39. Psal 91.

posthàc naturæ vicissitudinem dabitur sustinere, illud vt cum tribus Pueris masculè ingeminem. *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula. Benedicite glacies & niues Domino, benedicite noctes & dies Domino.* quid enim? non homo aliquis, imò nec Angelus quidem, verùm *ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt.* Cerrè non patiar solummodò, sed & gaudebo prorsus ex animo, creata omnia Deo benedicere, hoc est ni fallor, eius gloriam proclamare: siquidem exacta horologii dimensio, & accurata horarum designatio, laus est tota artificis, quam campana, licet artis nescia, suo clangore proclamat. Cum itaque tonitruis totum orbem concuti inaudiero, ah dicam! quam accuratum est hoc horologium, cui tam præclara præludia inserta sunt affabre, audientiam inter mortales concitatura, attentionemque factura, vt vocem Dei audiant, eiusque Majestatem vt agnoscant!

Dan. 3. Psal. 32.

toris sui assurgit.

40. O magne cælorum qui & Terrarum Arbiter, æterna Mens, Numen indefatigabile! quas tibi curæque tuæ pares gratias agere possumus, mortales homines, & si nos spectes, indigni planè quos conspicias? quibus verbis sat magnis extollemus eam, quam vel oculis ipsis intuemur Prouidentiam, neque tamen mente satis adhuc perspicimus? *Adiuua incredulitatem nostram,* cœcitati opem fer, in omnibus Prouide, in hoc quoque Benefice & Misericors Deus.

Mar. 9.

Eum admiretur.

41. Hanc quæso Auditores veritatem quantum potestis animo imbibite, & infigite omni mentis, fidei, quin & rationis viribus. Hanc enim de Deo opinionem si ingessero, quid non peregero? hoc igitur agite vos, hoc modò sit vestrum studium, altè de Dei Prouidentiâ opinari: reliquos autem dubiorum næuos mentibus vestris eximere, id tum meæ curæ relinquite, facilè nulloq; negotio omnia peregero. Illud autem cum mente bene fixum habebitis, illud tunc sanè & cum Christo appositè ingeram, si minutissima quæque tanto opere procurat Magnus Deus, *Nonne vos magis pluris estis illi? & si fœnum agri... Deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei:* intelligo argumentationem tuam sagax Deus, vim percipio, sed curam obstupesco. *Domine adauge nobis fidem:* certè quod vnum iam possum, Prouidentiam eam quam admirabundus suspicio, nec satis intelligo, supplex credo & venerabundus adoro.

Matt. 10. Luc. 17.

Eique se cũ magnâ fiduciâ, totũ committat.

TRACTATVS IV.

Tecum sapientia tua (Domine) quæ nouit opera tua, quæ & affuit tunc cum orbem terrarum faceres, & sciebat quid esset placitum oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis. *Sap.* 9.

Verùm cum non sufficiat scire me, omnia à Deo administrari, vt omnibus rerum euentibus acquiescam, nisi id etiam intelligam sapienter administrari omnia; ad firmandam penitus magnam quam de directione Dei, concipere debemus opinionem, ostenditur infinita Dei sapientia & scientia.

PROOEMIVM.

AVdix dubito multos arbitrari deceptos se, mirarique me, qui artem semper gaudendi, mentisque tranquillandæ & componendæ in tot aduersis rerum euentibus promiserim, ad diuina mysteria, reconditasque rationes explicandas esse delapsum. Verùm si penitiùs consilij mei rationem lubeat introspicere, fortassi; rem non improbabis. Cùm enim ostenderim, & verò etiam ostensurus sim luculentiùs, omnia etiam quæ nos turbant, à Deo esse; inde petenda fuit medicina, vnde mali enasci poterat occasio. Magna igitur de Deo concitanda erat opinio, vt eâ perculsus, erubescat tandem homo, in malam partem ea se capere, quæ à tam sapiente Deo fuerint ordinata. In hâc opinione artem tranquillandæ mentis maximè consistere, iam planum faciam: praximque dabo imprimis vnicam, quâ millenas rationes inuenire erit facillimum, in omni rerum euentu, quibus tumultus animi aut præuenias ne exsur-

exsurgant, aut iam commotos sedes. Deinde, vt ingentem illam, quæ huic praxi habendæ præmittenda est, opinionem animo concipiamus, incomprehensibilem Sapientiam Dei vobis ob oculos ponam; triplicem nempe sciendi modum, quem rebus omnibus rite dirigendis impendit Deus. Quòd si obscuriora difficilioraque quàm vt rectè capiantur visa fuerint, illud mementote, Dei arcana esse quæ proponam. quòd si minùs intelligantur, illum tum, quem maximè cupio, referemus fructum, vt maximi faciamus adeoque & adoremus sanctissima eius decreta, cuius profundissimam Sapientiam dum non capimus, admiramur.

§. I.

Quod si prout omnia à Deo fiunt, ita sapienter fieri, & in bonum finem ordinari mihi persuasero, tum verò video me omnibus rerum euentibus debere acquiescere.

Ingressus ad considerandam Sapientiam Dei.

1. DA mihi hanc veniam incomprehensibilis Deus, vt arcana Diuinitatis tuæ mysteria paulò altiùs penetrem & perscruter: neque enim prorsus id ago, quasi si ea me sperem posse
Psal 35. comprehendere, illud enim pro comperto habeo quod *Judicia tua abyssus multa*, & quidem tanta, vt ne Angelico quidem possit ingenio peruadari. Verùm non eò sese extendit mea temeritas. hoc tantùm nunc ago, vt eorum quæ me fides vera edocet, reminiscens, agnoscam stuporem meum, neque me esse qui ea intellectu possim persequi. quod cùm agnoscam, exsurget illico ea, quam de tuâ Prouidentiâ par est habere mortales nos, existimatio: hanc autem cùm consequar, tum verò totum me meaq; omnia, sanctissimæ tuæ directioni, sine cunctatione lubens ac lætus tradam.

Tranquillanda mẽti imprimis est necessarium sibi persuadere non tãtum omnia à

2. Hic meus est scopus, Auditores, huc collimo, Quod si enim tria hæc mihi penitus persuasero, *Primò* Deum esse omnia qui moderetur, & quidem non negligenter aut perfunctoriâ vt ita dicam manu, sed summum adhibendo studium & industriam: *Deinde* non aliò curas intendere, aliumúe sibi præfixisse scopum, quàm manifestationem gloriæ suæ, hominumque à se procreato-

rum

Deo fieri, sed & sapiẽter fieri.

rum bonum & commodum ; ipsique adeò magis esse perspectum quid nobis conueniat, quàm nos ipsi possimus rectè discernere: *Tertiò* denique commodissimas eum ; vt finem suum consequatur inire rationes, facillimas & breuissimas ingredi vias, & aptissima intentioni suæ perficiendæ adhibere instrumenta ; dic amabo, quid demum obstabit, quo minùs me totum quieti dem, interque omnes maris huius exæstuantes procellas, rideam & mare, & ventos & omnia, securusque dicam *in pace in id ipsum dormiam & requiescam* ? in idipsum, hoc est Psal. 4. eâ, quam de tuâ gubernatione tuâque sapientiâ iam concepi, existimatione securus, ô magne Machinæ huius director Deus! Turbetur sanè mare, quassetur carina, concutiantur nauis latera, vndis obuoluatur, pessum ire videantur omnia : nihil timeo, non casus, non fortunam, nam illam non agnosco. hoc scio, clauo assidere te, te Sanctum, te Sapientem, te omnium rerum conscium, te Misericordem & Bonum. Igitur *in idipsum* quod turbentur omnia, *in pace dormiam & requiescam* ; non enim turbantur nisi à te ; si tamen turbari dicenda sint, quæ diriguntur à te : nec aliâ spe fretus requiescam, nisi *quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* Enim verò *singulariter*, hoc est methodo prorsus singulari ; inducendo me videlicet in sanctuarium tuum, & arcana Prouidentiæ tuæ mysteria & instrumenta demonstrando, quamuis quasi per caliginem & suboscurè. Atque hæc quidem ratio est, cur admiranda illa instrumenta Diuini artificis, quibusque impendantur rebus, quamuis cursim expenderimus.

Verùm, vti non sufficit viatori naui expósito, metum omnem 3.
sollicitudinemque vt deponat, naucleri sui instrumenta fuisse contemplatum, quadrantes, astrolabia, circinos, pixidesque fuisse demiratum; nisi id etiam sibi persuadeat, & adhiberi magno studio, & verò etiam magnâ sapientiâ à magistro obseruari ventos, vada syrtesque aut cognosci aut bolide pertentari ; denique ex artis regulis, nauigandi scientiâ, & rerum nauticarum cognitione dirigi omnia ; ita nec tranquillandis hominum mentibus sufficere videtur ea, quam habemus de cœlestium orbium instrumentis cognitio, neque verò etiam quibus rebus conficiendis applicentur ; nisi id etiam constet, sapienter & rectè adhiberi, eâ quâ par est prudentiâ : item finem illum, quem

sibi

sibi præfixit Deus, nobis maximè conuenire: denique omnia quæ circa nos aguntur, ea esse quæ nostrâ maximè interfint; neque meliora inueniri potuisse compendia, modumque aptiorem, quò ad conuenientem nobis portum daretur peruenire, quàm is quo singuli ferimur modo.

§. II.

Vt autem hoc ipsum tibi persuadeas, non est opus omnium euentuum scire rationes, easque iustas esse vt iudices: tantùm id certò statue, à Dei Sapientiâ hunc euentum esse destinatum, & tum facilè acquiesces, rationesque inuenies quibus factum defendas.

4. AVditores, disputationem de rebus singulis instituere si velimus, illudque inquirere, an conuenienter singula eueniant, quæ hic siue in naturæ cursu, siue in re publicâ, siue etiam priuatâ geruntur; sanè infiniti laboris opus aggredimur, cùm rerum euentus numero sint infiniti; eorumque rationes indagare, vti immensus, ita & improbus est prorsus labor, neque viribus nostris par. Et tamen hâc viâ insani tendimus, vt de Dei Sapientiâ iudicium, pro vt nobis quidem videtur, sapiens feramus. multùm laboramus interim, contentione sane maximâ, fructu nullo. Deplorat id Ecclesiastes *solummodò hoc inueni* inquit post indagationes rerum acutissimas, *quòd Deus fecerit hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus* ad rem sanè, hoc est pacandis animis, quæ faciant nihil. Omnia cùm se labore summo perueſtigasse fateatur sapientissimus Salomon, hoc demum intellexit nihil sese intelligere, & hæc demum summa fuit Sapientia, *Intellexi*, inquit, *quod omnium operum Dei, nullam possit homo inuenire rationem, eorum quæ sub sole fiunt. & quanto plus laborauerit ad quærendum, tanto minus inueniat. etiamsi dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire.*

Neque vt sapienter omnia fieri credas, singulorum euentuum rationes exactè habēda sunt.

Eccl. 7.

Eccl. 8.

5. Aliâ & quidem contrariâ prorsus viâ incedendum est, disputationibus omnibus finem si vis ponere, omnesque difficultates enodare, hâc nempe; vt numquam rerum euentus, pro vt

sunt, in se ipsis attendamus, priusquam eos in Diuinæ Sapientiæ luce fuerimus contemplati. clarius rem eloquar. Primò illud certum fixumque statuere debemus, rem factam bene, & sic euenire debuisse vt rectè nobiscum ageretur, antequàm rationem vllam inquiramus quâ recte factam esse, nobis persuadeamus. Nos autem contrariâ viâ insistimus, per rationes indagare dum volumus an quid factum bene; cum priùs id in rebus Deum concernentibus statuendum fuerit, factum bene, antequàm ad facti rationes animum aduertamus.

Has enim si quæras singulas, ad omnes perturbaberis.

Certè si curiosiùs indagauero, cur modò æstas tam humida, 6.
modò cur tam frigida, an pluuiæ segetibus noxiæ an fauentes,
cur modò ægrotem modò sim incolumis; cur iste tot palmarum
vir Reipubl. tam necessarius moriatur, cur bella oriantur, atque
his similia multitudine infinita; earumque rerum rationes om-
nes, cur eueniant, discutere si incipiam & ponderare, infinitis
sanè me inuoluo quæstionibus; & vt aliquam rationem inuene-
rim, illico tot tantasque in contrarium suggeret, aut iacturæ
quam propterea patior consideratio, aut naturæ rem auersantis
timor, aut emolumenti commodique proprij auiditas, vt facilè
rationem illam quæ pro facti bonitate forte occurrebat, elisurus
sim, declaraturusque nullam esse aut sanè exiguam. Hinc om-
nis perturbationis est origo, cùm quid votis nostris contrarium
accidit, quòd contra vel saltem præter rationem ea nobis eue-
nisse censeamus, rationum indagatores sanè peruersi.

Verùm priùs id apud te statuas oportet, omnia à Deo fieri.

Agedum itaque qui ita censes. An ergo credis tu, quidquam 7.
horum quæ toto geruntur orbe, euenire sine Numinis Prouiden-
tiâ, id iam olim ab ipsâ inde æternitate suo dirigentis arbitrio,
dispicientisque quid, quâ horâ, quomodo singula euenirent,
cum omnibus plane circumstantiis, quibus res singulas euenire
iam perspicimus? non arbitror id negare te; iam id superiore
Tractatu euicimus. Id verò claritatis causâ iam addo, omnia Tract. 3.
quæ naturam spectant, nec ab humano pendent arbitrio, æter-
no & determinato Dei id ita statuentis euenire decreto, omni-
bus creaturis conspirantibus vt Dei obediant æternæ legi. Illud
igitur sic habe, necessariò omnia isthæc contingere, si res crea-
tas spectes; liberè verò, si Dei sic omnia statuentis voluntatem.
Ea verò ad quæ sese humana porrigere potest voluntas & liber-
tas, ideò euenire, quòd ab æterno Deus statuerit illa permitten-
da:

da: hoc autem rursus statuit, quia id permittere, melius è re suâ imò & nostrâ esse statuit, quàm impedire. Etiam peccata inquies? Etiam, atque hoc deinde persequar. Interim illud D. Augustini repeto, *nihil fieri sensibiliter & visibiliter* (imò nullo prorsus modo) *quod non de interiore aulâ illius Imperatoris, aut non iubeatur, aut non permittatur.* Hoc itaque primum sit.

Tract. 6. Aug. l 3. de Trin. c. 4.

8. Deinde an nescis, omnia hæc rerum euenta aut imperata aut permissa, à Deo sic esse disposita, vt finem sibi in diuinâ Mente præscriptum consequatur? Tertiò, an id etiam ignoras, finem hunc Dei, non alium esse, quam suam sibi gloriam conseruare, quam quidem in eo arbitratur consistere, vt omnibus à se conditis creaturis bene sit; & quidem tibi præcipuè ô Homo, quem per hæc euenta tandem statuit (nisi tu non vis) ad salutis æternæ portum prouehere? Hæc tua est felicitas, hæc Dei dirigentis gloria. Hæc si mihi penitus infixa hæserint, quid alia quæro quibus mentem componam? aliâ certe ratione non indigeo, vt rationum omnium summam in quocumque euentu habeam, cuique penitus acquiescam, à Deo sui honoris apprimè tenaci, meique boni imprimis cupido, hæc ita disposita; ac propterea ita esse debuisse, nec conuenienter aliter fuisse euentura.

Deinde summo consilio ad Dei gloriã, tuumque bonum ordinari.

9. Hoc iudicium fixum indubitatumque si habuero, præterquàm quòd amplissimum mihi campum aperuero, adorandi in omni rerum successu Diuinum Numen, summo cum merito & religione, & verò etiam cum affluenciore, summâ cum animi mei iucunditate: illud inde referam commodi præterea, quòd centenas illico humanas, diuinasque rationes reperturus tum sim, quibus menti turbatæ satis faciam, elisuruſque omnes eas quas natura, aut affectio, aut etiam Dæmon ipse turbandæ menti, non sine animi inquietudine, tumultuque suggerebant.

Hoc cum generatim iudicaris, facile tum inuenies alias rationes, quibus ædum approbes.

10. Praxim hanc quieti mentis inducendæ accommodatissimam, Ecclesiasticus mihi iam olim præscripsisse videtur hisce verbis. Eccl. 32. *Qui timent Dominum* (hoc est colunt, magni faciunt, æstimant, reuerentur) *inueniunt iudicium iustum; & iustitiam quasi lumen accendunt:* quæ quidem verba sic intelligo, vt præclarissimam hanc praxim, quam præmanibus habeo, iis liquidò contineri, commendarique prorsus credam.

Declaratur hæc praxis ex Ecclesiastico.

11. Si placet, modò attendite. In omnibus rerum euentibus, iis maximè quę nos nostraque propè contingunt, illud nos præcipuè

turbat, vexat, angitque, quod semper iudicemus id ita euenire non debuisse, aut non eo tempore & modo; illudque iudicium ne nobis euellatur, conquisitis vndique, pro vt rationum feraciſſima est naturæ maligna affectio, stabilimus & sepimus argumentis: illud vnicè nobis persuadere conantes, aut id fieri non debuisse, aut factum aliter futurum conuenientius. Hoc autem tum semper facilè iudicamus, cùm quod factum est, factum nolumus. voluntatem hanc peruersam, rationum omnium quæ menti occurrunt eamque turbant, causſam esse atque originem, res est manifesta.

Et ex vulgari ratione agendi hominum, qui facilè rationes inueniunt earum rerum quas fieri optãt.

Illud enim statuamus, jure an iniuriâ non id quæro, tamen 12.
ad patris mortem anhelasse te; eo quidem inductum iudicio, rebus tuis id quòd conduceret: illico infinitæ propemodum rationes occurrent animo sic præoccupato, quæ iudicium illud confirment, omnemque sopiant perturbationem, quam ipsamet etiam natura, naturæque sensus, suo iure poterant excitare, & verò etiam in saxeo cient pectore. Quamuis autem id pudore præpeditus non spargas in vulgus, tamen tibi ipsi dices non indisertè, senecionem fuisse & silicernium, pondus terræ, aliis sibique grauem, infirmitatibus planè acerbis obnoxium, felicem profectò qui miserias has humanas euaserit, fortunatumque, vti non abs re speras, qui obtinuerit æternitatis portũ. At verò si longiorem parentis quantumuis miseri & exesi vitam, tuis rationibus conducere iudicasses, nihil certè ponderis momentiúe haberent rationes illæ, nec verò vlla, detergendo mœrori tuo; quæ tamen doloris omnis perturbationisque etiam vestigia, in priore euentu complanarunt. Tanti interest, illud tibi persuasisse, fieri debuisse id quod fit, vt pleno marte omnique ingenij contentione, rectè id factum esse propugnes. At verò si res quantumuis pessima, tuisque emolumentis prorsus aduersaria, menti tuæ judicioque insederit; coniugium puta planè dispar & contemptibile; illudque stulta quædam animæ affectio præpeditæ menti commendarit persuaseritque; frustraneæ tunc sane sunt, quotcumque ad dissuadendum rationes afferuntur; eas tu vel halitu difflaueris vt ventus paleas, & quidem ipsius D. Pauli testimonio conuelles & eneruabis.

Ita prorsus in omni rerum successu agendum est, ne turberis. 13.
id priùs statue tamquam indubitatum, ita fieri debuisse, ita ratione

tione factum, & quidem factum conuenientius; & tunc nec aëris intemperantia, nec propinquorum mors, neque adeò fortuna vlla à mentis quiete ac constantiâ te poterunt dimouere: rationibusque occurrentibus hoc vnum oppones, quô cunctas sopias, scire te factum bene.

14. At verò, inquies, manifestum mihi est, non omnia bene geri; nec ea quæ geruntur bene, ea esse quæ non conuenientiùs possent geri. Meliùs certè mihi esset saluo & incolumi, quàm sit languido & ægroto: meliùs cum humano genere ageretur, si neque bella neque dissentiones orirentur, nec tam crudelia passim exercerentur odia. Certè quis non videat, Dei quoque ex honore magis fore, si nulla inter homines committerentur scelera, quibus & humanæ & Diuinæ turbantur leges? Audio dissérentem te: & quidem quod peccata attinet, longiorem exigit disputationem, quam breui dabimus. Illud modò generatim dico, aliud longè esse nulla peccata existere, aliud verò ea vt sint, à Deo permitti. & sic, quanquam fatear meliùs fore hominibus, si ea non committantur, meliùs tamen esse ea à Deo permitti, plenamque arbitrio humano concedi libertatem, manifestum dabo. In cæteris autem quibuscumque euentis, videre te ais quid sit melius, quid conuenientius, quid tibi aliisúe accommodatius; an paupertas è re tuâ magis sit an diuitiæ; an secunda, an aduersa fortuna, an vita denique optanda magis an mors; id verò penitus nego & pernego videre te. Non eò se extendit humana mens, vt istud solidè possit iudicare, pro vt paulatim discurrendo secuturis tractatibus planum faciam. *Obiectio refutata.* Tract. 6.

§. III.

Probatur exponiturque magis iam dicta praxis.

15. IDmodò generatim dico, in iudiciis de rerum euentu ferendis vehementer errare nos, quod rationes priùs omnes ad trutinam vocemus, vt ea quæ nobis accidunt, bene & ratione nobis à Deo immissa iudicemus: ordine sanè præpostero; cum priùs à Deo, atque adeò bene id factum statuere debeamus, antequàm rationes in alterutram partem conquiramus. Quanquam *Rationes diuinorum decretorum ne discutienda quidem sunt, vt quieto sis animo.*

ne conquirere quidem oporteat, quietus vt sis. Id enim si menti infixum habeo, Deum huius quæ molestiam mihi facessit, fortunæ auctorem esse aut directorem, non verò eam quam contra me agentem video creaturam; rursus si id mihi persuasero, omnia creata, aërem, ventos, frigus, venena, voluntatesque etiam peruersas hominum, instrumenta tantum esse quæ summum istud Numen adhibet, vt morbum quo opprimor, calamitatemque qua vexor immittat; tum verò alias rationes non attinet indagare me, hoc vnico tranquillus iudicio *iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Iustum quia Domini; rectum quia tuum, hoc est, super omnia sapientis Dei. Psal. 118.

Veneratione magnâ credenda sunt.

Sit in hoc firmo fixoque iudicio fita est ea quam ex Ecclesiastico afferebam praxis, qua Diuinorum decretorum indagandæ sunt rationes, quibusque cum delectatione pascatur, etiam in ærumnis constitutus animus. *Qui timent Dominum, inueniunt iudicium iustum.* Quod quidem sic expono. Qui reueretur Dominum; reueretur autem quisquis altissimam de Domino habet opinionem; *Inueniet iudicium iustum*, hoc est iudicabit illico recte & iuste à Domino attemperari omnia. At quomodo iudicium istud inueniet inquies? audi id quod addit Ecclesiasticus, *Et iustitiam quasi lumen accendunt*; quod quidem pro instituto sermone sic intelligo. Iustitia quam in omnibus seruat Deus, quamque scio eum neque velle neque posse infringere, mihi sufficit vt omni prorsus abiecta hæsitatione, dicam & statuam id factum bene. Hoc verò iudicium mihi facem præferet, lucemque dabit, qua plurimas etiam humanas conquiram inueniamque rationes, quibus factum sapientis Dei fulciam & defendam, ad quas tamen extra illud lumen constituta mentis acies caligabat. 16. Eccl. 32.

Decretisque Dei tunc acquiescis.

Experire hanc praxim, & manifestè rem sic esse, ipsa te tua docebit experientia. Neque enim vidua quantumuis indiga, tanto in charissimi sui mariti obitu dolore opprimetur, quin, si semel hoc inhiberit, atque magna religione menti infixerit, à Deo mortem hanc immissam, adeoque rectè id factum & bene, statim plurimæ, etiam ex naturâ petitæ rationes ei occursuræ sint, quæ factum approbent: tunc videbit rei familiaris fuisse prodigum maritum, filiis iam adultioribus, conuenienter, mala quæ dabat subtracta esse exempla, aliaque occurrent vitia quibus se mundo 17.

faciebat

faciebat contemptibilem; denique plurima iam cernet viduitatis commoda, quæ non nisi ad lucernam hanc fuere conspicua: cæteræ autem quæ contra militabant rationes euanescent illicò, & cum illis nimius, cumque per rationes fouetur, in immensum excurrens dolor.

18. Et vero sine vllis deinceps rationibus, hæc vna ratio, omnium mentis tempestati sedandæ sufficit, Deum esse cuius nutu hæc geruntur quæ eueniunt, Iustum, Sapientem, & Sanctum. Iustum, vt cui nihil placere potest nisi quod rectum est; Sapientem, vt cui perspecta sunt omnia ad rem suam meamque quæ possint facere; Sanctum, vt cui nihil ita fixum est & ratum, quàm per rerum euentus quamtumuis dubios & incertos, hominem ad sanctum felicitatis portum euehere & promouere. *Acquiescet autem, si magnam de Dei sapientiâ habeas opinionem.*

19. Omnis itaque tranquillitatis ars ad magnam de Deo opinionem iam reducta est. Ea autem opinio præcipuè in eo consistit, vt altè de summâ eius sapientiâ sentiamus. Parum enim fuerit magnam de eius potentiâ existimationem excitasse, prout superioribus tractatibus vtcumque præstitimus, nisi illud etiam animo hæreat, Sapientem eum esse; proinde magnâ eum ratione & circumspectione propemodùm infinitâ, rebus omnibus moderari; errare eum à suo scopo prorsus non posse; denique non aliam esse rerum rationem præter ipsum Deum. *Deus enim* vt rectè Nazianzenus *est ipsissima ratio*, & si aliquid præter rationem moliretur, iam Deus esse desineret. Vt igitur facilè Dei decretis ordinationibusque acquiescamus, ipsam Dei Sapientiam, infinitamque rerum molem, quam Diuinâ suâ Mente complectitur, sic quasi generatim intueamur. Immane quantum ad opinionem, quam de Deo nos habere conuenit, accedet incrementum: imò quieti tranquillitatique nostræ. Nam cuius sapientiæ fidimus, facilè dictis eius factisque acquiescimus: Quàm facilè duci suo parent milites, de cuius arte militari non dubitant? quàm sine hæsitatione vllâ, responsa petuntur accipiunturque à iuris-perito, cuius existimationem, litteræ apud omnes extenderunt? quàm pacato animo medicinæ sumuntur, præscriptæ à medico, cuius nomen magna imprimis rerum experientia studiaque commendarunt? tùm certè probantur omnia & singula; sic vt errores ipsos ab eo liquidò commissos, in alias coniiciamus causas potius, quam vt quidquam ab eâ quam concepimus opi- *Apparet id etiam in humanis.*

nione

nione detrahamus. Contra verò timidi & trepidi poculum fumimus, quod ea miſcuit manus, de cuius experientiâ, & ſtudio in circumſtantiis morbi indagandis & diſcernendis, vel minimùm dubitamus.

Intremus itaque penitius *Sanctuarium Dei*, eiuſque ſcientiam infinitam, aut ſi humano more loqui liceat, ſtudia Diuina, libros, Bibliothecamque in quâ totus eſt, perſcrutemur. 20.

§. IV.

Vt autem ſummam concipias de Sapientia Dei opinionem, variæ eius Scientiæ exponuntur, ſeu ſciendi modi: ac primò quidem, vt Theologi eam vocant, Scientia ſimplicis intelligentiæ?

Petitur à Deo venia intrandi in conclaue myſteriorũ ſapientia diuinæ,

INeffabilis, & incomprehenſibilis Deus! licebitne tandem mihi mortali homini ſubire arcanum illud Sanctuarium tuum, non vt ea quæ iſthic geruntur intelligam, *quis enim cognoſcet ſenſum domini?* quis tam arcana conſequetur, aut cui ea patefacere tu ipſe poſſis pro vt ſunt, niſi non minori te? verùm vt id ſaltem cognoſcam, incomprehenſibilem eſſe te, qui comprehendis omnia, neque limites vllos eſſe poſitos Scientiæ tuæ, quâ tamen limitas vniuerſa, 21. ad Rom. 11.

vt intelligamus nihil caſu ſed ſummâ ſapientiâ fieri.

Vtinam Auditores, illud tantùm comprehendere poſſimus, quanto ſtudio quiſque noſtrûm ſteterit ſapientiſſimæ illi Menti, quamque profundè Theologiam, Diuinitatem, inquam, ſuam perſcrutatus fuerit euolueritque, vt id tandem de nobis faceret quod nunc ſumus! ah quanto id nos gaudio permulceret, quantam daret animi ſecuritatem! Certè audendum eſt, tentanda eſt alea; ſubeamus altiùs *Sanctua[illegible]m Dei*; & quamuis id certò ſciam intelligere Sapientiam tantam me non poſſe, & quantumcumque ingenij vires extendam, eam tamen non poſſe contingere, *non potero ad eam*; tamen ad id conducet tenuis & exilis tantæ rei conſideratio, vt penitus obſtupeſcam, vt totum me pronus incomprehenſibili Menti ſubiiciam. 22.

Omnia caſu arbitrabaris fieri, & eſſe, & conſeruari, & interire, imperite homuncio. an verò noſſe vis quanto labore, quantis ſtudiis & quidem quam Theologicis & Diuinis, Deo ſteterit 23.

non

non Vniuersi modo productio, sed tu ipse sigillatim, euentusque qui modò te circumstant tam varij tam implexi? Aulam Dei interiorem subi, sapientiamque eius obstupesce si potes satis. Bibliothecam totam per partes aperio.

24. Ac primò quidem, prima quæ intranti occurrit, & sine quâ nihil consilio & ratione extra se, imò ne intra se quidem, vt præclari censent Theologi, agere potuit Deus, *est Scientia simplicis intelligentiæ.* simplex est cognitio, quia tota in contemplatione consistit, nec quidquam actu ponit extra Mentem Dei. Est autem cognitio quâ omnes creaturas possibiles, totâque æternitate ab infinitâ suâ potentiâ creabiles percipit, & vno prorsus comprehendit actu. *Exponitur prima scientia Dei, quæ est Scientia simplicis intelligentiæ.*

25. Hic iam in abyssum incidi; fundum planè perdidi, nec habeo vbi pedem figam. Extende mentis aciem quantùm potes ô homo; & si vastissimum hoc scientiæ pelagus potes vel cogitatione circumplecti, homo non es, Deus es. Facite si placet audientiam.

26. Non id dico, Deum iam ab ipso æternitatis, si ita loqui fas sit, exordio cognouisse quotquot iam sunt, fuerunt, ac porro futuræ sunt totâ æternitate creaturæ; parum id sanè est; verùm & quotquot omnino sunt possibiles. Adeò vt in Diuinâ illâ Mente sit cognitio clara, perfecta & distincta infinitorum omnino mundorum, (infinitorum enim singuli sunt possibiles) quorum tantùm vnus est, hoc quod nunc est Vniuersum. Nouit itaque infinitas omnino species generaque hominum exempli gratiâ, ratione præditorum, quæ creare si libeat possit; alias aquarum, arborum, animaliumque infinitas species, alios denique mundos infinitos, qui ne vnicum quidem corpusculum, cum hoc orbe quo fruimur, haberent commune, sed alia prorsus omnia, quàm quæ videmus, continerent. In hoc verò, qui nunc est, rerum ordine & orbe, nouit non Angelos modò qui nunc sunt, homineſque & cæteras creaturas quæ aut sunt, aut erunt, aut fuere, verùm & infinitas præterea cuiusque speciei creaturas, quæ quidem numquam futuræ sunt, sunt tamen possibiles; earumque omnium sigillatim habet idæas tam claras, tam distinctas, tam accuratas, vt si eas in lucem creando libeat edere, tales omnino sint futuræ, quales in Dei Mente ideâque sunt descriptæ. *quâ Deus nouit omnes creaturas possibiles.*

Probatur hæc scientia necessariò Deo inesse.

Hanc verò infinitam infinitarum rerum possibilium scientiam Deo inesse, Deoque competere perfectus vt sit Deus, id quidem manifestò liquet Dei naturam penitius consideranti. Nam si alias creaturas non cognoscat, præter eas quas iam condidit, condetque in hoc qui voluitur rerum ordine; id quidem fateri necesse est, exhaustam esse hâc creatione Dei potentiam, nihilque plane creare posse, quàm id quod adhuc est creaturus. igitur absolutâ, verbi gratiâ, hominum adhuc creandorum serie, quæ quidem ante iudicij diem certo certiùs absoluetur, exhausta erit in Deo, homines creandi potentia. nemo enim efficere id potest quod nescit, neque casula etiam minima constrvi potest, cuius non præcesserit aliqua, in mente artificis, Idea. Quid est autem Idæam mente circumferre, quàm rem vt possibilem cognoscere, cuius ea est Idæa? Quod si igitur Deus, præter hos quos creaturus est, nullum alium hominem cognoscat possibilem, creaturam possibilem nullam; id sanè consequens est, nullum, præter illos, creare posse hominem, creaturam nullam. quod si verum est, iam certè per hanc seriem tam hominum quàm creaturarum adhuc creandarum, exhaurienda est Diuina potentia. At verò cùm hæc series futurarum rerum finienda sit, etiam Dei potentiam finiri necesse est. non igitur Dei potentia est infinita: non est igitur tandem Deus, cuius natura est in omnibus esse infinitum. quod quàm absurdum sit dicere, nemo non videt. Aut igitur negandus Deus, aut hanc scientiam ei prorsus competere, statuendum est. 27.

Verùm fine disputationum tricis agamus rem. Hoc sanè constat, ab æterno fuisse in Dei Mente perfectissimas imagines, Idæasque exactissimas, rerum omnium quasi semina; hoc est cognitionem clarissimam rerum omnium possibilium, quarum tamen infinitæ, nunquam in lucem prodituræ sunt, nec aliam habituræ quàm in Mente clarissimâ, omnia comprehendentis Dei. 28.

Omnia autem possibilia cognoscit actu vnico.

Neque tamen cum omnia à Deo cognosci auditis, id credite fieri per actus inter se distinctos & discretos, quasi vnum modò, modò alium, Angelum modò modò hominem, aut hunc primò, alterum deinde, tertium tertiò cognoscat, tempore aut cognoscendi ordine & actu discreto & separato, pro vt in nobis cognitiones variarum rerum, variis etiam actibus videmus esse dispunctas & separatas; id enim exilitati mentis nostræ tribuendum 29.

dum est: quæ quia ad omnes vnico obtutu se nequit extendere, oculum mentis circumducit, vt diuersis quasi aspectibus attingat singula, quæ non potest simul multa. In Deo autem, infinitâ inquam Mente, cum nullus sit comprehensiuæ virtutis terminus, ita nihil est quod aciem eius fugiat; & tam distinctè percipit, actu tamen vnico, vniuersa, quàm si vnicæ tantum rei cognoscendæ, totam Mentis suæ aciem ingeniumque impenderet.

30. Vin plura dicam? certè id dico, cognitionem illam Deum ipsum esse: & si cognitio ea non existeret, Deum non fore. Adeo vt sicut essentia animæ nostræ est esse rationabilem; hoc est, ratione vti posse, posse cognoscere; ita essentia Dei est, non posse tantùm, sed actu ipso cognoscere quidquid cognosci potest; Deus enim Actus purus est, vt loquuntur Theologi, nulla omnino possibilitate inuolutus, aut mutationi vlli obnoxius. Quidquid in Deo est, est, & non tantum potest esse. *Ego sum qui sum.* & *qui est misit me.* ita se Deus ipse appellat, quòd si verò non actu vnico omnia comprehendat, certè mutationi est obnoxius Deus. nam si cùm Angelum cognoscit, non cognoscit actu eodem hominem, profectò manifestum est, mutatum esse Deum, factumque ex Deo cognoscente Angelum, Deum cognoscentem hominem. Igitur non est Deus. quod cùm sit planè absurdissimum, dicamus sanè, quod res est, omnes illas rerum omnium possibilium species, imagines, ideas, & cognitiones, vnico & puro Actui diuinæ Mentis competere; imò omnes illas cognitiones, sic in vnâ Mente coniunctas, nihil aliud esse, nisi ipsum Deum.

Et hæc cognitio est Deus ipse.

Exod 3.

§. V.

Quam necessaria fuerit Scientia simplicis intelligentiæ, ad ordinandum hoc Vniuersum, & hanc creaturarum seriem, quæ modò est.

31. His itaque sic rectè constitutis & perpensis, illud præterea sciendum est, Ideas illas infinitarum rerum prorsus infinitas, magno vt sic dicam studio peruoluisse æternam illam sapientissimamque Mentem, & vt humano more ad homines loquar,

Atque hâc scientia indiguit, Deus, vt hunc mundum liberè conderet.

quar, quasi deliberationem secum instituisse, qualem & quem mundum, ex infinitis, quorum Ideas habebat in promptu, ex Diuinâ illâ Mente depromeret, & in lucem daret: omnibusque rite perpensis, examinatis omnibus rerum omnium circumstantiis, ponderatisque quæ hinc & hinc occurrebant rationibus sine dubio infinitis; tandem ex infinitâ illâ mundorum congerie, hunc denique Vniuersi ordinem, rerumque seriem, quam mundum hunc appellamus, & quidem solum, pro suâ libertate statuisse condere & creare. Rursus verò quia in hoc rerum ordine seu mundo, infinitæ aliæ poterant creari species rerum, quarum idæas clarissimas in mente descripserat; infinitis aliis prætermissis, has species Angelorum, hominum, animalium, fruticum, elementorum orbiumque cælestium creandas sibi sumpsit, & non alias; idque rursus liberè, nemineque necessitatem imponente. Tandem quia rursus in quâuis creaturarum specie, puta hominum, infinita individua sunt possibilia, infiniti homines alij quàm iam sint, infinitæ aliæ arbores, animalia infinita, infiniti Angeli prorsus alij atque alij; omnibus rite expensis, has quæ fuerunt, eruntque creaturas, & inter illas te, quisquis es ô mortalis, selegit summo studio immensa illa & vasta Mens, & suo quem constituit tempore & loco, è suâ Mente producendum liberè destinauit.

Liberè inquam: nihil est enim quod supremo domino necessitatem imponat; *omnia quæcumque voluit fecit.* Atque hinc iterum manifestum fit, quàm necessariò statuenda sit in Deo infinita illa possibilium creaturarum cognitio. Si enim non aliam cognouisset rerum seriem seu mundum, alium certè creare non potuisset. itaque creare si quando statuisset mundum aliquem, iam sanè ad hunc creandum quem solum norat, necessitabatur, cùm alius creandus menti non occurreret. libertas enim sine electione non est, incogniti autem nulla est electio. Vt ergo liberè creatum hunc à Deo mundum asseramus, alios possibiles cognouisse necesse est, vt ex iis quem vellet, seligeret reiiceretque. Quod si verò vnicum tantummodò possibilem mundum, cognitum fatearis præter eum qui modò est conditus, infinitorum illico cognitio concedenda est Deo. infinita enim possibilia cum sint, & quidquid possibile est, sit cognoscibile; consequens est, cognoscibilia esse infinita. quapropter cùm omne cognoscibile

32. Psal. 113.

gnoscibile comprehendat Deus, infinita sane possibilia eum cognoscere fatearis necesse est. nulla enim ratio ad vnum possibile cognoscendum determinat, vbi infinita comprehendendi vis est, & plura possibilia statuuntur esse, cognosci quæ possint.

33. At verò, inquies, liberè cum agat omnia, cur hunc hominem potius creandum destinauit, quàm infinitos alios qui creandi non sunt, & quos tamen æquè facili negotio è suâ Mente poterat educere? Arduam rem petis quisquis hanc petis. Quid dicam? verùm & illud interrogo ego, cur pictor aliquis hanc tabellam picturamue ex mente suâ educit, penicilloque designat, & non aliam? quanquam comparatio hæc, vt video, non planè congruit. Responderi enim facilè posset, ideo hanc efformari pictoris penicillo, quia huius tantùm & non alterius ideam in mente circumferebat; & quamuis alias poterat efformare penicillo exprimendas, nullas tamen re ipsâ efformauerat. At verò in Deo id non est; omnes enim omnium rerum ideæ, æquè præsentes illi sunt, æquè claræ, æquè vt producantur faciles. cur igitur has suscipit in lucem producendas, reiectis aliis numero infinitis? *Quòd si quæras, cur Deus has præ illis creaturas crearit,*

34. Quid respondeam, quò me vertam nescio. Et verò scio. Ad te me conuerto Mens increata, Mens Diuina: in te rerum omnium rationes inuenio expeditas, illud cum scio, destinato hæc consilio à te facta. Nam vt rectè monet Sapiens: *Tecum Sapientia tua quæ nouit opera tua, quæ & affuit tuno cùm orbem terrarum faceres, & sciebat quid esset placitum oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis.* Mortales! *quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* inquit diuinus Paulus: & rursus sapientissimus Salomon, *quia omne quod voluerit, faciet; & sermo illius potestate plenus est, nec quisquam dicere ei potest, quare ita facis?* An non satis est scire me, immensam illam Sapientiam, post tanta studia, tantamque in expendendis omnibus instituram deliberationem, ita statuisse, vt acquiescam, & dicam Factum benè? *non habeo quod certò respondeam, nisi quia ita voluit.*

Sap 9. ad Rom. 11 Eccl. 8.

35. Verùm cùm etiam illud mihi constet, omnia quæcumque agit Diuinum illud Numen, ad suam gloriam honoremque referre, *vniuersa enim propter semetipsum operatus est Dominus*, illico fit illud planè credibile, hos Angelos, hos homines, hæc elementa, hos cælos, hoc denique Vniuersum, præ cæteris omnibus creationi *Credibile est, quia has præalia noluerit gloriæ suæ manifestandæ magis*

Prou. 16.

conducere. Certũ est, quod quia per has & non per alias, gloriã suã voluit manifestare.

tioni fuisse destinatum, quòd hæ creaturæ maximè ad gloriam suam promouendam conducerent, ostentationemque artis suæ. Aut si alias etiam creaturas possibiles esse contendis, ad artis demonstrationem, præ his quæ deseruirent; id verò præterquàm quòd tu nescias, neque ad id probandum quidquam præter coniecturas afferre possis; certè statuendum est, has & non alias ab Artifice summo esse electas, in quibus & per quas Sapientiæ & Scientiæ suæ, imo & Bonitatis & Misericordiæ thesauros absconditos re ipsâ patefaceret & declararet. Quâ verò motus ratione id egerit, nescio; rationes non indago, sed factum approbo, veneror & adoro. Et verò, quis pictorem aggreditur, petitque cur per hanc picturam potiùs, quam per aliam voluerit artis suæ specimen dare, eamque commendare posteritati, cùm aliæ supereslent ideæ, quibus æquè id facilè consequeretur? certè quia per hanc nomen suum commendare volebat, non per aliam; nulli ideæ iniuriam fecit, omnium fabricator, & proinde omnium dominus.

Pro hoc beneficio, gratia à creaturis singulis, Creatori agenda.

Miseri, si naturam in nobis corruptam, at si destinationem 36.
Dei attendimus, felicissimi mortales! quantam habemus Deo maximo gratias agendi materiam, vel ex hoc solùm capite, quod nos ex infinitâ illâ hominum possibilium congerie, sigillatim nominatimque exceperit, per quos suam ipse gloriam commendaret? quid, quòd & illius gloriæ percipiendæ capaces fecerit? Vbi præ totâ hominum possibilium infinitudine, id sumus meriti? quid egimus, quid contulimus? Rursus identi dem id cogita, quâ quæso fronte, dispositionibus eius sanctissimis audeas intercedere, totamque idearum symmetriam querelis indebitis interturbare!

Neque cõquerèdum quod sic & non aliter sese efformarit.

Quasi verò in artificiosissimâ & ad omnes artis leges exactâ 37.
picturâ, effigies quæ secundùm perspectiuæ tenorem magis dissitæ vt appareant, obscurioribus obducuntur coloribus, minoresque designantur, iustè conqueri possint, quòd eo statuantur loco, quòd tam obscuro, quòd tam exigui efformentur masculi, cum nullo labore in debitam educi possint altitudinem. Quiescite quæso insani masculi, neque picturæ proportionem vestris obmurmurationibus interuertite: satis id quidem vobis gloriosum est, à mente artificis eductos vos, cum alios posset quamplurimos efformare; satis vobis sit esse, & tabulam illam artificij

plenam

plenam positione vestrâ condecorari. Illô certè debebatis esse loco & non aliô, neque clariores neque adeò etiam maiores, vt artem suam pictor commendaret. Hoc si vos non percipitis, satis id sit artificem id dignoscere, artifici sic visum, artifici sic placuisse. Pluribus rem non explico : videtis oppidò quò tendam & quid velim. Ad alia faciamus gradum.

§. VI.

Exponitur Scientia Visionis: & quomodo Deus creaturas re-ipsâ aliquando creandas, ordinet ac disponat.

38. COgnitâ itaque beneque perspectâ totâ possibilium creaturarum congerie, decreuit Deus aliquas, prætermissis cæteris, è Mente suâ educere & in lucem dare : illud inuiolabili statuens decreto, quot forent & numero & specie : quasi si pictor certò statuat quot & quas effigies in tabellam suam velit educere, & spectatorum oculis visendas proponere. Hoc decretum, non temporis sed naturæ, vt Theologi loquuntur, ordine, subsequitur secunda in Deo scientia quæ in Scholis dicitur *Scientia Visionis*, & rectè. Vti enim videnti ea quæ videt præsentia esse necesse est, ita per hanc scientiam, omnia quæ possibilitatis arcanas tenebras euasura sunt, & totâ æternitate sunt creanda aut futura, fiunt præsentia Diuinæ Menti, apud quam nihil futurum est; eaque in se ipsis, quasi æternitati suæ, quâ omnia tempora complectitur, coexistentia intuetur. *Explicatur secunda scientia, quæ dicitur Visionis.*

39. Adeo verò exacta est hæc visio, vt penetret prorsus rem omnem, omnem naturam comprehendat, proprietates dispositiones, situs omnes peruadat; perfectionem, numerum, magnitudinem rerum omnium exactè norit; adeò vt in totâ rerum omnium congerie, ne capillus quidem minimus, non arenula, non atomus sit, cuius & pondus, & exilitatem, & duritiem non exactè penitusque discernat & videat. *Quâ Deus videt omnes res futuras.*

40. Neque id mirabitur, quisquis attenderit omnes omnino creaturas ex Deo vt sic dicam effluere, hoc est ex cogitationibus ideisque quæ in Dei Mente sunt : adeo vt nulla possit esse creatura, ne musca quidem aut vilissima formica, cuius idea non sit in *Omnium creaturarũ in Deo sũt Ideæ.*

in Deo; neque alio modò extra Deum in naturæ huius quasi tabulâ sit exposita, quàm prout in Diuinâ Mente est descripta. Ita Diuinitatis ille magnus interpres Dyonisius: *Omnium Causam, priùs constituisse omnium rerum exemplaria concedendum est.... Exemplaria autem dicimus, essentiæ rerum effectrices rationes, quæ in Deo coniunctæ ante fuerunt..... Diuinasque ac bonas voluntates, quæ constituunt & faciunt omnia.* D.Dyon. de diu. nom. c. 5. in fine.

Et hæ creaturarum Ideæ sunt Deus ipse.

41. Obseruatione imprimis digna sunt ea verba, *rerum quæ in Deo coniunctæ ante fuerunt.* Quod quidem, sic intellige. Veluti si aquæ per sex septemúe canaliculos ex castello conchâue defluant, nihilominus in ipso fonte fuere coniunctæ, coniunctæque vnam constituebant aquam, quæ mox per canales in lucem prodeuntes fuere discretæ; ita, imò longè perfectiori modò, creaturæ omnes in Deo fuere coniunctæ, constituebantque vnum Deum: quæ deinde cùm è Diuinitatis fonte deriuari cœperunt tanquam riuuli, singulæ seorsim factæ sunt creaturæ. Ita diserte diuinorum conscius, ipsemet Ioannes. *Quod factum est, in ipso vita erat*: ita commate dispungendam esse hanc sententiam docet Augustinus, eamque, in rem meam, sic admirabundus exponit. *Quid est hoc? facta est terra, sed ipsa terra quæ facta est, non est vita. Est autem in ipsâ sapientiâ spiritualiter ratio quædam* (Ideam dic) *quâ facta est terra; hæc vita est.* Et rursus post pauca. *Sic ergo fratres charissimi, quia Sapientia Dei per quam facta sunt omnia, secundùm artem continet omnia, antequam fabricet omnia; hinc quæ fiunt per ipsam artem, non continuò vita sunt, sed quidquid factum est, vita est in illo.* Nemini itaque mirum videri potest, nihil esse in toto rerum ordine creaturâue vllâ, quod aciem eius effugiat; nam præterquàm quòd eas in se ipsis quasi præsentes videat, cognoscit præterea eas in se ipso. Quòd si ergo aliquid esset, quod non penitus comprehenderet, iam verò neque se ipsum vitamque suam comprehenderet; nam quod *factum est*, & extra ipsum creatura est, *hoc, in ipso vita est*, in ipso Deus est. Si ergo quod factum est non intelligit nec comprehendit, neque se ipsum comprehendit, adeoque non est numeris omnibus perfectus Deus. Quod tamen fieri, ne per Deum quidem potest. Ioan. 1. Aug. tr. 1. in Ioan. circa finem.

Ex his Ideis, Deus ordinat

42. Tandem habitâ rerum omnium tam exactâ notitiâ, demum accingitur Sapiens Deus, vt eas omnes & singulas ordine bono componat

componat, finique quem sibi præfixit assequendo, accommodet. Quis is est inquies? nullus certè, nisi Diuinitatis suæ honor & gloria: quam quidem in eo positam intelligit, vt vniuersum illum mundum seriemque rerum quam intellectu percipit, voluntateq; liberâ creare & in lucem protrudere iam decreuit, optimo quô potest ordine dispertiat, & in rem deducat; sic vt totâ rerum facies, ordo & symmetria, ipsâ luce clariùs *enarrent gloriam Dei*. huc eius omnia collimant studia. *creaturas vniuersas*

43. Et verò satis constat, artem amœnitatemque picturæ nobilis non id exigere, vt effigies singulæ, seu personæ rerumue imagines, æquè exactè sint expressæ, æquè concinnæ, æquè altæ & expansæ: imò contra potius, æqualitas illa turbaret omnia, imperitiamque pictoris argueret; cùm manifestum sit, aliam quidem personam antrorsum quasi prodire debere, aliam verò retrocedere, vt accurata perspectiuæ ratio habeatur, in quâ quidem picturæ perfectio, ars amœnitasque consistit. neque enim satis est nescio quot masculos in tabulam coniecisse sic quasi temerè, nisi ordine inter se, situs, positionesque singulæ, ex arte & decorô disponantur. *Sicut pictor tabulam.*

44. Sic prorsus in hâc naturæ tabulâ exornandâ actum est. Non id satis erat creaturas producere, vt rectè censeantur productæ, nisi per sua quæque tempora, & loca naturæ apta, rite & ordinatim digerantur. Quòd si enim quotquot fuere futurique sunt homines, cæteræque quæ modò sunt creaturæ vno temporis momento productæ, & in hâc mundi tabulâ vno eodemque die fuissent expositæ, quæ demum terra tantam rerum hominumque farraginem simul capere potuisset? vnde alimenta tantæ multitudini alendæ suffecissent? idcirco conueniens terræ spatio creaturarum multitudo creanda fuit; certus arborum plantarumque, certus animalium, hominumque numerus mundo huic exponendus, qui & terræ sufficeret, & cui alendo terra abunde suppeteret. Illis itaque primô illo mundi nascentis exordio procreatis seu hominibus seu animalibus aliis plantisque, similes sibi specie creaturas progignendi, à Sapientissimo Deo virtus & facultas, summâ prouidentiâ, simul est concessa; sic tamen vt etiam prouiderit, quot & quæ, quo tempore, & à quibus fuerint procreandæ, substituendæque earum loco, quæ lapsu temporis ex Diuino decreto erant interituræ, locumque hunc *Determinando imprimis tempus quo qualibet oriri, durare, & interire debeat creatura.*

& quasi theatrum orbis cessuræ post se exponendis creaturis.

Et ad hoc consequendū ordinat cælorū orbes, nubes ventos &c. tamquam instrumenta.

Et quidem, vt hanc interitus ortusque in rebus omnibus vicissitudinem inferret, mirâ sanè industriâ cælos, nubes, pluuias, hyemes, æstates, nebulas, ventos, naturam omnem, suis temporibus disposuit & attemperauit Deus, aliis vt gignendis, corrumpendis aliis vt subseruiant. Adeoque ridiculè prorsus persuadet sibi nescio quis, casu & fortuitò se venenatâ aut certè malâ afflatum aurâ, quâ eius tentata sit imò & afflicta valetudo; cum ab ipsa iam inde æternitate Deus constitutum illud habuerit, ventos eô modo disponere, aëremque istâ intemperie corrumpi, quâ corripereris tu, eo prorsus tempore quô interitum tuum, conuenienter naturæ deberi prospiciebat. Atque pari prorsus ratione, interitus ortusque omnium omnino rerum per sua loca temporaque, secundùm naturæ tamen id exigentis leges, digessit Sapiens Deus. Cum enim creaturas omnes, Angelos excipio & animam Hominis, corruptioni obnoxias creare pro suâ libertate statuisset, ita ex eâ, quam de singulis habebat, scientiâ & notitiâ, singula inter se stupendo planè artificio attemperauit, vt singula sibi manum darent; & vt ad exortum, erant futura adiumento nascituris, ita & occasui præberent causam, interituris futura offendiculo. 45.

Deinde determinat singularū creaturarū naturas, dotes, & qualitates.

At, cùm non tempora creaturarum solummodò ordinanda essent, sed & compositiones, status, naturæque earum quæ eodem temporis tractu simultaneæ in hoc theatrum mundi erant prodituræ, aut vt in comparatione hæream, in hac naturæ tabulâ erant exponendæ creaturæ; certè in earum ordinatione admirabilem sese demonstrauit artificem, ingeniosâque prorsus manu singula designauit. Id enim pictoris egregij est, varietatem tabulæ dare, & in varietate, artem & amœnitatem. Etenim si omnes omnino creaturæ, eâ quâ sol claritate forent spectabiles, quæ demum ea foret naturæ commendatio? si omnia omnino animalia, Elephantes magnitudine exæquarent, quàm parvus earum esset vsus? si aquæ omnes, ignis calore pollerent, quam diu natura subsisteret? si terra adamantis pulchritudinem duritiemque præseferret, quibus tandem aratris subigeretur, pararetur que ferendis frugibus? certè attentior in rem suam fuit Deus, qui perfectionem omnem ita temperauit & per singulas distribuit creaturas, ita situs locaque digessit, proprietates eas 46.

dedit.

dedit, vt meliori sanè modo exponi non potuerint. non quòd quæuis creatura, alterius perfectionem adæquet aut æmuletur; quis enim dicet terræ glebam, adamantis pulchritudini comparari posse? sed quòd optimâ ratione sint expositæ, proprietatibus iis dotatæ singulæ, quæ fini quem Deus præfixerat, hoc est naturæ sustentationi, pulchritudini, & varietati inducendæ, quàm maximè conuenirent. Et hoc quidem sensu, melius esse aio terram esse inconditam, obscuram & sordidam glebam, quam summi splendoris pretiique adamantem: prorsus vti dicendum est, informem homuncionis, obscuramque in picturæ perspectiuâ vltimâ, depictam effigiem, meliùs isthic eo modo adumbratam esse, quàm si viuacissimis coloribus clarissimè expressa, primarum quæ se in primo tabulæ plano offerunt personarum, accurationem viuacitatemque superaret: est enim prout situs & distantia, hoc est, prout ars requirit.

47. Neque tamen id, inanimatas inter aut ratione carentes creaturas, solùm præstitit. Certè inter homines id quoque, ineffabili planè artis euentuumque varietate, est ordinatum. Cùm enim creandis hominibus numerum & multitudinem præfixisset, hunc qui futurus est; tunc demum tempus cuique suum, imò & locum, parentesque è quibus nascerentur, ordine disposuit; rursus quanto tempore vitam protraherent, per quos euentus, paulatim aut subitò interirent, liquidò determinauit. Demum, cum summa inter hominum conditiones, imperantium & parentium necessaria esset distinctio & intercapedo, aliis alias naturæ dotes impendit: statuit quo corpore, quibus viribus, quâ valetudine, quâ formâ, quo oculorum aspectu, mas an fœmina forent efformandi; rursus quâ mentis acie aut hebetudine procreandi, quibus dotandi diuitiis, quomodo præponendi cæteris, quo pacto rursus, si rebus id conueniat, deturbandi & ad humiliorem ordinem redigendi. Omnes denique euentus, euentuumque circumstantias, prout nunc eueniunt, & porro deinceps euenient, scientiâ illâ Visionis complexus est. Et verò statuit ordinauitque singulos sigillatim, sic prout nunc sunt, eruntque: hôc enim & non aliô modo subseruiebant honori diuino propagando, qui in rectâ totius Vniuersi situs est constitutione; & hæc rursus exoritur ex singularum partium debitâ symmetriâ.

Quod quidem peculiari studio etiã facit, in disponẽdis hominum conditionibus.

§. VII.

Exponitur Scientia Dei media, seu Scientia conditionalium, quæ Deo necessaria ad dirigendos hominum Angelorumque actus liberos, eosque euentus qui ex libero creaturæ arbitrio dependent.

At quomodo inquies disponit Deus ea quæ libero hominis subiacent arbitrio.

VErùm, quo pacto inquies, res humanas ordinare potest Deus, easque quæ vt sint aut ne sint, ab humano dependent arbitrio, cui certè Deus nullam necessitatis legem statuit imponere? Quòd ratione & libertate carentes creaturas, ad certum scopum nouerit dirigere, hoc quidem potest intelligi. Id enim præstant singula, quod eorum natura necessariò fert: adeoque ignis semper vrit & calefacit quantùm potest, lapis naturâ suâ semper deorsum fertur, semper lucet sol, humida est semper aqua, in motu semper venti, omnia denique agunt id quod ea agere voluit Deus; aguntque cùm possunt, quæcumque possunt. Adeoque creaturarum eiusmodi vires, suis decretis Deus aptare potest commodissimè. Sic cum Sodomam statuit in cineres redigere, vel vt nefandi sceleris supplicium cum cineribus toto orbe spargeretur, vel vt memoria sceleratissimorum hominum in flammas, cineresque, & denique in ventos iret; certè, vt sententiæ latæ executionem assequeretur, flammas vltrices vrbibus pœnæ designatis Deum immisisse satis scimus. Ignis, naturæ suæ raptus impetu, adussit omnia. Fecit quòd debuit, quia fecit quantùm omninò potuit. At verò, si ignis ille libero voluntatis arbitrio fuisset præditus, adurereq; proinde potuisset, quantum quidem fuisset collibitum; quo pacto Deus certò scire poterat imperii sui euentum, qui ex ignis arbitrio, & quidem totus dependeret? non enim per coniecturas agere censendus est Deus, errori ne sit obnoxius; infallibilia vt sint oportet, quæ Deus directioni suæ adhibet, ne aliàs turbari possint consilia, ne decreta interuerti omnia dirigentis Dei. Quòd si verò infallibilia sint decreta, quomodo sunt homini adhuc libera? & si homini libera, infallibilia qui sunt Deo? 48.

Solida

49. Solida prorsus est hæc quæstio, cui dissoluendæ tertia quæ in Deo est, eaque præ cæteris admiranda, obtutu vnico considerandæ est Scientia; quam quidem Scientiam conditionalium appellamus. Hâc verò, non ea quæ futura sunt tantùm, neque verò etiam quæ simpliciter possibilia sunt complectitur, sed inter has mediâ quâdam eâque amplissimâ scientiâ, omnia quæcumque non quidem fient, sed quæ positâ quâcumque conditione futura fuissent, liquidò clarèque comprehendit. Abyssus hîc se rursus aperit, Auditores, immensa & infinita. Hinc conijcite si potestis, quid sit Diuina Mens: non enim hoc tantùm videt, hæc nunc legere modò te, librum inspicere, loco huic interesse; verùm id etiam nouit, quo loco futurus, hîc si non sis; quid isthic facturus dicturusúe, cum quibus & quamdiu acturus. Nouit, ante centum annos nati si fuissemus, quid destinassemus animo; quas partes, si primis Belgij hæresisque tumultibus contigisset interesse, fuissemus libero arbitrio secuturi; si modò pauper es, nouit tamen quid medias inter diuitias constitutus, aut etiam in regiâ dignitate positus, quid mas, si fœmina es; quid fœmina, si nunc mas es, mente designasses; quâ ratione potestate datâ, benè an malè vsurus. Et verò, cùm nulla sit creatura, quæ non infinities variis circumstantiis & conditionibus exposita considerari potest, infinitique cùm sint casus, qui si mihi superuenirent, aliâ atque aliâ ratione me gererem, pro meâ tamen voluntate liberoque arbitrio: certè de me & de quauis creaturâ, infinitam omnino Scientiam habere dicendus est Deus qui omnia quæ quâuis in conditione, statu, tempore, & occasione liberè fuerim facturus, perfectissimè penetrat & cognoscit. Atque adeò de omnibus simul creaturis, quæ infinities infinitis conditionibus possunt implicari, scientiam habet infinities infinitam. Hâc scientiâ quî vtatur, deinceps explicabimus. Tract. 5.

Ad hoc rite præstandũ necessaria Deo fuit scientia tertia, quæ cõditionalium dicitur exponitur. quid ea sit.

50. Immense & omnia comprehendens Deus! An non id saltem fateri debeo, esse *incomprehensibiles vias tuas*? certè si tantùm eam quam de me, variis conditionibus substante, scientiam habes infinitam considero, cogor exclamare cum Psalmistâ, *Mirabilis facta est scientia tua ex me; confortata est, & non potero ad eam.* Et eam quis speret se posse comprehendere? Amens sanè sit. Hoc ego nunc tantùm dicam, Deum, postquam omnes Psal. 138.

Adoranda-que tam immẽsam Dei scientiã ô mortalis.

omnium rerum circumstantias sub quâuis conditione futuras, quid quisque in iis liberè dicturus acturusque prospexit, tum sine vllo libertatis sese hoc vel illo modo determinantis præjudicio, ex omnibus quotquot dari possunt conditionibus, eam seligere pro infinitâ suâ bonitate & misericordiâ, quam pro constitutione naturæ, pro temporis opportunitate, pro locorum differentiâ, optimam commodissimamque iudicat fini suo, hoc est bono publico, naturæque administrationi, & demum etiam cuiusque sigillatim priuatæ saluti & incolumitati consequendæ. Si quid, quod contra hæc faciat, fortè occurrit, aut hæc obscuriùs dicta videantur, in sequentem quæso differte tractatum & dubia quæ occurrunt, & audientiam quam postulo.

Eique totum te cõmitte.

Sufficit mihi modò, immensam illam quam mihi dirigendo 51.
scientiam impendit omniscius Deus, vno velut oculo perlustrasse, inspexisseque immensam Diuinitatis abyssum, ex quâ me omniaque quæ me spectant tanto ordine, tam maturo consilio video profluxisse. Ita-ne nobiscum agitur! tanta studia, tam profundæ cogitationes tibi impenduntur miser homuncio, luti frustulum, terræ pondus! & erigere te audes nihilominus, rerumque à tantâ Mente præscriptarum rationes expendere, arrodere, imò conuellere non erubescis? Absit profectò, absit à me tanta audacia, arrogantia tam projecta. Adoro te ô Sapientia infinita, ô Scientiæ pelagus, ô Prouidentiæ abyssus: & licet reconditas pectoris tui rationes non intelligam, illud certè fidenter assero *quia omnia mandata tua æquitas, omnia in sapientiâ fecisti.* Et quamuis humana, quæ sibi nimium abblanditur, ratio obganniat, tamen post hâc cum Epicteto, *Ego te in omnibus, apud homines defendam:* & cum Dauide, *Prouidebo Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi.* Non eas quæ mihi occurrunt rationes, sed Dominum omnibus prouidentem, in omnibus agentem prouidebo; & demum id consequar, vt acquiescam. Nam *propter hoc lætatum est cor meum, quoniam tu Domine in spe singulariter constituisti me.*

Psal. 118. Psal 103. Epict. apud Adrian l 2. c. 16. Psal. 4.

TRACTA-

TRACTATVS V.

Tecum sapientia tua (Domine) quæ nouit opera tua, quæ & affuit tunc cùm orbem terrarum faceres, & sciebat quid esset placitum oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis. *Sap.* 9.

Tandem ex dictis ostenditur, nihil prorsus temerè aut casu fieri, sed summo Dei iudicio, attentione, & ratione. Rationum autem percipiendarum, humanam mentem capacem non esse, liquidò demonstratur.

PROOEMIVM.

TAndem aliquandò ingentem de Deo opinionem imbibemus; & quidem rationibus ijs inducti, quas admirari quidem possumus, intelligere planè non possumus. Neque hoc tamen à nobis alienum est: id enim etiam humanis in rebus vsu-venit; miramur, ea quorum rationes causasque non percipimus; vt autem has intelligimus, ea mirari deinceps desinimus. Stupore defixos tenent artis ignaros, hydraulicæ fontium machinæ, arcus, irides, stellæ, bullæ, pluuiæ, vitrorum imagines, quæ per compressam fistulis aquam, iucundo sanè artificio efformantur: vt verò ars innotuit, cessat stupor. Idem in Diuinis prorsus accidit; quò altiora videntur ea quæ diximus, quæque dicturi sumus porrò, rursus quò ea percipitis minùs clarè, obscurè modò si percipitis, hôc ego id quod volo assequor feliciùs. Tantùm enim id probare est animus, eam esse Diuinæ Sapientiæ præstantiam, vt eam assequi nulla mentis acies possit. Quid deinde inquies? quid inde consequar?

Illud

Illud certè; tantæ Menti, vt ſummâ alacritate ſubmiſſurus ſis animum, ſuis tantùm opinionibus inquietum; faſſuruſque liquidò, non eum eſſe te, qui de mundi ordinatione, ſingularibuſque caſibus judicium poſſis ferre. Hoc igitur agam modò, percurſiſque ſtrictim Diuinæ Sapientiæ voluminibus, oſtendam *primò*, quo pacto totâ illâ ſcientiâ, in rerum diſpoſitione vtatur Deus. *Deinde* quod hinc conſequitur, nihil penitus caſu fieri; ſtudiô autem deſignari vniuerſa. *Tertiò* denique, nimiùm infirmæ mentis eſſe nos, quàm vt quidquam horum quæ obueniunt, poſſimus aut corrigere aut reprehendere.

§. I.

Proponuntur rurſus breuiter, tres Scientiæ Dei, ceu tres libri quibus Deus ſtudet; vt inde deducatur nihil caſu, ſed ſtudio fieri omnia.

Alio modo conſiderãtur hæ tres ſcientiæ, tãquam tres libri aut potiùs Bibliothecæ.

VNo quaſi oculo, curſim, & cœco modo circumſpeximus arcanos libros Diuinæ Sapientiæ, in quibus ipſiſſima Theologia, hoc eſt quæ in Deo eſt ſcientia quanta-quanta eſt, tota comprehenditur & continetur. Neque vero idcirco, ſaltem aliquò vſque, apertos à me quis credat, quaſi eos explicare præſumpſerim, aut etiam penitiùs inſpicere: *quis enim cognouit ſenſum Domini*, ſenſum inquam eorum, quæ Diuinis illis voluminibus continentur? Titulos tantum inſpexiſſe ſat fuit, vt haberem id, quod non ſatis humanum ingenium poſſit capere & admirari. 1. ad Rom. 11.

Quid in volumine ſimplicis intelligẽtiæ legat aut norit Deus.

Quis enim ſatis ſtupeat immenſum illud primumque volumen; quid volumen dico? Bibliothecam inquam & quidem infinitam, *ſimplicis intelligentiæ Scientiam*, quâ omnes res poſſibiles circumplectitur? In hoc certè volumine, infiniti milliones Mundorum deſcripti ſunt & viuaciſſimè expreſſi, inter quos Mundus hic noſter tantum vnus eſt. Et in infinitis illis Mundorum millionibus, infinita cognoſcit creaturarum, non dico tantùm indiuidua, ſed genera & ſpecies infinitas, inter quas totâ hominum ſpecies, tantùm eſt vnica. Rurſus in ſingulis creaturarum ſpeciebus, infinita intelligit indiuidua poſſibilia, quæ tamen in rerum naturâ nunquam futura ſunt; infinitos Angelos 2.

præter

præter eos qui nunc sunt, infinitos homines, cælos soleſque infinitos, infinitas denique in quâuis ſpecie, præter eas quæ futuræ ſunt, poſſibiles creaturas. Earum vero omnium naturam, temperamentum, ſtatum, conditionemque nouit tam exactè, vt non aliter futuræ eſſent ſi fierent, quàm in illo volumine ſunt deſignatæ.

3. Secundò, ex hoc immenſo volumine, illud ſedulò poſtquàm euoluerat & peruoluerat, contractiorem quendam librum compoſuit ſagax Deus, quam *Scientiam viſionis* nomines; perſpectis enim omnibus, ſic ſecum conſtituit, dixitque; Hunc ego, ex omnibus quos poſſibiles cognoſco, Mundum rerumue ſeriem volo in lucem emittere, & quaſi vt ſic dicam, typis edere: hos cælos, hunc ſolem, hos homines non illos, hos Angelos non alios, quos tamen ſcio eſſe poſſibiles. Adeo vt in hunc librum ſeu potius Bibliothecam, quotquot vmquam æternitate totâ futuræ ſunt, creaturas congeſſerit: ordine tamen exacto; ſic vt quaſque ſpecies, & ſpecierum indiuidua, per claſſes ſuas, loca & tempora, annos dieſque quaſi per libros, capita, paragraphoſque accuratè digeſſerit & diſpunxerit. Tam copiosè verò tractantur ſingula, vt nihil prorſus ſit omiſſum; adeo vt ne minima quidem formica ſit, cuius non ortus, & natiuitas, & ſi ita loqui fas ſit, parentes, ætas, magnitudo, habitatio, diſcurſationes, rixæ, bella, interitus, hiſtoria denique tota ſit diligentiſſimè expoſita & exarata. Non itaque mireris tu, ô homo, totam quæ te contingit rerum euentuumque ſeriem, ortum, occaſum, cogitationes omnes & actiones, quid quouis die, horâ & momento à te deſignandum, quibuſcum acturus, quæ loca petiturus, quamdiu in ſingulis hæſurus, quid moliturus, quò euentu proſpero an aduerſo, denique totam penitus quæ te ſpectat, hiſtoriam iſthic enarrari, & per ſingula diſtribui temporum momenta. Illud enim certum eſt, quod Pſalmiſta vix obiter inſpecto qui vitam ſuam contingebat paragrapho, illico ſtupore plenus exclamarit; Quid hoc eſt Domine? quid agis? *Domine probaſti me* Pſal 138. vt video, *& cognouiſti me: tu cognouiſti ſeſſionem meam & reſurrectionem meam. Intellexiſti cogitationes meas de longè, & funiculum meum inueſtigaſti; & omnes vias meas præuidiſti.* Et quaſi ſi vitæ ſuæ hiſtoriam, meliùs indagaturus rem, iterum inſpexiſſet, admirabundus rurſus exclamat, *Ecce Domine tu cognouiſti omnia,*

Quomodo exprimo illo libro, ſecundum contraxerit, qui dicitur ſcientia viſionis.

omnia, nouissima & antiqua; tu formasti me & posuisti super me manum tuam. Denique quasi si librum manibus deponeret, plenus veneratione sacrâ, neque verba quibus se explicet inueniens, illud tantùm ingeminat, *Mirabilis facta est Scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam.*

Quomodo ex vtroque constituatur tertium, qui est scientia conditionate futurorum.

Quòd si eam non possit mente consequi diuinus Dauid, quis immensam *Conditionalium scientiam* poterit complecti animo, quâ non tantùm ea, quæ re ipsa futura sunt, sed & quæ positâ quâcumque conditione, erant euentura continentur! iuuat id paucis adhuc exponere. Non enim id Deus solummodò videt, quid tibi toto matrimonij tempore, si coniugatus es, sit superuenturum; verum & quid acturus, si cælebs, si sacerdos, si Religiosus, si in Indiâ natus aut educatus, vbi futurus modò, si huic loco non interesses; denique an si diues, doctus, in honore constitutus, æternas pœnas sceleribus meriturus fuisses, an verò præmia virtuti debita, bono arbitrij tui vsu consecuturus. Nemini enim potest esse dubium, quin omne verum à Deo cognoscatur. Iam verò, vt doctissimè prosequitur Suarez, Vasquez aliique, si aut in Indiâ aut inter hæreticorum primos tumultus, natus fuisses aut educatus, alterutrum verum est, aut damnandum te aut non damnandum. Quod si itaque verum est non damnandum te, sanè id nouit Deus, aut non nouit omne quod verum est. Atqui non damnandum te eo casu, conditionatum est, seu verum tantummodò sub eâ conditione, quæ te in Indiâ natum ponebat; itaque aliquid quod conditionatè futurum est nouit Deus. Ita sanè Sidoniorum Tyriorumque conuersionem futuram, certò & infallibiliter prædixit Christus ipse, si ea fuissent illis in vrbibus patrata miracula, quæ facta in Corozaim; cùm tamen ea morum conuersio numquam fuerit consecuta: verum tamen erat fuisse consecuturam, si modò quæ Corozaim oculis perspexerat, stupenda Christi facinora Tyrij Sidoniique persensissent. Vnum verò conditionatè futurum, infallibiliter si nouit Deus, nouit omnia: omnium enim par est ratio, scilicet determinata veritas, seu posse cognosci. Omne autem cognoscibile, actu nouit Deus. 4. Luc. 10.

Hæc sola scientia tàm ampla est, vt de qua

Verùm rem hanc vlteriùs hîc persequi non est animus (& mox in appendice huius Tractatus dabitur disputandi occasio) cum iam apud plerosque & optimos Theologos res hæc in con- 5.

fesso

fesso sit, & quamuis in modo quo scientiam hanc habeat Deus, an in decretis conditionalibus an sine decretis, quidam inter se varient, non dubitant tamen de re. Interim explicate vos quæso ingenij vestri vires, & agnoscite tandem, quàm *inuestigabiles sint viæ eius*. De me solo, immensam vt habeat Scientiam necesse est. Poterat id enim esse & à Deo statui, vt quouis mundi loco nascerer; nullo non die & horâ potuim condi; anima mea nulli non humano corpori potuit copulari; nullum est ingenium aut mentis acies, quâ hæc anima dotari non poterat, nulla pulchritudo, vires nullæ, quibus corpus hoc meum non poterat exornari; nulli status, nulli honores, nulla conditio, quam si Deus ita statuisset, consequi non valebam; nullæ diuitiæ, nulla commoda, quibus non poteram recreari; nulli etiam morbi, nullæ calamitates, quibus non poteram opprimi; nullo non consortio poteram frui; nullo non iungi matrimonio; nullâ non tentatione prægrauari: & ita conditiones possibiles, omnino sunt infinitæ. Et tamen in his omnibus & singulis, nouit Deus, quid acturus fuissem, quid cogitaturus, bene an male libero vsurus arbitrio; alterutrum enim semper verum est, & quod verum est nouit Deus. Admirabilem enim verò Dei Scientiam, & dignam Deo! Neque verò iam indago, ad quos vsus scientiam hanc adhibeat, id mox videbimus: tantum admirationem ingentem iam excitare fuit animus, confessionemque hanc exprimere, *mirabilem* prorsus *factam esse eius Scientiam vel ex me*, cum eamdem, hoc est infinitam, de singulis habeat creaturis.

vis creaturâ necessariò sit infinita.

6. Hic iam totus stupore defixus hæreo: idemque mihi contingit, quod idiotæ & litterarum rudi, in ingentem bibliothecam magnâ librorum farragine confertam intranti: illi profectò vel sola librorum circumspectio, maximam parit de possessoris, illis vt sine dubio sibi persuadet incumbentis, studio & scientiâ opinionem. Libros tamen habere tantummodò in conclaui expositos, id quidem adhuc parum est; at verò totam quæ libris omnibus continetur scientiam, mente circumferre, hoc opus hic labor est, & hoc demum scire est. Id soli Deo competit; quidquid enim infinitis illis voluminibus continetur, totum id complectitur; neque rursus distinctis actibus, quasi hæc modò, modò hæc, dilabendo per singula, singula cognoscat; sed actu prorsus vnico & singulari comprehendit vniuersa, veluti si ego

Stupet homo quod non intelligit, admiratur quod non capit.

quinque manûs meæ digitos vno oculorum coniectu & obtutu aspiciam, & verò longè clarius. Imò vt dicam id quod maximum est, omnia illa volumina, omnes rerum historiæ isthic descriptæ, omnes inquam cogitationes illæ, nihil sunt aliud nisi Deus ipse; ita quidem, vt si aliquid horum aut ignoraret penitus, aut certè alicuius non meminisset, nequere ipsâ vno, quidquid cognoscibile est, actu cognosceret, Deus illicò esse desineret.

Quomodo Deus illis libris vtatur in creaturarũ efformatione explicandũ est.

Sed iam satis sit diuinos libros vtcumque adspexisse. Illud 7.
nunc agendum est, vt attendamus quo pacto illis vtatur Deus, quo illos modo legat, & euoluat. Res est admiratione plenissima. Arrige hic aures, quisquis es, qui casu aliquid euenire suspicaris, casu nasci, casu esse, casu etiam agi & circumuolui. Attende, inquam, libros suos legentem Deum, & dum tuam agnoscis imperitiam, in omnibus consilium sapientissimi Dei venerare.

§. II.

Ostenditur ex dictis nihil casu creatum aut productum, sed destinato Dei consilio. Exponitur nouo modo quid sit Creatio aut productio in Deo, quid conseruatio, quid creaturarum à Deo dependentia.

Creatio est quasi clara pronuntiatio Dei legentis libri simplicis Intelligentiæ.

AC inprimis, nihil omnino temerè & casu creatum aut pro- 8.
ductum esse vt rectè percipias, pretium operæ facturum me arbitror, si quid sit creare aut producere, saltem prout ego nunc concipio, paucis explanauero: fortasse non displicebit expositio. Creationem itaque, seu rei cuiusuis productionem, nihil aliud esse intelligo, quàm claram pronuntiationem seu enuntiationem earum rerum, quas diuinos scientiæ suæ libros euoluens legit, & eligit Deus. Adeò vt creatum me esse, nihil aliud sit, quàm à Deo sic quasi tacitè cogitabundo, librumque simplicis intelligentiæ, seu Possibilium inspiciente, tandem clarâ voce pronuntiatum me. Explicanda res est, vt intelligar.

Id explicatur.

Concipite itaque, librum aliquem aperire me. Litteras isthic 9.
plurimas intueor; quas si pronuntiare volo, tum certè verba or-

efformare

efformare me necesse est. Nam si propriè & exactè loqui velimus, non sunt verba quæ liber habet; conceptus auctoris continet, expressos signis aliquibus seu litteris; ad quas si peritus lector animum velit aduertere, conceptus auctoris percipiet, eosque poterit si adlibeat, per voces verbaque exprimere. Conceptus itaque in libro sunt & in legentis mente; sed verba quæ legens format, extra librum in ore legentis sunt.

10. Sic igitur rem intelligite. Possibilia quæ Deus intelligit, non sunt adhuc creaturæ, dum ea tantùm intelligit; Diuinæ cogitationes seu conceptus sunt, Deus ipse sunt. Intra se ea legit & intelligit. Verùm simul atque ea enuntiat, extra se mentemque suam conceptum ponit, & tum Creatura est, id quod loquitur. Adeò vt creare sit, mentem suam clarè eloqui Deum; & sic creatio nihil aliud est quam diuina elocutio: cum verò nulla elocutio sit sine verbo & voce, sic nulla Dei pronuntiatio est sine alicuius creaturæ efformatione; adeoq; omnis creatura, vox est & externum verbum Dei. Internum enim verbum quod sibi Deus dixit, secundam esse in Trinitate Personam, non est quod dicam.

11. Nescio an intelligar: clariùs itaque rem propono. Sicut locutionis nostræ terminus seu effectus, est verbi vocisque efformatio, ita locutionis diuinæ effectus, est creatura ipsa quam eloquitur. Vti igitur cum τὸ *Mundus* vel τὸ *Sol* ore pronuncio, verbum vocemque efformo, per quam conceptum interiorem quem de Mundo aut Sole habebam, extra me pono & in lucem profero; ita prorsus Deum loqui, nihil est aliud, quàm rem aliquam, quam in interioti libro *Simplicis intelligentiæ* conceperat, actu patefacere, extra se ponere, & in lucem edere. Neque verò hæc *Et probatur.* à me ita dici credite: certè diuinam locutionem ita disertè exponit Dauid. *Ipse dixit* inquit, *& facta sunt.* De nostrâ locu- Psal. 148. tione id tantùm licet dicere *Ipse dixit & dicta sunt*, soni sunt, voces sunt, verba sunt; at verò verbum externum Dei, opera ipsa sunt; vtpote qui nihil agat nisi loquendo, & loquitur, faciendo id quod loquitur. Non igitur tibi persuadeas, priùs quidem dicere debere Deum, volo vt formetur Sol, aut Lux, deinde verò potentiam suam artemque admouere condendo Soli aut Luci: minimè verò; eloquitur tantùm rem, & hæc elocutio est esse rei. Clarè id testantur sacræ paginæ. *Dixit Deus fiat lux, &*

& facta est lux, quod quidem non esse sic intelligendum, quasi lux facta sit, postquam edixerat Deus *fiat lux*, ex Hebræo manifestum est fonte; vbi liquidò habetur. *Dixit Deus fiat lux & erat* scilicet lux: quid clariùs? dicere Deum fiat lux, erat esse lucem: eodem prorsus modò, sicut dicere me verbum illud quod ore effero, est esse id verbum aut sonum in rerum naturâ; & rursus non dicere, est non esse eam vocem. Nescio certè an non & hunc sensum habeant, hæc quæ dicit Psalmista, *Ignis, grando,* Psal. 148. *nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius*: quod licet sic vulgo exponatur vt verbum Dei facere, idem sit ac obedire verbo, hoc est mandato Dei; præterquam quod non satis pateat, quo pacto rebus inanimatis & ratione carentibus Deus imperare propriè possit, sic vt verbum Dei pro eius imperio hic accipi debeat: illud certè non video, cur hæc verba *Ignis grando &c. quæ facitis verbum eius*, hoc sensu non possint intelligi, quæ estis Verbum Dei, seu quæ constituitis Verbum Dei: hoc est vt clariùs loquar, quæ estis creaturæ Dei; nam creaturam esse, nihil est aliud quàm esse verbum externum Dei, seu vocem in libro simplicis intelligentiæ legentis Dei. Ita disertè ni fallor de creaturarum formatione Psaltes loquitur, *Emitte spiritum tuum &* Psal. 103. *creabuntur, & renouabis faciem terræ.* Quis autem spiritus hic emitti postulatur, nisi quò formatur verbum oris eius, hoc est creaturæ, de quibus illico subiicit, *Et creabuntur?*

Conseruatio est protractio vocis Diuinæ.

Iam verò, si quid sit Conseruatio, vultis intelligere, rem sic habete. Eodem prorsus modò, sicut dum verbum aliquod ore efformo, totum esse verbi, vt clarè loquar, à meo dependet ore: neque enim cum τὸ *S.I* pronuntio, vox illa durat diutiùs quam dum loquor; & hanc si longiori tractu temporis durare volo, diutiùs vocem traho; dum verò os comprimo, nec anhelitum in vocem effingo, illico euanescit & non est: ita rursus creaturæ omnes, quæ faciunt, hoc est constituunt *verbum eius*, semper omnique temporis momento, vt sint, dependent ab actuali loquelâ Diuini oris; quòd quidem clarissimè si mentem aduertimus, rursus testatur Dauid. *Verbo Domini cœli firmati sunt: &* Psal. 32. *Spiritu oris eius, omnis virtus eorum*, quasi id euidenter dicat, non ideo eos esse tantùm, quia Dei fuere Verbum cùm primò crearentur; sed & modò quod sint, quodque conseruentur in pristino statu, formâ & pulchritudine, totum id esse à spiritu seu anhelitu

anhelitu diuini oris, quò eos pergit eloqui, hoc est efformare id quod sunt. Quod quidem in omnibus omnino creatùris ità locum habet, omnesque sic dependemus à *Spiritu oris eius*, vt si, quod quidem fieri non potest, Deus aut esse desineret, aut quod fieri etiam potest, Spiritum anhelitumúe vt ita dicam retrahèret, nec ampliùs loqui vellet, omnes illico creaturæ euanescerent; non dico morerentur tantùm, sed euanescerent inquam, & non essent in rerum naturâ: sicut cum os claudò, desinit vox esse quod erat. Quod quidem rursus clarè satis, si mentem aduertimus, testatur Dauid de creaturis Deum alloquens; *Auertente autem te faciem, turbabuntur; auferes spiritum eorum & deficient, & in puluerem suum reuertentur.* Neque hæ quas iam videmus creaturæ, pereunte Deo, essent posthac possibiles; nam hæ vt iam sunt, verbum sunt & elocutio huius, & non alterius, & quidem hôc modô & non aliô loquentis Dei, aut vt cum D. Paulo loquar, *Portantis omnia verbo virtutis suæ.*

Psal. 103.

ad Heb 1.

13. Neque hîc stat comparatio. Sicut enim verbum quod profero, quôcumque mihi lubet tempore & loco possum eloqui, tono alto vel depresso, suaui aut aspero, contracto vel producto; quidquid enim in verbo est, à me est; ita & tempus quô creaturæ sunt, & locus vbi sunt, & modus quo sunt, omnisque quâ excellunt pulchritudo & decor, ab elocutione Dei est. Si suauis est & amœna elocutio, amœna est creatura; si depressa & subobscura vox Dei est, humilem certè & depressam esse creaturam necesse est. Si nunc loquitur Deus, nunc est creatura quam eloquitur; si vocem continuat, continuatur illa & durat; vocem si contrahit, contrahitur illa; si vero Spiritum prorsus continet, illico illa euanescit & non est. Ita ex omni parte verum est id quod Psalmista dicit, *Et Spiritu oris eius, omnis virtus eorum.*

Quid sit dependentia actualis creaturæ à Creatore Deo.

14. Quis iam miretur creaturas omnem in partem à Deo venti & inuerti posse, attolli, deprimi, mutari, proiici, *Sicut puluis quem proiicit ventus à facie terræ?* imò longè faciliùs; cùm omni momento temporis, in omnibus quæ agimus, loquimur, cogitamus, imò, quòd iam hic simus, hæcque legamus & intelligamus, totum id pendeat ab ore nos assiduè proloquentis Dei? & verò quid facilius est, quàm vocem flectere & inflectere, deprimere & eleuare, vel etiam omnino sistere? En mortalis, vt non tantùm in manu Dei, sed & in eius ore sis, à quo es quidquid es.

Psal. 1.

Mira

Fructus qui ex his considerationibus sunt referendi.

Miræ sunt vt verum fatear hæ cogitationes, quibus quamuis 15.
rem vtcumque illustramus, tamen penitus adhuc non comprehendimus. Vt quid igitur ijs nos inuoluimus inquies, aut quid ex ijs emolumenti reportabimus? Multum enimuerò. Primò enim ijs inducti, adorabimus excellentissimum Dominum, eiusque profundissimam Scientiam admirabimur. Agnoscemus deinde continuam nostrûm omnium à Deo dependentiam, *& humiliabimur sub potenti manu Dei.* Tertiò reuerebimur Diuinum 1 Petr. 5.
illud os, neque per summam arrogantiam interrogare audebimus, cur istud, hôc vel illô ad loquendum modô componat. An enim verbum quod ego profero, contra os meum hiscere audeat, à quo habet quod sit, & hiscere contra me quod possit? Quartò denique illud perspicuè videbimus, nimis breuem, nimis flaccidam esse mentis nostræ aciem, quàm vt ista penetret & comprehendat.

Quid tum deinde inquies? Tum verò interrogabo te, cur non 16.
acquiescas, cur non te sinas dirigi, & quasi pronuntiari à sapientissimâ illâ Mente quæ tantum adhibuit studium, vt te efformaret verbum suum, illudque suo tempore ritè, & pro suo genio eleganter ornatèque efferret? an omnis oratio æquè mollis est, omnis sermo æquè blandus? oratori id relinque, præsertim tam acuto & diserto. Petam denique, vt quid iudicium feras de rebus quas non percipis, & de euentibus, quos omnino, boni sint an mali, non intelligis? Verùm non minemur nos acturos, illico agamus rem, & quæ ex iam dictis deducenda sunt aliquando, deducamus modò.

§. III.

Nihil casu aut temerè in rerum iam creatarum naturâ fieri. Ac primò quidem in rebus ratione & libero arbitrio carentibus id ostenditur.

Certè hinc liquidò constat, nihil casu fieri.

PRæcipuum verò, illudque omnium quæ ex doctrinâ iam ex- 17.
positâ deduci possunt caput, est, nihil omnino, temerè & casu fieri in vniuerso terrarum orbe; verùm omnia euenire conscio & directore Deo. Illud, etiam de auium volatu, disertè testatus

est

Luc.12. est Christus. *Nonne quinque passeres veneunt dipondio, & vnus ex illis non est in obliuione coram Deo?* pressiùs apud Matthæum. Matth. 10.29 *Nonne duo passeres asse veneunt, & vnus ex illis non cadet in terram sine Patre vestro?*

18. Et verò ex iis quæ iam diximus clarè id intelligitur. Illud enim dicitur casu fieri, quod vel præter notitiam, vel præter voluntatem fit eius qui opus illud exercet, ex quo euentus aliquis, qui non quærebatur, consequitur. Lapidem in altum coniicio; opprimit is, conteritque lapsu suo caput infantis, quem quidem ne in rerum quidem naturâ, multò minùs à lapide contingi posse reminiscebar: certè mors infantis, mihi casus est: non enim eò dirigebatur lapis, infantem vt occideret. Hoc si casus vocetur & quidem rectè; nihil ego in rerum naturâ casu fieri fidenter dico, siquidem à Deo fiunt aut permittuntur omnia, vt iam probatum est; & vt probatum minimè foret, sufficit vnicum illud Ioan.1. D. Ioannis testimonium *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* itaque non casu.

19. Primò enim quo pacto casum in Deo possumus excogitare, cum nullum non euentum possibilem rei præsciuerit in libro Scientiæ simplicis Intelligentiæ, & deinde ipsemet legerit & pronunciarit vt esset, transtuleritque rei futuræ conscius, in librum Scientiæ Visionis. *Nihil enim futurum ignorat Deus.*

20. Magis vrgeo. Quâ ratione, casu quidquam dices euenire, cùm vt euentum hunc exprimeret, omnia sua instrumenta tam cælestia quam sublunaria Deus summâ industriâ disposuerit? Omnia sunt verbum Dei vt docuimus; vt verò quis verbum vel minimum proferat, quanto non est opus artificio? labia certô modô vel deducenda sunt vel comprimenda, lingua contrahenda nonnumquam, nonnumquam protrahenda, labiis admouēda nunc, nunc palato; organoque sic constituto, qui sonum distemperet è pulmonibus quasi è follibus aër spirituque immittitur, nunc molliter, nunc vehementer, qui demum in voces abit, & in verba dispergitur. Ira prorsus naturalia corpora, tanquam vocis efformandæ aut voluntatis suæ exequendæ organa & instrumenta disposuit Deus; nubes quidem, vt ventos hos excluderent; ventos, vt pluuiam huc deferrent; pluuias, vt terras hôc prorsus modô humectarent, & idem esto de omnibus iudicium: & tu tempestatem hanc, hanc hyemis intemperiem casu accidisse mi- *Et nihil futurorum non disposuit Deus vt fit.*

hi vt persuadeas, cui inducendæ, tanta Deus præstituit instrumenta? verbum Dei si sint omnia, temerè Deum loqui credam, & præter mentem agere aut agi? vt quid igitur tali modo mouet labia, si tali modo loqui non vult? an verò intemperiis agi Deum credam ego, quique quod nescit loquitur, aut certè loquitur quæ non vult? Cur planetarum influxus ita composuit, cur ventos, cur glacies, cur niues ita adduxit & reduxit, explicuit & contraxit, si hyemem hanc tam duram & acerbam nolebat eloqui, hoc est agere vt esset; ea enim instrumenta esse, quibus verbum suum, hoc est voluntatem formet & compleat, testis est iterum mihi Psalmista cum ait *Ignis, grando, nix, glacies spiritus procellarum, quæ facitis verbum Dei*, hoc est, quæ instrumenta estis per quæ verbum suum externum proferat Deus, diuinamque in lucem edat voluntatem. Atque hæc est secunda horum verborum interpretatio &, ni fallor, non incommoda. Psal. 148.

Nihil itaque casu fit.

21. Non igitur tecum sic statuas, aut casum esse quòd nimium pluat, aut quòd non satis; casu caritatem annonæ, casu morbos, casu pestem, casu mortalitatem ingruere; illis enim, quos tu casus vocas, calamitatibus aut rerum euentibus immittendis, consilio & arte cælum aëremque attemperauit Deus. Cumque sciret, eam plateam aut porticum pro tuo arbitrio liberè obambulaturum te, destinato consilio talem ventum istuc immisit Deus, quo tu plateas liberè obambulans, necessariò corripereris, & in catharros iam diffluëres.

Ne tamen rationes inquire,

22. Cur verò id agit Deus, inquies? hoc nunc non inquiro. Sufficit mihi si persuasero, hæc & his similia, hoc est omnia, non casu & temerè, sed à Deo, & quidem consilio & arte fieri; quod si semel euicero, tum verò prout præcedenti tractatu dicebam, rationem rerum omnium facilè fuerit inuenire. Sufficit nunc dicere, nihil prorsus casu fieri: nam, vt rectissimè Augustinus, *Quidquid casu fit, temerè fit. Quidquid temerè fit, non fit prouidentiâ. Si ergo casu aliqua fiunt in mundo, non prouidentiâ vniuersus mundus administratur.* Ab vniuersâ enim administratione excideretur, id quod tu casu fieri suspicabare. aliquid autem administrationi Diuinæ subtrahere, est eius diuinitatem detruncare; quod prorsus blasphemum est & impium. Aug. l. 83. quæst. qu. 24.

Sufficit, vt acquiescas, scire destinato

23. Itaque tecum sic statue, omnes rerum euentus qui à libero non pendent arbitrio, ab ipso Deo, destinato studio procurari:

in

in eos itaque neque casum, neque fortunam, neque temeritatem quidquam sibi iuris arrogare posse, neque ab vllô illis, citra summam diuini Numinis omnia circumspicientis, omnia agentis iniuriam, posse tribui. *to consilio à sapientissimâ Mente omnia fieri.*

§. IV.

Nihil etiam in iis qui à libero hominum arbitrio dependent euentibus, casu fieri respectu Dei, explicatur.

24. QVid verò iam dicemus de euentibus iis, quibus hominum intermiscetur liberum arbitrium, quiúe toti etiam ab eo pendent? occidit innocentem Abelem Cain, aut inuadentem se vitæ suæ propugnator, an etiam liberum arbitrium, sine quo tamen mors hæc non euenisset, ab ipso Deo necessitatur? si etiam; quomodo homini occidenti stat libertas? si nulla arbitrio vis infertur, quô pactô certò & infallibiliter euentum hunc, & ea quæ euentum consequuntur, Deus potuit designare? *Vt verò ea quæ à libero hominis pendent arbitrio, ordinet Deus*

25. Admiranda sanè res est quam dicam. ne libertati præiudicium vllum inferat Deus, in vastissimo illo volumine, *scientiâ*, inquam, *conditionalium*, contemplatur sagax Numen, quid quisque homo, in quâuis occasione & circumstantiis rerum constitutus, liberè & pro suo, quô gaudet, arbitrio facturus sit. Hisque rite circumspectis, eas circumstantias seligit, easque positiones rerum, in quibus ita quiuis suo vtetur arbitrio, vt libera ista actio, euentui, quem Deus menti præfixum habet, certò infallibiliterque deseruiant. Est sic; si causas proximas ad effectum concurrentes spectas, sæpe casum dices: si Deum causas remotè disponentem, consilium imò & fatum seu effatum Dei esse fatebere. Ita D. Thomas: *dicuntur aliqui effectus contingentes, per comparationem ad proximas causas, quæ in suis effectibus deficere possunt: non propter hoc, quòd aliquid fieri possit extra totum ordinem gubernationis diuinæ; quia hoc ipsum quod aliquid contingit præter ordinem causæ proximæ, est ex aliquâ causâ subiectâ gubernationi diuinæ.* Res est prorsus stupenda; sed in confesso; tantùm explicatione indiget vt percipiatur. Id iam ego. *Vtitur scientia conditionalium.*

D. T. 1. p. q. 103. a. 7.

Quomodo eâ vtatur Deus exponitur in morte Absalonis.

Dic amabo, casunè id accidit, vt Absalon crinibus implecteretur arbori, ac sic demum in aëre pendulus, Ioabi hastis transfigeretur, futurus orbi contemptæ auctoritatis paternæ ferale documentum? Supplicium hoc, visis expensisque perditi hominis sceleribus, decreuerat justus Deus. Executioni mandandum erat procul dubio, certò & infallibiliter: & tamen si causas proximè ad mortem hanc concurrentes attendis, plurima casu concurrisse, sed temerè, iudicabis. Casus certè fuit, inquies, quòd sub arborem se immiserit, casus quòd detecto capite, casus quòd tam promissum modò esset capillitium, casus quòd ventus passos crines & sine dubiô sudore madentes sparserit, casus quòd ramus promineret, casus denique quòd ramo crines impacti & tantâ tenacitate sint impliciti. Quis enim aliud credat, quàm casum omnia sic tulisse? Ita tamen habe. Cùm scelerum vltor Deus, sceleribus nefarij filij statuisset finem ponere atque orbi exemplum ingens, librum conditionalium inspexit, in eoque legit, quòd si Absalon castris exueretur, liberè fugam capesseret, & quidem mulo altiori insidens; item quòd talem pertransiturus esset locum; rursus quòd pro suâ libertate & fortassis etiam libidine, crines si colore fuissent aureo, muliebrem in morem & præter consuetudinem esset promissurus: itaque circumstantias illas selegit Deus, nullâque libero arbitrio illatâ vi, aurei coloris dedit capillitium; illud liberè Absalon coluit; viam, nescio quorum manibus, alio tamen fine id agentium, in campo, vbi pugnandum erat, sterni olim permisit: arborem isto loco plurimis ante annis, rustici cujusdam rei suæ studentis arbitrio vsus, plantauit; creuit illa solito more, sed non in vsus solitos; nubes vento grauidæ aëri imminebant. Pugnatur, vincitur Absalon; Absalon fugit quà eum fert voluntas: sed voluntate quà ferendus esset, iam id olim perspectum erat Deo. Itaque cum arbori, hoc est supplicij loco, admouetur Absalon, colliduntur nubes, ventus emittitur, implicant se auræ crinibus, crines arbori, pendet Absalon, non euasurus Ioabi ferociam, quam Deus quoque præviderat, pro Ioabi indole & libero arbitrio, nequidquam nolente imò & prohibente Dauide, in impium Absalonem captumque suis crinibus, exercendam. Quid dicitis? an hîc vlla cuiusquam libertati illata est vis? Nulla prorsus: & tamen quanto artificio humanis liberisque actionibus vsus est Deus, vt supplicium tam

26. 2. Reg. 18.

iustum,

iustum, certum & infallibilem sortiretur euentum ? Quàm longe alias cogitationes habebat rusticus ille, qui tenuem isthic stipitem plantarat ! quàm parum attendebat, regio iuueni sese patibulum construere ? liberè tamen egit omnia : sed cautus Deus, libero liberè agentis, in rem suam vsus est arbitrio.

27. Gen. 37. & seq. Age, cùm exempla placere videam, iisque dilucidè explicetur res : casune id accidit vt Patriarcha Ioseph, vti sacræ testantur litteræ, ex Chananæâ per varias rerum vicissitudines abductus, tandem in Ægyptum deuolueretur, isthic primum à Rege obtenturus locum, totique Prouinciæ pro potestate sibi datâ imperaturus, ac denique à fratribus, qui id summopere detrectabant, adorandus ? Sanè si proximè concurrentes causas attendis, casu id factum interpretabere. Quid enim ? casu id sanè accidit, vt inuidiam fratrum, propter nescio-quæ narrata somnia incurrerit; casu à Patre ad quærendos, qui fortè aberant, fratres missus est; casu in eremo, apto sceleribus perpetrandis & occultandis loco, à Iosepho inuenti sunt; casu à fratribus eum trucidare certis, sed Rubeni precibus vtcumque emollitis, in cisternam fortè occurrentem & siccam, isthic fame periturus est coniectus; casu isthàc Ismaëlitæ institores iter egerunt; casu illis venditus est Ioseph; casu denique in Ægyptum direxerunt iter Ismaëlitæ, seruum secum deferentes, post varios casus toti tandem Ægypto dominaturum. Verum est, casum dices hîc ferre omnia, si spectes singula, & quæ proximè ad Iosephi delationem in Ægyptum conducebant; sic ea quidem contigêre, vt non contigisse potuerint. At verò, si Deum spectes, qui Iosephi futuram conditionem iam olim per aristarum manipulos, stellasque vndecim mediam quandam stellam manipulumque adorantes, liquidò prænuntiarat, certè casus non fuit, sed infallibiliter futurus euentus. Deus enim in tertio suo *Scientiæ conditionalium* volumine, cùm legisset, quid fratrum maleuola inuidia molitura esset, si Iosephum in vastâ illâ eremo interciperent; quid, si isthàc institores peregrini occurrissent; quòd demum hi Ægyptum ad negotia sua pertractanda essent petituri; ita quidem statuit, nullam cuiusquam libertati inferre vim; Patrem sanè sinit Iosephum ad fratres mittere, fratres Iosephum liberè vendere, emere Ismaëlitas, pro suâ libertate in Ægyptum eos abire; atque hôc modô instrumenta sunt Dei, quibus Ioseph ex Dei decreto, ad destinatum ab eo

Itè in Patriarchâ Ioseph.

defertur locum. Interim eâdem conditionalium Scientiâ cum cognoſceret, ſi ſterilitas fameſque Chananææ, vbi Iacob fratreſque Ioſephi verſabantur, ingrueret, futurum vt annonæ proſpecturi in proximas, vbi frumenti futura erat copia, regiones delaberentur; nubes cœloſque ita compoſuit, vt ſiccitate maximâ tota Chananææ regio aduſta fruges terræ negaret; turgente interea frumento vniuersâ Ægypto, horreis Ioſephi induſtriâ & extructis & repletis. Libero itaque arbitrio vſi, Ægyptum petunt fratres, liberè Ioſephum rei frumentariæ, totique præfectum Prouinciæ adeunt; liberè ſupplices facti adorant, quem quis ſit neſciunt; ſuoque libero arbitrio, & decretæ, & verò etiam per prophetica ſomnia à Deo prædictæ adorationi; quam fratres tantò à ſe amoliri opere conabantur, ſuâ ſponte, quin imo per ipſas quibus adorationem illam à ſe auertere nitebantur actiones, neſcij quidem rerum, liberè tamen cooperantur. En vt libertate ſaluâ & incolumi, eam tamen ad finem præſtitutum aſſequendum, dirigat ſapiens Deus.

Denique in Natiuitate Chriſti.

Denique Chriſtum ipſum in Bethleem, & quidem in pauperrimâ casâ, natum caſu, quis non dicat, ſi ea quæ proxime contigerunt, ſolùm conſiderat? Caſu certè, tum cùm diuino pignore eſſet grauida, orbiſque ſalutem Virgineo vtero Mater ſancta circumferret, edictum ab Imperatore Romæ prodiit, quo ſingula capita cenſerentur, & quiſque ad ſuam vnde originem trahebat vrbem, cenſui capitatim aſcribendus abiret; caſus fuit, Bethlemum Virgini obtigiſſe; caſus fuit, ſeriùs Bethlemum accurriſſe Virginem, quàm vt concurrentibus vndique ad cenſum aduenis, commodum partui locum puerpera nanciſci poſſet; caſus fuit, in homines tam duros & agreſtes incidiſſe, vt grauidæ, cui tamen omnia fauent iura, nullus vrbe totâ rationem haberet, aut moueretur miſericordiâ futuri fœtus. caſu itaque vrbe egreſſa eſt, caſu deſerta occurrit caſula ſtramine malignè tecta, eius tandem futura aula, cuius imperium non niſi orbis vniuerſi limitibus terminatur. Tamen procul omni dubio caſus non fuit, id quod diuino afflati Spiritu futurum, toties & tam diſertis verbis Prophetæ fuerant prolocuti. Decreuerat enimuerò Deus non alio naſci loco, quàm in viliſſimo Bethlemi ſtabulo, ingens ab ipſis incunabulis exemplum ſubmiſſionis & patientiæ daturus orbi; decreuerat id, inquam, certâ & num- 28. Luc. 2.

quam

quam immutandâ voluntate; eumque per Scientiam conditionalium nôsset, si ab Augusto eiusmodi edicta Româ deferrentur, hæc omnia talem cursum habitura; inhumanos durosque pro suo arbitrio futuros Bethlemi ciues cæterosque aduenas: hæc omnia cùm cognóscerem, singula suæ libertati relinquens, ita tamen vsus est omnibus, vt tandem optatum sibi, mentèque designatum præsepe humile consequeretur, mox Angelis ipsis totique adeo Orbi adorandum.

29. Auditores; consideratio hæc est, quâ penitus imbutos optarem vestrûm omnium animos: id sanè, certò apud vos vt statuatis, nihil omnino in totâ hoc orbis machinâ, rerumque omnium circumuolutione contingere, quod non præfixo Dei consilio eueniat & dirigatur. Huic veritati prorsus inhærendum, illique, vt tandem quieta sit, assuefacienda mens. Illud itaque identidem animo vestro inculcate, & dicite; Non casus hanc fert pluuiam, non tonitrù, non fulgura, non hyemes, non calores, non morbos, non sterilitatem: Deum hic agentem video, Deum loquentem audio, Dei verba excipio; cum *Ignem, niues, grandinem & Spiritus procellarum audio, qui faciunt verbum eius*, hoc est, sanctissimam exequuntur Dei voluntatem. Rursus bella, tumultus, Regum moderatorumúe intempestiua imperia, præliorum infelices euentus, non tam hominum sunt facinora, quàm Dei hominum imprudentiâ, sceleribusque in rem suam vtentis, eaque idcirco permittentis, sana iustaque consilia. Rideo sanè hominum sese inuicem accusantium & excusantium dicteria; altiùs petenda est bellorum ratio, quàm ab humanis euentibus: ita secum statue & omnibus acquiescès, prout pluribus postmodum explicabo. Tract. 9. Item miseriarum, quæ nos opprimunt; tædiique quô affligimur causam, in homines coniicimus, in hunc modò, modò in illum: modò filiorum ingratitudinem accusamus profligatosque mores, modò mariti coniugisue dissolutionem, modò amicorum vicinorumúe petulantiam, numquam non, Iudicum Rectorumque iniustitiam. Sint sanè hæc omnia, & verò etiam sæpe sunt, vt dicis: verùm ego rem altiùs introspici volo; reconditioribus libris vt studeas necesse est; à radice res petenda est. quod siages, illud liquidò inuenies, statuisse Deum, quòd sic conueniat, pauperem esse debere te, in ordinem debere redigi, tali die flendum esse tibi, tot mensibus affigendum lecto; ne tuo

Maximi momenti est, euentuum omnium causam, non in creaturis, sed in Deo quærere.

tuo damno diues sis, aut hilaris, aut sanus corpore, certè rationes non examino, verùm ita statuisse Deum certò id scio: tum verò hæc vt in te perageret, filiorum improbitate, maleuolorum intemperantiâ, moderatorum verò incuriâ & iniustitiâ, tanquam instrumentis vsum esse, vt finem suum sibi præfixum, tibi autem tam conuenientem assequeretur. Malum, vt nemo non liberè agat, permittit; sed malò bene vtitur bonus Deus, tibi tandem vt sit bene.

Cuius Prouidentiam nemo potest effugere.

Ita prorsus est. Aliter qui rem capit, malè capit; & verò Dei genium actionesque non capit, non intelligit. Nihil sanè temerè fit, nec casus habet locum, vbi totum Deus occupat. In Deum verò casus non cadit. *Quis enim,* vt rectè Boëtius, *coërcente in ordinem cuncta Deo, locus esse vllus temeritati potest? Licet igitur definire; Casum esse, inopinatum & ex confluentibus causis, in ijs quæ ob aliquid geruntur, euentum. Concurrere verò atque confluere causas, facit ordo ille ineuitabili connexione procedens, qui de Prouidentiæ fonte descendens, cunctas (scilicet causas) suis temporibus disponit.* Et verò sapientissimus Augustinus, exponens ea quæ pertractauimus Psalmistæ verba. *Ignis, grando, nix, glacies, Spiritus procellarum, quæ facitis verbum eius. Nihil tam videtur,* inquit, *casibus volui, quàm omnes istæ procellosæ & turbulentæ qualitates, quibus cœli huius inferioris, quod non immeritò etiam terræ nomine deputatum est, facies variatur & vertitur. Sed cùm addidit, quæ faciunt verbum eius; satis ostendit earum quoque rerum ordinem, diuino subditum imperio, latere nos potiùs, quàm vniuersitatis deesse naturæ.* De ijs verò quæ à liberô creaturæ ratione præditæ pendent arbitriô, ita præclarè sanè Anselmus: *Quamuis homo vel malus Angelus, diuinæ ordinationi subiacere nolit, non tamen eam effugere valet. Quia si vult fugere de sub voluntate iubente, currit sub voluntatem punientem, & transit sub voluntate permittentis. Et hoc ipsum quod peruersè vult aut agit, in vniuersitatis præfatæ ordinem & pulchritudinem, summa sapientia conuertit.* Quid luculentius dici potest? Verùm hoc proximo Tractatu diligentiùs pertractabimus.

30.

Boët. l. 5. de Conso. prosa 1.

Aug. de Gen. ad litt. l. 5. c. 21.

Anselm. l. 1. cur Deus homo c. 15.

§. V.

§. V.

Omnia igitur benè euenire ſtatuendum eſt; nec nos miſeros mortales eos eſſe, qui quidquam poſſimus in hâc rerum ſerie reprehendere, corrigere multò minùs.

31. VErùm inquies, vt id ſit, Deum eſſe qui totam hanc rerum euentuumque ſeriem compoſuerit, & verò etiam benè rectèque diſpoſuerit; ea tamen adhuc menti obuerſatur dubitatio, an non meliùs aliqua rectiuſque potuiſſet diſpenſare? nam, vt mihi ſaltem videtur, inquies, ſatiùs foret auram toto anno conſtantiorem eſſe, prout eâ fruitur Braſilia; meliuſque cum Belgio ageretur, ſi tantis imbribus, aërique tam humido non eſſet expoſitum; Solis ardores non rarò nimij ſunt; hyemes præter morem frigidiores, maximo cum pauperum incommodo: Venti tempeſtateſque vehementiores quàm par eſt; morborum frequentia ſæpè nimia; denique bellis aſſiduis concutitur orbis vniuerſus: & tamen pacem quietemque hominum generi, propagationi, conſeruationique magis conuenire, quis non videt, qui quidquam videt? *At licet omnia iam bene fiant, videntur tamen aliqua melius fieri potuiſſe.*

32. Ain verò tu? ita cenſes? at ego hîc inſanum, aut potiùs arrogantem mortalium ſtuporem ſeſe demum prodere video, ſi quidquam video. Suſpicor ſanè in blaſphemas illas voces tandem aliquando erupturum te, quas Alfonſum cognomento Sapientem improuidô, vt parùm dicam, ore euomuiſſe, in ſuâ hiſtoriâ prodit Sanctius. Hic ſanè, cùm ſibi Sapientis nomen per Aſtronomiæ ſcientiam vulgò comparaſſet, eò abreptus eſt arrogantiæ, vt multa ſeſe in cœlorum orbibus rectiùs componendis obſeruaſſe, eaque correcturum fuiſſe, ſi in primo mundi exordio diuinis conſiliis diſpoſitionibuſq; admotus fuiſſet, per ſummam impudentiam iactitaret. Quæ hæc demum eſt, ſtultitianè dicam, an proiecta potiùs audacia? tu Deum doceas mortalis? tu Deum? Certè cùm præfractus ſtaret in ſententiâ, breui inſaniam ſuam dedidicit. Horrenda namque tempeſtas, nocte iam mediâ, ciuitatem totam corripuit & concuſſit, fragore tantô tonitruum, vt tota à fundamentis euelli videretur; intermicabant interim *Blaſphemia hæc in Alphonſo ſapiente egregie caſtigata.*

Sanchez parte 3. Hiſt. Hiſp. c. 5.

fulgetra fulminaque tam denſa toto aëre, vt nullus eſſet qui Sacerdotem auderet accerſere, qui pauido, & penè præ timore exanimi Regi abſolutionem peccatorum, vti quidem videbatur vltimam, impertiret. Neque ſanè abs re erat tantus, nec iam panicus Alfonſi pauor: totum enim in quo decumbebat conclaue, perpetuis micabat ignibus, veſteſque Reginæ, fulmine correptæ, iam deflagrabant. Mors in momenta ſingula cum fulgetris toto conclaui circumferebatur, Regioſque ob oculos oberrabat. Sedata eſt tempeſtas, & omnis ex Alfonſi animo abijt tumor. Faſſus eſt magnâ ſubmiſſione arrogantiam ſuam dictorum pœnitens Rex, faſtumque multis pœnitentiæ editis ſignis, apud ſuos blaſphemiæ nimirùm conſcios, caſtigauit. Vt tamen & apud poſteros exemplum, & Deo ſua ſtaret auctoritas inconcuſſa, iuſto ſanè conſilio permiſit vindex Numen, vt rebellem poſthàc expertus filium, ab eô denique per ſummum nefas atque iniuriam, regno tandem expulſus ſit. I nunc,& cœleſtibus orbium ſphæris dirigendis conſilium Deo da, miſer homuncio, qui nec iis quidem quos genuiſti liberis rectè inſtituendis,conſilij ſatis habes aut imperij.

Verum id quidem eſſe arbitror, neminem noſtrûm eſſe qui eò audaciæ proruperit, vt verbis tam blaſphemis Diuinum Numen audeat irritare, & quaſi vocare in ius: tamen neſcio quid ſcrupuli menti hominum plerumque inſideat, eamque arrodat: aliqua nimirum eſſe, quæ licet fortaſſe benè, adhuc tamen rectiùs agerentur. Quid enim? certè ſi rectiſſimè agi dijudicares omnia, an quidquam eſſet quô perturbaretur omnibus acquieſcens mens? Cur bella diſplicent, niſi quia pacem rebus magis conuenire cenſes? cur pluuiæ non arrident, niſi quia ſudum cælum præfers? cur morte imminente turbaris, niſi quia vitam meliorem iudicas? Quod ſi itaque illud tecum ſtatueris, non rectè tantùm, ſed & rectiſſimè gubernari omnia, eumque qui modò contingit euentum optimum eſſe, ſanè non video turbare te quid poſſit. 33.

Quid melius ſit, non poteſt à nobis diiudicari

Ita eſt inquies: ſed aliter ſe res habere, multaque meliùs fieri potuiſſe, videre mihi ſaltem videor, aut certè ſuſpicor. Verùm ô inſanam temeritatem hominum! ô deplorandam cæcitatem! Quo pacto tenebras has detergam? Tu diuina vides,imò perſpicis conſilia? tu iudicium de rebus tam ſublimibus fers, 34.

inops

inops ipse consilij in domesticis rebus rectè disponendis ? & qui domi tuæ cæcutis, tam es perspicax in alienâ ? At quis mihi persuadeat, non optimo modo feciſſe id quod facit, sapientiſſimam Mentem, cui tam facilè fuit optimâ ratione rectiſſimâque disponere vniuersa, quàm non tam bonâ aut etiam peruersâ?

35. Age tu, qui tibi de tuâ sapientiâ tantopere abblandiris; dic sodes & eloquere. Quid modò orbi aut Belgio huic magis conuenit, serena aura, an pluuia ? quis ventus aptior, an qui meridiem an qui septentrionem spirat ? Qui meridiem, inquies : quam ob rem ? quia septentrionalis frigidior est, rheuma progenerat, meoque quo nunc premor officit catharro. Deus bone ! magnam enimuerò rem, vt Deo succenseas! Interea non id attendis, in rem tuam tam attentus cum sis, septentrionalem auram noualibus tuis campisque esse necessariam, vt glebâ conclusâ semina terræ mandata foueantur, radices vt agant satæ segetes, limaces verò vermesque, teneras fruges depasturi vt enecentur ? Pluuiam inclamat adusta caloribus terra, nimioque æstu fatiscens rimas agit; satianda est imbribus camporum sitis ; & hæc omnia terræ neganda credis tu, vt implutus sicco pede domum è conuiuio redeas ? & sic quidem passim agimus, infinitisque in euentibus, iudicium sanè stultum incauti ferimus, vni tantùm, Diuino inquam, quia non acquiescimus.

Nimiùm enim particulare nostrum bonũ attendimus.

36. Et verò, si hæc omnia pro humanis iudiciis & arbitrio sint agenda, hominesque statuere debeant quid quouis tempore & loco magis conueniat, an non videmus confestim turbanda omnia, & litibus rixisque humanam societatem quantocyus dissoluendam ? vnus damnabit, quod alter melius esse sibi videbatur rectè iudicasse. Nauta ventos inclamabit; Solem pellio siccandis pellibus, aut lino dealbando nescio quis; colonus pluuiam contestabitur esse necessariam, singulique id eodem volent tempore. Quis cedet ? vter vtri ? quis litem dirimet? Bellum præferet, optabitque inter arma natus miles, ciues pacem præoptabunt ; sterilitatem frumentique inopiam laudabit monopola quispiam frumento cariùs vendendo inhians, gement inter ea pauperes præ inopiâ. Tu ipse vitam tibi exoptas, pro eâ stas, pro eâ pugnas : interim qui tuæ hæreditati dignitatiúe inhiant, vel quibus nimius es, mortem tibi sibique conuenientiorem esse iudicant. Quis tot litibus, iudiciisque tam in contraria abeuntibus, finem ponet & modum ?

Et eo praeoccupati malè de rebus iudicamus.

Miseros nos cæcosque mortales ! quâ fronte quæso iudicium ferre volumus, quid quouis in euentu sit melius singulis, qui omnia quid sint ignoramus ? Quis rectè statuet, quid vniuerso sit melius, nisi cui tota rerum vniuersitas, omnesque quæ vniuersitatem faciunt, rerum circumstantiæ, probè sint cognitæ & perspectæ ? rursus quis etiam, quid singulis, adeoque sibi magis conueniat rectè iudicabit, nisi id planè sciat, quem ordinem singula, in eâ rerum vniuersitate, habeant à Deo constitutum? 37.

Multò verò minùs possumus, ea quæ fiût corrigere, nisi simus ipsemet Deus.

Illud tamen agamus modò. Quòd si Deus tot tamque diuturnis murmurationibus, peruersisque de directione suâ iudiciis sustinendis tandem fatigatus, totam cæli sublunaris machinam tibi in manus consignaret, illudque diceret ; En homo nubes, ventosque, en aërem , en instrumenta omnia : tu posthac auram dirige, ventos excita, pluuias immitte, serena cælum, prout lubuerit; pro tuo nutu age omnia, neque cuiquam posthac querimoniis caput obtundito. Quid hîc ageres supercilioſe censor? quò te verteres ? An non tibi euerteretur cerebrum antequam vel pluuiæ guttulas aliquas rectè & ex arte è nubibus tibi concreditis posses educere ? Certe mille improperiis impetendum te, mille diris deuouendum crediderim quantocyus; perquirendum quin imò ad supplicium à turbatâ plebe, tanquam Reipublicæ perturbatorem auguror; adeoque publico abstinendum foret huic nouo pluuiæ patri. Isthic nimiùm hercle nimiùm proluisses sata, isthic nimis parcâ manu aquam effudisses ; modò nimis frigidam fuisse florum cultores quererentur, modò calidiorem quàm par erat; modo nimiam lotrices inclamarent; modò rustici agricolæque non satis abundantem. Denique omnia forent querimoniis pleniſſima ; execrarentur sanè te omnes ; arrogantem te, stupidum, ineptumque tantis rebus qui se immiſceat, ingeminarent ; ignorantem rerum , cuique quid quæuis ferat tellus , telluriſque neceſſitas, minimè sit perſpectum. Et rectè dicerentur omnia. Quo pacto enim scies tu, quantam pluuiam agris immittere sit conueniens, nisi id etiam scias, qui Soles deinceps orituri sint, qui pluuiæ frigus suo calore moderentur? Aut fortasse Solem etiam tuo imperio, ad temperandas pluuias, subiici postulares ? Ne quæso id faxis: timeo enim ne cum nouo Phaëthonte, nouum rursus toto orbe excitandum sit incendium. Nunc verò nonne id vides , te ne Solis 38.

quidem

quidem Dominum quidquam adhuc posse peragere, nisi ad regendum Solem, ipsum quoque sub tuis auspiciis militet firmamentum ? Video inquis; quapropter & firmamentum mihi consignari etiam vellem, rectè vt peragerem vniuersa. Ain vero ? Deus vt video deberes tandem esse tu, rectè cuncta pro tuo nutu vt fluerent. Hoc est autem, quod volebam : fateris denique, ne à teipso quidem satisfactum iri tibi, nisi Deus sis, aut saltem scientiâ potentiâque Deo par.

Satis itaque tibi sit, Deũ euentus istos ita ordinasse, vt iis acquiescas.

39. Benè est : habeo quod exquirebam. Cùm itaque scias modò, agnoscasque Deum esse, res qui hôc quô contingunt, dispositi modô, idque non temerè, sed perpensis vndique circumstantiarum omnium momentis ; quid temetipsum excrucias stultâ indagine, recténe an perperam id eueniat, quod non nisi benè ab optimo sapientissimoque Numine potuit ordinari ? Quod si bonum est id quod euenit, cur ego me, quòd id eueniat, amens turbo ? Abs re est sanè, quòd me bella angant, bellorumque successus aduersi, patriæúe calamitates affligant, exedant, somnumque dormituro interpellent, si sic mecum statuo, iam inde ab ipsâ æternitate voluisse Deum, bellum hoc tempore vt his regionibus incumberet.

Etiãsi videres rempublicam interire.

40. At ciuitates euertuntur, prosternuntur incolæ, respublica in interitum ruit. Sit sanè : an mihi patriæ conseruandæ incumbit cura ? & demum, cur non id, quod Deô sic bella permittente accidit, quietus video, tragædiarum quas ipse Deus agit futurus spectator, & verò etiam, si ita Deo visum fuerit, ex parte actor? Quid, quòd bella ipsa hominumque inter se distractæ voluntates, ipsissima instrumenta sunt, quibus ciuitates destruere, regiones affligere, nimiumque fortasse luxuriantis populi fastum deprimere & eneruare, Diuinæ Mentis est consilium ?

Certè periit Troia, & natura necdum periit.

41. An ideò malè cum naturâ actum est, quod vrbes numero infinitæ, olim orbis stupor, nunc nuda sint meraque nomina ? an cum Troiæ incensis fauillis in ventos omnia abiere ? Cecidit Troia, Asiæ oculus, facta est pueris declamandi materia ; & nihilominus terra stat. Neque malè cum rebus humanis agitur, Assyriorum, Medorum, Græcorúmque regna quòd euanuerint, imperia quasi circumferente Deo. Egerunt Assyrij, egerunt Medi egerunt Græci suam fabulam ; hocque inter nos & illos interest, quòd eorum res acta sit, nostra verò adhuc agitur : & nostra quo-

que dum peracta fuerit, de theatro discedendum erit nobis: neque propterea rebus humanis futurum est malè. Viuent sine nobis posteri, & nos quoque posterorum memoriâ facilè carebimus. Et quid tùm, si ne posteri quidem futuri sunt? quid tum, si cras natura intercidat, pereatque vniuersa? Quid id meâ interest? cur non factum probem, si id sciam, crastinum esse terminum vltimum à Deo naturæ præfixum? Hoc verò sic inquies, non intelligo. Certè si sic non intelligas, fac vt hôc vel illô, vel quocumque demum modô tibi persuadeas. Hoc sanè intelligo, Deum singula sic statuere, qui tamen intelligit omnia; deinde id etiam intelligo, ignorare me omnia, qui tamen improbo singula: quod sanè rationi prorsus est contrarium.

Verùm dementat nostra iudicia amor proprius.

At verò, vin dicam vnde illa reprehendendi libido & temeritas? Id profectò ex emolumenti, iacturæque propriæ consideratione ortum ducit: nemini bella Iaponum Chinensiumque somnum interturbant; isthic pugnatur benè, rectè isthic ciuitates regnaque integra euertuntur, iustus est isthic Deus: hîc verò agit perperam. Benè longinquis in regionibus sterilitate pereunt omnia, aut peste absumuntur aut fame; quin hâc ipsâ in Prouinciâ imò & vrbe, benè castigatur vnius quidem libido, alterius nimia arrogantia & luxus, alterius intolerandus furor, plebis insolentia, superiorum iniustitia, institorum fraudes. Omnia benè facit iustus Deus; id tantùm in totâ rerum vniuersitate malè facit, quô tibi malè est. Miserum eheu Numen! Omni ex parte perfectus fuisset Deus, vsquequaque sapiens, vsquequaque iustus, vnicum tantum errorem, quem in te commisit; post tam immensa studia euitare si potuisset tantus Deus. 42.

Indignum vero quod homo velit propter se, mutari ordinem Vniuersi à Deo tam sapiête dispositum.

Ridiculum id quidem est, pudoremque fatuitati nostræ quod incutiat. Hoc verò minimè ridiculum. Æquumne est, vniuersam rerum seriem mutari inuito Deo, sed tamen volente te? Æternam illam librorum Diuinorum Sapientiam, & constitutionem ex illis decretam, irritam velles reddi? tantùm vt gustui tuo iudicioq; pareatur, hanc aduersitatem vt euadas, filij vitam vt conserues, mortem tu vt effugias, patria vt floreat, victoriam hanc vt consequatur, totam vniuersi futuram seriem iudicas interturbandam tu? attamen si attendis, ab hâc huius pueri vitâ aut morte, à tuo interitu, ab hâc clade aut victoriâ, infinitæ dependent dispositiones rerum futurarum, longissimô secuturorũ 43.

temporum

temporum tractu inter se concatenatæ ; quas non nisi ex morte tuâ tali tempore obeundâ, & ex istâ quâ cruciaris patriæ clade, maximo artificio contexuit & inter se connexuit sapiens Deus. Enim verò omnia effatorum Diuinorum fila, interturbanda sunt, imò præscindenda omnino, vt tibi benè sit. Vniuersitas inquam rerum perturbanda, vt vniuersitatis particulæ omnino exiguæ non sit malè.

44. Crede mihi rem penitiùs si introspicis, ingentem tanto Deo iniuriam facis, & neutiquam sapientissimum esse Numen credis, cuius sapientissimè facta non approbas : non approbas autem cùm fugillas ; opponis te verò, dum non cedis. Illud identidem oculis præfixum habe, quod præclarè monet Epictetus. *Ne postules ea quæ fiunt arbitratu tuo fieri : sed si sapis, ita fieri quæque velis, vt fiunt* : quibus verbis commentarium subnectens Simplicius, ait rectissimè, *Hoc enim disciplinam morum omnem continet, se coniungere vniuerso, & vnum cum eo esse velle : non autem ab Vniuerso sese auellentem, & in angustias ac potiùs ad nihilum redactum, Vniuerso repugnare ; & velle vt Vniuersum, partem tam vilem sequatur.* Sed satis sit. Illud tamen cum Augustino Epicteti sensum & ferè verba confirmante, numquam dixero satis,

Epict. Ench. c. 13. Simplic. in comm. c. 78. Epict.

Aug. l. 8. de ciu. c. 8

Duc me summe Pater, vasti moderator Olympi,
Quâcumque placuit, nulla parendi mora est.
Adsum impiger. Fac nolle, comitabor gemens,
Malusque patiar, facere quod licuit bono.

DISSER-

DISSERTATIO THEOLOGICA

APPENDIX

Ad Tractatus quarti §. 7. & Tractatus quinti §. 1.

RESPONSIO.

Ad ea quæ Reuerendissimus Dominus Ioannes Caramuel de Scientiâ conditionalium docet, in Theologiâ fundamentali. Lib. 1. thesi 6. in impressione Francofurtensi. n. 77. in Romana verò. n. 116.

§. I.

Scientia conditionalium, quâ Deus omnia conditionatè futura illimitatè nouit, receptissima est apud Theologos omnes.

REcepta quamuis sit in Theologorum scholis, ea quam proposui conditionalium in Deo Scientia, vti fusè ostendit Suar. to. 1. de grat. Prologomeno. 2. cap. 1. alijque qui post eum scripsêre auctores; præsertim Ruyz. To. de Scientiâ Dei. Disp. 67. per sectiones nouem; eique passim recentiores Thomistæ subscribant, quamuis in modo eam explicandi à nobis discrepent, vt rectè monet Derkennis. De Deo trino & vno. disp. 8. c. 7. §. 3. Rursus quamuis eam ipsam scientiam, ex auctoritate & præcipuè D. Augustini, manifestissimè & do- 1.

& doctissimè conuincant Suar. in Opusc. l. 2. de Scientiâ condit. cap. 2. & fusiùs Prologom. 2. 3. & 4. fusissimè verò Ruyz. Disp. 65. per sect. 12. Disp. 66. per sect. 9. quibus nescio an quidquam præclarius addi possit, ad totius rei confirmationem solidissimam : hæret tamen Reuerendissimo ac Doctissimo D. Caramueli aliquis scrupulus, isque non exiguus, non quidem quod *negaturus sit sententiam esse probatissimam*, vti fatetur. n. 114. in impressione Romanâ (quam deinceps sequemur in numerorum allegatione) sed quod *eruditionis gratiâ* (vti fatetur n. 115.) *nonnulla Theoremata velit subijcere, contra quæ libenter videbit, quid ex sacris litteris possit obijci.* De Patrum itaque auctoritate & testimonijs, item de Theologorum vnanimi consensu, non multùm laborat, modò per Sacras Paginas cæ, quas proponit, theses non conuincantur. Sperat enim se ostensurum *indeterminationem, quam ponet* (hoc est sententiam suam, circa futurorum conditionalium indeterminatam veritatem & falsitatem) *etsi conferatur cum Sacris Litteris, permansuram probabilem.* Locorum autem, qui ex Sacrâ Paginâ *circumferuntur, probabiles solutiones dum promittimus*, inquit, *dabimus probabiliores; fortè manifestas & certas.* Verùm antequam solutiones illas examinemus, proponenda erit ea, quam de Scientiâ conditionalium, sex thesibus explicat, doctrina. n. 116. Hæc eius verba.

§. II.

Eam tamen ad pauca quædam limitare & restringere conatur Caramuel.

2. *Primum Theorema.* Non datur scientia media. Nempe illa quam Patres Iesuitæ tuentur. Scientiam enim conditionatorum, quæ ab absolutis necessariò inferuntur, non negamus.

Secundum. Non dantur physicæ prædeterminationes.

Tertium. Non dantur decreta in Deo Conditionalia, quæ actus hominum liberos prædefiniant ; qualia ponuntur à Thomistis.

Quartum. Futura libera Conditionalia, nempe illa quæ ab alio

Theses Caramuelis de scientia conditionalium.

alio futuro absoluto non inferuntur infallibiliter aut necessariò, nec habent determinatam veritatem nec falsitatem.

Quintum. Futura conditionata imperata, quæ ab alio futuro absoluto necessariò aut infallibiliter oriuntur, habent determinatam veritatem, nimirùm in futuro absoluto; ita vt istud cognoscens, illa non possit ignorare.

Sextum. Ad hanc vltimam classem pertinent futura omnia conditionata, quæ in Scripturâ reuelantur. Adeoque diuinæ illæ reuelationes, tam formaliter quàm obiectiuè sumptæ, habent certitudinem & infallibilitatem veram realem in omni rigore metaphysico.

Scientiam conditionalium Dei ad pauciss. obiecta restringit Caramuel.

Hactenus Caramuel, magno sanè, vt eius phrasi vtar, supercilio. Hinc autem sequitur Scientiam Conditionalium in Deo, ad pauca quædam contrahi; nullamque de possibilibus Angelis aut hominibus habere scientiam; neque scire Deum, an si plures crearet, damnandi illi forent an saluandi, liberi arbitrij bono vel malo vsu: neque etiam cognoscere quid homines facturi fuissent, si Cataclysmo, tempore Noëmi, non fuissent extincti; neque denique quid quiuis homo facturus fuisset liberè, nec consequenter an saluandus fuisset an damnandus, si diutiùs vixisset. Nullum enim futurum absolutum in possibili isto statu est, ex quo necessariò & infallibiliter oriantur hæc conditionata; atque adeò, vt nobis persuadere vult Caramuel, non habent determinatam veritatem aut falsitatem. Quàm verò absurdum sit, Deo earum rerum scientiam denegare, nemo non videt. Hoc autem iam non ago, vtpote à præstantissimis, quos laudaui, Theologis, præclarissimè demonstratum. Caramueli iam inhæreo, rationemque Theorematum positorum exposco. 3.

Nihil autē Deo denegandum, nisi quod impossibile aut absurdum esse, posuimè demōstratur.

Eam dat hisce verbis. *Et quidem hæc Theoremata nullo alio meliore modo propugnare poterimus, quàm dissoluendo singulas obiectiones, quæ possunt contra nostram doctrinam adduci.* Verùm pace Reuerendissimi D. Caramuelis dixerim, non videri mihi bonam esse de Deo philosophandi hanc, quam init, rationem. Neque enim si perfectio aliqua ei inesse non probatur adeò euidenti ratione vt saltem ea probabiliter euerti non possit, illico neganda est Deo inesse ista perfectio. Quinimo prorsus contraria ineunda est via; & si vel probabilis pro Deo affertur ratio, imò etiamsi nulla alia appareat, quàm quòd perfectio sit aliqua id de 4.

quo

quo quæritur, illico id Deo ineſſe concludendum eſt potiùs, ſaltem nullatenus denegandum, niſi priùs & euidenter & demonſtratiuè, non probabiliter tantùm, iſtud imperfectum aut impoſſibile eſſe poſitiuè oſtendatur, quod Deo ineſſe diſputatur. Iam verò nemo negauerit, ſi Scientia conditionalium (qualem aſſerunt non ſolum Patres Ieſuitæ, ſed paſſim omnes Scholæ) poſſibilis ſit, eam Deo ineſſe: præclariſſimumque fore Numinis encomium, ſi non tantùm paucula quædam conditionata, in hâc rerum ſerie cognoſcat; verùm etiam ſi ei omnium, etiam poſſibilium, futura conditionata fuerint perſpecta. Infinitis itaque gradibus perfectior cum ſit ea ſcientia ſic expanſa, præ eâ quam Caramuel ſuis Theorematibus ad pauca contrahit, nullo modo ſatisfaciet reſpondendo ad rationes, præſertim ſi ad paucas tantùm ex multis reſpondeat, quibus poſitiuè ea perfectio Deo ineſſe oſtenditur: neque ſuam ſententiam faciet vllo modo probabilem, niſi priùs euicerit, perfectionem illam eſſe impoſſibilem, aut abſurdam, aut quod idem eſt, non eſſe.

5. Facit hoc inquies. nam Theoremate quarto diſertè ait, *futura conditionata libera, nempe illa quæ ab alio futuro abſoluto non inferuntur infallibiliter aut neceſſariò, nec habent determinatam veritatem aut falſitatem.* Aſſerit id quidem Caramuel, ſed alij Theologi paſſim id omnes negant: aiuntque propoſitionem illam *Petrus curret*, veram eſſe vel falſam, eo quòd è duabus contradictoriis, alterutra neceſſariò ſit vera, altera falſa: quòd ſi ita eſt, certè ab æterno vera fuit vel falſa ſine vllo decreto ſuperaddito: neque conditio adiecta quidquam veritati aut falſitati adiicit aut demit.

Non facit id Caramuel.

6. Hîc verò paululùm excandeſcit Caramuel. num. 107. *& non patiar*, inquit, *hoc proponi argumentum, quia non meretur ſolutionem; eſt enim quoàd ſpeciem aliquid, & ſi bene examinetur, nihil.* Hoc certè, vt parùm dicam, eſt admodum contemptim de grauiſſimorum Theologorum argumentis ferre ſententiam. Bene igitur argumenti vim examinet Caramuel, quid reſpondebit porrò? iſtud ſanè quod poſt aliquot interrogatiunculas. n. 107. propoſitas ait n. 108. & ſeqq. propoſitiones iſtas conditionales, ſicut abſtrahunt à decreto Dei abſoluto, ita abſtrahere à veritate & falſitate. Quod nihil aliud eſt dicere, quàm quia conditionatæ propoſitiones futuræ non ſunt, ideo non ſunt determinatè falſæ nec

Sed prouocatione theſis dat ipſam theſim.

veræ. hoc autem quid est, nisi assumere id quod probandum est, & Thesin dare pro ratione Thesis? Priùs enim ostendendum erat, & verò ratione demonstratiuâ euincendum, nihil verum aut falsum esse, nisi quod decreto Dei absoluto attingitur. Neque simpliciter asserendum, sed probandum id quod dicit. nu. 111. *Dico igitur decretum Diuinum esse cum propositionum contingentium veritate & falsitate, necessariò & quidditatiuè connexum.* hoc enim rursus tantùm assumitur & non probatur, iamque à nostris Theologis sæpiùs responsum est, conditionatas propositiones illas à Deo non in decretis suis, sed in seipsis cognosci. vide Derkennis, Vekenum & alios supra laudatos, præsertim Ruyz disp. 73. 74. 75. nolo enim huic insistere argumento, vt ostendam Caramuelem *in speciem aliquid dicere, & si bene examinetur, nihil.* Illud semper vrgeo, quòd cùm demonstratiuè & euidenter non conuincat aut absurditatem aut impossibilitatem huius Scientiæ; & rursus, cùm nemo non videat eam Scientiam si in Deo sit, perfectionem esse infinities maiorem, quàm ea quam ponit Caramuel, certè eam perfectionis omnis origini & apici, minimè fuisse denegandam, ob nescio quæ commenta, quæ mox persequar.

Et ne probabiliter quidè probat eam scientiam in Deo non esse.

Non credat igitur Caramuel, Theoremata sua optimè se propugnare, etiamsi probabiles afferret solutiones obiectionum, quæ contra doctrinam suam proponuntur; nam etiamsi certissimas daret solutiones, nihil adhuc ageret. tantùm enim id ostenderet, nos positiuè non probare perfectionem illam Deo inesse. aliud autem est perfectionem non inesse Deo, aliud non rectè probari eam inesse. Certè multa in sunt Deo, quæ ei inesse, ratione demonstratiuâ non possumus conuincere, satis id est vt dicamus inesse perfectionem aliquam Deo, qui in omni genere entis est perfectissimus, si contrarium liquidò non demonstretur, aut per absurdum, aut per impossibile. hoc cum non agat Caramuel, non credat sententiam suam nequidem probabilem; nisi velit aliquid esse probabile, quod non probatur nequidem ad speciem; aut velit sententiam dici probabilem quæ ab vno auctore, sine vllâ ratione, eruditionis tantùm causâ, prout se facere dicit, proponitur. 7.

Scripturarum pro Scientiâ illâ

Verùm, cum illud præsertim vrgeat, ex Sacris Paginis non posse conuinci, aliam in Deo conditionalium Scientiam dari, 8.

præter

præter eam quam ipse determinat Theoremate 5. & 6. videamus porrò, quàm probabiles sint solutiones, quas tamen putat Caramuel fortè *futuras certas & manifestas. Hoc tamen*, inquit, *non vrgeo; non enim ad me iudicium, sed ad candidum Lectorem spectat.*

allatarum ne probabiles quidem adfert solutiones.

9. Itaque vt nodum, quem soluere conatur Caramuel, clarè exponamus; illud Lectorem monere non pigebit, loca quædam esse in S. Scripturâ, ex quibus clarissimè conuincitur, Deum aliqua futura conditionata cognoscere, quæ tamen ex libero hominis pendent arbitrio. Fatetur id Caramuel, & quidem non coniecturaliter tantùm, vt aiunt, sed certò & infallibiliter ea Deum cognouisse, & prædixisse agnoscit. At verò ea conditionata, quorum in Sacrâ Paginâ fit mentio, asserit cognouisse Deum *in aliquo absoluto futuro, vnde necessariò & infallibiliter inferebantur*, atque adeo in illo absoluto, ea habuisse determinatam veritatem aut falsitatem. Hinc autem concludere vult, alia conditionata sub Scientiam Dei non cadere; ea nempe, quorum veritas aut falsitas ex aliquo futuro absoluto necessariò & infallibiliter non inferuntur. Et quamuis id non sequatur: Hæc quæ ex sacrâ Paginâ afferuntur conditionata, Deus sciuit in aliquo futuro absoluto, vnde necessariò inferebantur; ergo non scit alia conditionata, quæ à tali futuro absoluto non dependent; cum vtrumque verum esse possit: tamen opere pretium erit examinare futura illa absoluta, ex quibus vt vult Caramuel, dependebat veritas aut falsitas conditionatorum, quorum scientiam claris verbis Deo tribuunt sacræ Paginæ.

Neque si eas adferret, adhuc probaret scientiam cõditionalium illimitatã in Deo nõ esse.

§. III.

Ostenditur quàm improbabiliter Caramuel finxerit decreta absoluta Ceilitarum & Saulis; deinde quòd illis adhuc positis, Deus non potuerit infallibiliter prædicere Dauidi futuram proditionem Ceilitarum, sine Scientiâ conditionalium illimitatâ.

10. PRimum illudque celeberrimum, pro Scientiâ conditionalium Deo asserendâ, testimonium petitur ex 1. Reg. 23. quod vt clariùs exponatur, aliqua quæ historiam spectant, altiùs sunt repeten-

repetenda, quia vsui sunt futura. Philistæi obsederant Ceilam; Dauid Saulem fugiens cum suis, nihilominus, gentis suæ periculo cognito, postquam Deum super hâc re consuluisset, Philistæos forti animo aggressus est, & *percussit eos plagâ magnâ, & saluauit Dauid habitatores Ceilæ*, v. 5. Audiuit Saul, re benè actâ, Dauidem Ceilæ se continere. Itaque *præcepit Saul omni populo, vt ad pugnam descenderet in Ceilam, & obsideret Dauid, & viros eius. Quod cum Dauid resciisset, quia præpararet ei Saul clam malum, dixit ad Abiathar sacerdotem, applica Ephod. Et ait Dauid, Domine Deus Israel, audiuit famam seruus tuus, quod disponat Saul venire in Ceilam, vt euertat vrbem propter me. Si tradent me viri Ceilæ in manus eius! & si descendet Saul, sicut audiuit seruus tuus Domine Deus Israel? indica seruo tuo. Et ait Dominus descendet. dixitque Dauid: si tradent me viri Ceilæ, & viros qui mecum sunt, in manus Saul & dixit Dominus; tradent. Surrexit ergo Dauid, & viri eius quasi sexcenti, & egressi de Ceilâ, huc atque illuc vagabantur incerti. Nuntiatumque est Sauli, quod fugisset Dauid de Ceilâ, & saluatus esset; quam-ob-rem dissimulauit exire.* Hactenus sacer textus.

Historia Dauidis consulentis Deum.

Manifestum est duo hic prædixisse Deum futura sub conditione, quæ tamen ob conditionis defectum numquam euenere. Scilicet descensum Saulis si Dauid permansisset Ceilæ, & proditionem Ceilitarum: quod si prædixit infallibiliter futurum vtrumque, clarum est Deum præsciuisse futura sub conditione Dauidicæ mansionis in vrbe Ceilâ. Fatetur id nobiscum Caramuel. n. 117. hisce verbis. *Dico igitur Scientiam Dei in illâ prædictione fuisse infallibilem de obiecto infallibili, nec tamen contra nostram doctrinam militare.* Attendite si placet rationem *sciebat enim*, inquit, *Deus Saulem, istam habere voluntatem de facto, quod si Dauid veniret Ceilam, aut ad aliam similem ciuitatem, esset iturus illuc & interceptturus illam: & videbat Deus Saulem multis diebus sequentibus continuaturum istum actum, & hoc Scientiâ Visionis. Sciebat etiam Ceilitas decreuisse de facto tradere Dauidem Sauli, si illum in potestate haberent, & hic illum peteret: & stantibus illis duobus decretis actualibus (altero Saulis, altero Ceilitarũ) quæ Deus Scientiâ Visionis cognoscebat, euidenter & infallibiliter videbat Deus, Saulem descensurum in Ceilam, si ibi mansisset Dauid, & Ceilitas tradituros illum, si Saul descenderet. Hæc doctrina mihi videtur*

Vt infallibilitatem oraculi explicet Caramuel, recurrit ad duo decreta absoluta hominum.

II.

videtur valdè clara, inquit, eamque dilucidat exemplo æquè claro, ac illud quod iam proposuit.

12. Verùm vt clara videatur Caramueli hæc doctrina, sciat tamen à multo iam tempore eam Suari fuisse perspectam, & ab eo propositam, l. 2. de Scientiâ conditio: c. 1. n. 3. ne fortè quis de inuentione hâc perperam sibi abblandiatur. Numero verò 4. iudicium hoc de eâ fert. *Hæc responsio habet aliquid subtilitatis: imprimis tamen omnino voluntariè est ficta sine fundamento in Scripturâ.* Vide sis reliqua, quibus doctrinam hanc refutat. Ego sane tanti Theologi vestigijs insistens, ostendam *primò*, decretum Ceilitarum fictum esse, & quidem non probabiliter. *Secundò* etiamsi illud fuisset, non tamen infallibiliter & necessariò Deum ex eo, aut in eo cognoscere & prædicere potuisse traditionem Dauidis, sine aliâ Scientiâ conditionalium, quâ ea cognoscit non in causis aut decretis, sed in seipsis.

13. *Imprimis*, decretum illud Ceilitarum tradendi Dauidem si superueniret Saul, fictum esse, ex eo patet, quòd, vt rectè Suarez, nullum planè in sacræ Paginæ historiâ habeat fundamentum, vnde vel probabiliter, aut per coniecturam quidem colligere liceat, Ceilitas tale decretum condidisse, eo tempore quo Dauid Deum consulebat. Quâ ergo fiduciâ illud fingitur, & tantâ auctoritate asseritur, *sciuisse Deum Ceilitas decreuisse de facto tradere Dauidem, si illum in potestate haberent, & Saul illum peteret?* vbi hoc Scriptura exprimit? Quòd si autem Scripturæ, præsertim historias enarranti, assingendi quidlibet detur licentia, quid demum sinceri habebimus posthâc in sacris Paginis; & quid non dabitur comminisci, quod non auctoritate sacrâ fulciam?

Verùm nullum ea decreta habet fundamentum in sacra scriptura historiâ, cui quidquam assingere nefas est.

14. Illud certè mihi non negauerit Reuerendissimus D. Caramuel, saltem non esse certum, Ceilitas re ipsâ tale decretum habuisse. Vnde enim certitudinem eam conficiet? quòd si autem certum illud decretum non sit, iam sanè constat non attulisse eum *certam & manifestam* huius testimonij, vt sperabat, solutionem; cum ea fundata sit in decreto Ceilitarum planè ficto, & de quo saltem non certò constat an fuerit in rerum naturâ, nec ne. Nisi fortè ex eo decretum tale exstitisse probare velit, quòd Ceilitæ illud condere debuerint, vt sua quam proponit, stet doctrina.

Et cũ hæc hæc fictio certa nõ sit, saltem non dat certam huius testimonij solutionem.

15. Adde, quòd ne probabiliter quidem fingi potuerit eiusmodi decretum absolutum. An enim id prudenti homini credibile est, Ceilitas

Decretum Ceilitarũ de tradẽdo

Dauide ne probabiliter quidem fingi, probatur primò.

Ceilitas paulò ante à Dauide obsidione grauissimâ liberatos, tanto bonorum omnium, vitæque aut libertatis perdendæ periculo absolutos, benefactorem suum, per summam proditionem, inimico capitali tradere statuisse! At, inquies, timebant sibi â Saulis potentiâ & irâ, Dauidem si non traderent. Ita sanè sit, timuerint. At tum credibilius est, si coniecturis agere liceat, Ceilitas clanculum & amicè timoris sui causſas Dauidi exposituros, vt collatis consiliis beneuolè in commune consulerent; ne fortè dum Saulis iram volunt per proditionem effugere, Dauidis indignationem, & fortissimorum virorum pro vitâ suâ decertantium arma, furoremque incurrerent. Probabile enim est, Dauidis arma & milites, ciuium Ceilitarum viribus longè præstitisse; cum ij essent qui Philistæos, ipsam vrbem obsidentes, paulò ante debellassent. Philistæos autem obsidentes, obsessis longè potentiores fuisse, cui non est probabile? si autem Dauidis arma, ciuium armis præualebant, certè timere meritò debebant, ne proditionem volentes exequi, gladijs militum de libertate desperantium conficerentur, aut incendio in vrbem immisso deflagrarent. Nisi fortè Dauidem solum tradere machinabantur; illud nimirum impune passuris militibus fortissimis, & ad Ducis sui imperia dudum factis. Quid quod Ceilitę non ignorabant, Dauidem in Regem inunctum à Prophetâ, imperaturumque procul dubio Israeli? Et futuri Regis iram, proditione si detegatur incurrendam, non extimescerent? Denique quàm id parùm probabile, Ceilitas proditionem hanc molitos fuisse, tum cùm, vt ex historiâ fit planè verisimile, aduentum & machinationem Saulis, aut non sciuerunt penitus, aut non certis indicijs? Nam vt sacer textus habet, *præparabat Saul Dauidi clam malum.* An autem id clam est, quod noscit tota ciuitas? Item Dauid ipse de re totâ dubitabat, cum Deum consuleret. *Et ait Dauid: Domine Deus Israel, audiuit famam seruus tuus quod disponat Saul venire in Ceilam.* Famam tantùm audiuerat Dauid, qui omnia per amicos scrutabatur in castris Saulis; quid ergo de Ceilitarum conscientiâ dicendum est? certè nullam habuisse de aduentu Saulis. Et vt aliquam habuerint, an famâ auditâ, & eâ quidem dubiâ, certum facinus animo illicò designasse est probabile? an magistratus coegisse, & senatus consulto, aut publicâ ciuium acclamatione & tumultu decretum condidisse de Dauide

Probatur secundò.

Probatur tertiò.

uide in vincula conijciendo, & per ſummam ignauiam tradendo Sauli, tum cùm id facilè ad aures Dauidis poterat deuenire, ſummo totius vrbis periculo?

16. Certè eiuſmodi ſunt hæc argumenta, vt facilè homini iudiciis non præoccupato perſuadeant, nullum Ceilitas, eô quô Deum Dauid conſulebat tempore, habuiſſe de benefactore ſuo tradendo abſolutum decretum, & ne cogitationem quidem. Poſtmodum verò traduri quòd fuiſſent, vti prædicit Dauidi Deus, poterat id contingere, aut poſt longam obſidionem conſumptis iam militibus, aut vario marte pleriſque occiſis; vnde Ceilitæ tandem, patriæ ſuæ ſaluti, quam alias perituram videbant, per Dauidis iam pæne inermis traditionem conſulerent. Quidquid ſit, longè probabilius eſt, eo tempore, quo beneficij fere heſterni recens erat memoria, Dauid in delicijs ciuium, milites Dauidis fortiſſimi & victores, Saulis arma procul diſſita, nec vlla de eius aduentu certitudo; nullum de tradendo Dauide abſolutum condidiſſe decretum, quod tamen fingit Caramuel: quam parùm probabiliter, iudicium ſit penes Lectorem.

Longè itaque probabilius tum cum conſuleret Deum Dauid, ne cogitaſſe quidem de traditione facienda Ceilitas.

17. *Secundò*, demus ſanè Ceilitas habuiſſe decretum abſolutum tradendi Dauidem, ſi Saul deſcenderet: & rurſus Saulem habuiſſe decretum deſcendendi Ceilam: nego tamen ex his duobus decretis potuiſſe Deum certò & infallibiliter (nam de hoc eſt quæſtio) cognoſcere tradendum à Ceilitis Sauli Dauidem, ſine illâ, quam PP. Ieſuitæ & omnes paſſim Theologi defendunt, Scientiâ conditionalium.

Poſitis adhuc fictis illis decretis, non potuit tamen ex illis ſolis Deus infallibiliter proditionē prædicere. Primo, quia illo decreta humana mutari abſolutè poterant.

18. Quod quidem ſic conficio. Nam vt habuerint Ceilitæ illud decretum, certè illud naturâ ſuâ tale non erat, quod abſolutè ab iis immutari non poterat; alioquin Ceilitæ hâc in parte non fuiſſent deinceps liberi; quod nemo dixerit. Quòd ſi ergo decretum mutari poterat, & quidem momentis ſingulis, certè in ipſo decreto Deus cognoſcere non poterat, quàm diu eſſet duraturum; cum tota decreti duratio, non à naturâ decreti conditi, ſed à ſolo Ceilitarum libero arbitrio penderet. Idem omnino de decreto Saulis deſcendendi Ceilam dico. nam etſi videret Deus decretum abſolutum Saulis, quo caſtra Ceilæ admouere ſtatuerat, non tamen id decretum ex naturâ ſuâ non erat eiuſmodi, irritari à Saule quod non poſſet; aut legatis à Dauide ſuperuenientibus, aut Philiſthæorum armis aliò Saulem auocantibus. Ex

ipso igitur decreto, aut in ipso cognosci non poterat eius futura duratio.

Sic est inquies. verùm durationem vtramque non in decreto 19.
cognoscebat Deus, sed videbat in ipsâ futurâ decreti duratione. *nam stantibus istis duobus decretis altero Saulis, altero Ceilitarum*, inquit Caramuel, *quæ Deus scientiâ visionis cognoscebat, euidenter & infallibiliter videbat Deus, descensurum Saulem in Ceilam, si ibi mansisset Dauid, & Ceilitas tradituros illum, si Saul descenderet.* Audio quidem : verùm illud peto, quomodo in decretis illis euidenter & infallibiliter cognoscebat Deus descensurum Saulem, nisi certò & infallibiliter sciret decreta illa duratura, vsque ad descensum Saulis futurum, v.g. post tres dies ? vidit, inquit, Caramuel nam *videbat Deus Saulem multis diebus sequentibus Continuaturum illum actum*, (volitionem descendendi Ceilam) *& hoc scientiâ visionis* ; idemque dicit de decreto Ceilitarum.

Imò non durarunt, si facta fuerint, nisi vsque ad fugam Dauidis.

Itane verò ? vidit Deus Scientiâ Visionis duratura illa de- 20.
ereta multis diebus ? at quot diebus vidit duratura ? Certè non arbitror, aut Caramuelem aut vllum in orbe Theologum, dicturum Deum Scientiâ Visionis attingere aut videre alia, quàm ea quæ fuerunt, sunt, aut re ipsâ futura sunt. Non igitur vidit Deus durationem vtriusque decreti, nisi quæ defacto futura erat. Atqui vtrumque decretum non durauit, nisi vsque ad fugam Dauidis ex Ceilâ. Non enim est credibile, Ceilitas habuisse decretum absolutum tradendi Dauidem absentem, quique in ipsorum manibus non erat. Itaque eo elapso, elapsa est decreti continuatio. Saulem verò decretum absolutum, descendendi Ceilam fugâ Dauidis cognitâ mutasse, ex textu constat. *Nam nuntiatum Sauli est, quod fugisset Dauid, & saluatus esset ; quam ob rem dissimulauit exire.* Vtrumque igitur decretum continuatum est tantùm vsque ad fugam Dauidis. Itaque neque Deus vidit continuandum decretum vltra tempus fugæ Dauidicæ : nam Deus per Scientiam Visionis, quæ futura non sunt non attingit. Cùm itaque Deus, vti fatetur Caramuel, *euidenter & infallibiliter Ceilitarum traditionem videre* non potuerit, nisi stantibus illis duobus decretis actualibus, altero Saulis, altero Ceilitarum : Certè non iam stantibus, sed cessantibus istis duobus decretis actualibus, nihil de conditionatè futuro, tanquam ab illis decretis necessariò & infallibiliter inferendo, euidenter & infallibiliter nosse

Non igitur vidit Deus in iis comprehensione Dauidis.

poterat

poterat Deus. Atqui traditio Ceilitarum futura erat post istud tempus quod Dauid suâ fugâ præuertit, & tum cùm decreta illa absoluta per fugam Dauidis erant cessatura: igitur ex decretis cessaturis nihil euidenter & infallibiliter cognoscere poterat Deus. Immeritò ergo tam asseueranter asseruit Deus, descensurum certô certiùs Saulem, & Dauidem in eius manus esse tradendum, isthic si permanserit.

21. Dices non cessasse illa decreta per fugam Dauidis: permansisse enim odium in Saule, & timorem in Ceilitis, vnde ista decreta emanarant. Respondeo, quòd si de actuali decreto & odio Saulis loquaris, falsum esse quod assumitur. nam textus diserte dicit, quòd decretum eundi Ceilam mutauit. neque Ceilitas credibile est perstitisse in actuali voluntate tradendi Dauidem, cùm causa timoris euertendæ vrbis, quæ erat præsentia Dauidis, iam cessaret. egerunt ipsi deinceps res suas, neque de Dauide cogitarunt. Quod si de habituali aut radicali odio Saulis, & timore in Ceilitis sit sermo, nihil hinc habet subsidij Deus, vt certò & infallibiliter cognoscat euentum, qui exinde sequi potest, cùm re ipsâ possit etiam non sequi. *Obiectio refellitur.*

22. Non igitur manifestam & certam, sed ne probabilem quidem huius testimonij solutionem attulit Caramuel. Aut ergo per coniecturas, Deum à Dauide seriò & in re seriâ consultum, respondisse fateatur necesse est; aut si certò & infallibiliter futuram sub conditione Ceilitarum proditionem prædixit (vti verè prædixit Deus) certè aliâ quàm Visionis Scientiâ, euentum illum (qui tamen numquam futurus erat, nec in decretis illis continebatur) cognouisse dicendus est. Alia autem Scientia quæ id attigerit, nulla assignari potest, quàm ea quam Patres Iesuitæ & passim omnes Theologi, Deo inesse contendunt; nempe illimitata, & non pro vt à Caramuele perperam restricta est, conditionalium Scientia. Videamus porrò, an feliciores aliis, qui vt ipse ait (nescio an per contemptum loquatur) circumferuntur locis, daturus sit solutiones.

§. IV.

Sine vlla probabilitate fingit Caramuel duo decreta humana, Israëlitarum vnum, Ethnicarum alterum, vt explicet testimonium 3. Reg. 11.

OBijcit sibi Caramuel. n. 118. locum illum 3. Reg. 11. *Rex autem Salomon adamauit alienigenas multas ; filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Amonitidas, & Idumæas & Sidonias, & Hethæas ; de gentibus super quibus dixit Dominus filijs Israel : Non ingrediamini ad mulieres alienigenas ; certissimè enim auertent corda vestra.* Lex hæc à Deo lata fuerat Exod. 34. v. 16. Hoc testimonium postquam alijs euasionibus conatus est eludere, quas hîc non persequor, eo quòd limitatam de conditionalium Dei Scientiâ Caramuelis doctrinam non spectent : demum *certissimam* hanc, quam prædicit, auersionem futuram, posito quòd alienigenas ducant, ita explicat, & dicit se *ostendere, ex futuris absolutis humanis posse oriri infallibiliter istam realem & metaphysicam certitudinem conditionatam.* Age porrò ostende. *Nam si ponatur*, inquit, *ex parte Hebræorum voluntas absoluta concedendi vxoribus quod primùm petant, & ex parte Ethnicarum voluntas absoluta petendi Idololatriæ propagationem, per consequentiam realiter infallibilem, infertur Hebræorum corda auertenda, si ad Idololatras viri ingrediantur.* Tunc Lectorem magnificè circumspiciens, *ergo clarissimè vides*, inquit, *quam inutilis sit Scientia media Diuina.* 23.

Ponit Caramuel Duo decreta humana absoluta, vt enerues hoc testimonium.

Ego sanè adhuc id non video, ne quidem obscurè : solum id video clarissimè, intempestiuum esse triumphum canere ante victoriam. Nam vt id esset, quòd positis istis duobus decretis, Deus Scientiâ conditionalium non indiguisset, ad cognoscendam illam Hebræorum auersionem, quæ hic certissimò secutura prædicitur ; quomodo exinde sequitur, inutilem esse absolutè Scientiam mediam Diuinam, ad alia cognoscenda, quæ à nullo decreto absoluto libero dependent ? Aut quomodo sequitur hæc illatio; Auersio hæc Hebræorum certissimò cognoscitur à Deo, quia dependet à duobus decretis absolutis, quæ nouit Deus Scientiâ 24.

Verùm eo enervato, nihil cõtra scientiam cõditionalium illimitatam conficit.

Scientiâ Visionis: ergo nulla alia conditionata futura cognoscit Deus per scientiam vllam aliam, nisi quæ ab eiusmodi decretis dependent? Eam verò consecutionem non facilè planam faciet vllus Logicus. Procedit enim â particulari affirmatiuâ ad vniuersalem negatiuam: quod ne speciem quidem habet bonæ argumentationis.

25. Deinde, vt auersionem istam Hebræorum certissimè futuram in decretis illis nosse potuerit Deus, vnde constat eam sic fuisse cognitam? An vlla vel in speciem est vmbra in sacris Paginis, vnde vel coniecturâ liceat assequi, eiusmodi decreta in Israelitis fuisse? Quæ demum hæc est fingendi licentiâ? nullum enim habet in Scripturis, commenti sui vestigium Caramuel, tamen inquit, *ponatur ex parte Hebræorum voluntas absoluta concedendi vxoribus quod primùm petant*, & tunc clara erunt ipsi omnia & expedita. An hoc est Scripturis vti, an abuti? an hoc est Dei mentem ex sacris Paginis inuestigare, an potius ad sua commenta Dei verbum trahere? Certè *si ponere aut supponere* possim quidlibet, vt scripturas explicem, nihil prorsus est quod non ad quidlibet detorquebo. Ponamus Christi verba figuratè sumenda esse, & non multum vrgebor clarissimis Scripturæ verbis, vt præsentiam Christi realem in Eucharistiâ confitear, nec vllus hæreticus hâc in parte conuincetur.

Magna licentia est supponere scripturis, ea quæ in iis non habentur.

26. At verò fingendi licentia Caramueli data vt sit, certè ea proferre deberet, quæ saltem probabili aliquâ ratione, recte viderentur potuisse confingi. *Ponatur*, inquit, *ex parte Hebræorum voluntas absoluta concedendi vxoribus quod primùm petant, & ex parte Ethnicarum voluntas absoluta petendi Idololatriæ propagationem.* At verò illud iam rogo, quo pacto ponere aut supponere possim rem tam inusitatam? vbi enim hoc gentium vnquam auditum est, vt populus integer, nullo inter se concilio aut conspiratione habita, nullâ de hâc re lege latâ, nihilominus in hoc conuenerit, vt quilibet, aut etiam maxima virorum pars, voluntate absolutâ decreuerit concedere vxoribus futuris, & quidem adhuc incognitis, quod à maritis primùm petent? Patet tacente me, quàm id sit ridiculum fingere fuisse factum. Certè latum haberent fœminæ in eiusmodi Republicâ dominandi campum. Adde, quod eiusmodi voluntas, absoluta quidem concedendi quidlibet, indeterminata tamen quoad obiectum (siue pium & rectum

Decretum Israëlitarii sine vllâ probabilitate fingi, probatur primò quia nusquam gentium usitatum.

Secundo quia impiũ

rectum sit, petituræ quod sunt fœminæ, siue sit iniustum & impium) impia prorsus, sit & iniusta, mortalique peccato obnoxia. Et eiusmodi voluntatem absolutam in vniuerso Israëlis populo fuisse, possim credere, quâ totus quantus est, aut saltem maximâ ex parte, mortali scelere foret inuolutus? Nimia hæc est fingendi licentia, ea proferre quæ ne speciem quidem, probabilem vtcunque, historiæ præseferant.

Decretum etiam fœminarum Ethnicarũ gratia fictum.

Et verò, quod de *Ethnicarum voluntate absolutâ petendi idololatriæ propagationem* isthic additur, & quidem petitione primâ, ne, si aliud quid priùs petierint, excidant iure impetrandi postmodùm idololatriæ propagationem certò certiùs primæ petitioni concedendam, ob voluntatem absolutam Israëlitarum concedendi vxoribus *quod primum petierint*, vt vult Caramuel: hæc inquam suppositio seu fictio, rursus omni probabilitate caret. Non enim credibile est, omnes omnium nationum fœminas, in eandem voluntatem peruertendi Israëlitas conspirasse, aut conspiraturas deinceps toto Legis antiquæ duraturo tempore, neque Idololatriæ propagandæ tam studiosas fuisse mihi quisquam persuaserit. 27.

Probatur ex aliis scripturæ historiis.

Historiam vero sacram si attendimus, certè inueniemus Ruth Moabitidem, nihil simile à marito suo Obed petiisse; & 1. Esdræ, 9. & 10. habemus Israelitas plurimos vxoribus alienigenis fuisse coniunctos, nec tamen in Idololatriam deflexisse. Vnde liquidò patet, aut Ethnicas vxores *Idololatriæ propagationem* à viris suis primâ petitione non petiisse; aut si petierint, Israëlitas omnes non habuisse voluntatem absolutam concedendi vxoribus quod primùm petierint. quomodo autem in hâc historiâ verum sit Dei oraculum, *certissimè auertent corda vestra*, id iam non ago; sufficit mihi ostendisse nihil probabilitatis adferre Caramuelem, eiusmodi decreta cùm effingit, quorum nec in sacrâ historiâ, nec in hominum vsitatâ praxi vllum habemus vestigium. Certè nec Salomon ipse, quamuis per alienigenas vxores postmodum peruersus fuerit, tamen ab ipso matrimonij sui exordio *voluntatem vxori suæ concedendi quod primò petierit* habuisse dicendus est. Nam vti patet, 3. Reg. 3. filiam Regis Ægypti duxit, tum cùm Deo summopere placebat, summus eius cultor, & à quo paulò post sapientiæ donum diuinitus accepit. An autem placere Deo poterat is, qui voluntatem absolutam habe- 28.

ret

ret concedendi quidlibet vxori quod primùm petierit, impium id licet foret ? sanè cùm per mulieres deprauatus fuit, id teste Scripturâ contigit, cùm mulieribus plus nimiô addictus, *Adamauit mulieres alienigenas multas.* 3.R.11.v.1. *Cùmque iam esset senex, deprauatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur Deos alienos, nec erat cor eius perfectum coram Domino.* Seni itaque deprauatum est cor; non igitur deprauatum erat, tum cùm Ethnicas primùm duceret: quod tamen proculdubio dicendum foret, *si voluntatem absolutam habuisset, vxoribus concedendi quod primùm petierint*, etiamsi postulassent Idololatriæ propagationem. Et verò, si filia Pharaonis etiam voluntatem absolutam habuerit Idololatriæ propagandæ, mirum est distulisse petitionem suam, donec iam senex esset Salomon, neque quidquam à marito amoribus suis tam implicito interea postulasse. Illud enim necessariò dicendum est contigisse, vt *per consequentiam realiter infallibilem*, vt loquitur Caramuel, deprauatio Salomonis sequeretur.

29. Quod si, ne in iis ipsis quidem, qui re verâ à mulieribus Ethnicis ad Idololatriam distorti sunt, eiusmodi voluntas absoluta concedendi mulieribus quidlibet inueniatur, vbi quæso eam inuenit Caramuel pro futuris conditionatis peruersionibus ? quomodo, inquam, voluntatem tam impiam affingit infinitis Israëlitis optimis & sanctissimis, qui alienigenas numquam duxerunt, de quibus tamen sacer textus affirmat, *certissimè peruertendos* eas si duxerint ? Quod si eam voluntatem non habuerint, aliam Scientiam certè in Deo esse necesse est, quâ peruersionem illam & certissimè quidem futuram cognouerit, & prædixerit. Non igitur id dicat Caramuel *clarissimum esse quàm inutilis sit Scientia media Diuina* : nullam certè eius suppositiones & figmenta huic rei attulere claritatem.

§. V.

Tyriorum & Sidoniorum decreta, de acceptandâ Religione quæ miraculis confirmaretur, gratis fingit Caramuel.

30. VIdeamus porrò an feliciùs grauissimo illi Christi testimonio, de Tyrijs & Sidonijs refutando, facem præferat, vt aliquid suis

Testimoniũ Christi proponitur.

ſuis commentis afferat claritatis. Habetur id Matth. 11. his verbis, *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.* Nolo iam huic argumento diutiùs immorari, vt ex hiſce Chriſti verbis, Scientiam mediam euidentiſſimè conſici demonſtrem. Præclarè id à præſtantiſſimis Theologis peractum eſt. Cum Reuerendiſſimo Caramuele mihi iam res eſt. *Teſtimonio hoc ſe non vrgeri* aſſerit; & quamuis infallibilis fuerit Chriſti prædictio, & de obiecto infallibili; tamen ad eam proferendam, Scientiam in Deo mediam ſtatuendam non eſſe, quâ hæc conditionatè futura infallibiliter nouerit in ſeipſis. Quô igitur pactô ea cognouit? Dicam inquit, *Tyrij & Sidonij habebant piam affectionem erga miracula.* Imprimis hoc fictum eſt & gratis dicitur. Sed quid deinde? Audi *Stante*, inquit Caramuel, *illorum decreto, quod vellent habere religionem, quæ confirmaretur miraculis, neceſſariò ſequebatur per conſequentiam realiter infallibilem, illos ſi vidiſſent prodigia, à Deo fuiſſe conuertendos. Et quidem pios eorum affectus, & deſiderium inquirendi veritatem per miracula, cognoſcebat Viſionis Scientiâ Deus, nec indigebat Scientiâ mediâ.*

Huic explicando, decretum quoddam abſolutum Tyriorum & ſidoniorum affert Caramuel

Sed ſine vllo fundamento id fingitur.

Multa hic ſanè aſſumuntur ſatis liberè, parùm tamen probabiliter. Nam de *piâ illâ Tyriorum affectione erga miracula*, & *de pio deſiderio inquirendi veritatem per miracula*, nihil vſquam aut in ſacris Scripturis, aut hiſtoriâ profanâ legimus: Prophetæ verò arrogantiam Tyriorum, grauiſſimis ſanè verbis paſſim inſectantur. Nihil ſaltem hactenus de Tyriorum & Sidoniorum pietate legi, niſi quod piè de eis ſentiat Caramuel, vt Deo Scientiam mediam illimitatam detrahat. 31.

Age porrò, cùm te Scripturis omnibus, quæ pro Scientiâ mediâ afferuntur, explicandis, *probabiles & fortè manifeſtas ſolutiones daturum pollicearis* n. 114. An hoc probabile, ne dicam manifeſtum eſt, Tyrios ex pio affectu inquirendi veritatem, decretum condidiſſe, quo ſeſe obſtringerent religionem aſſumpturos quæ miraculis confirmaretur? ſi manifeſtum id eſt, certè ex hiſtoriâ manifeſtum ſit neceſſe eſt. Itaque decretum illud producat Caramuel, dicatque apud quem legatur, aut ex quo tabulario vetus iſtud nobiſque incognitum decretum deprompſerit. Manifeſtum autem illud cùm non ſit, quomodo iam vel probabile 32.

Et ſine vllâ probabilitatis quidem ſpecie.

probabile faciet, apud Tyrios solos decretum extitisse, quod nec ab illis, nec ab vllâ vmquam natione conditum legimus? Vlteriùs peto, an totius Tyri & Sidonis senatus-consultô decretum istud prodierit, an verò singuli ciues, hoc sibi libere condiderint? Quid hic rursus afferet auctor, vt alterutrum vel in speciem probabili ratione asserat? Quasi verò de Religione dubitarint omnes Tyrij & Sidonij, qui Idololatriæ pertinaciter inhærebant, vt ex sacris constat litteris: aut magna ipsis in verâ Religione inquirendâ esset curatio, qui toti in mercaturâ promouendâ, diuitiisque toto orbe perquirendis incumbebant. Figmenta esse hæc decreta, piasque Tyriorum affectiones excogitatas tantùm esse, nemo non videt. Et tamen sine ficto illo decreto, Christi sententiam infallibilem esse non potuisse vult Caramuel; quam tamen realiter infallibilem & veram fuisse fatetur. Aliunde itaque veritas illa petenda est, quàm ex hoc ficto decreto Tyriorum, quod numquam in rerum naturâ fuit.

33. Illud quoque Caramuel aduertat necesse est, Christum non simpliciter dixisse *si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, pœnitentiam acturos*, verùm & modum expressisse: nimirùm *in cilicio & cinere pœnitentiam acturos*. An hoc igitur etiam *necessariò*
31. *sequebatur per consequentiam realiter infallibilem* ex Tyriorum decreto, quo *volebant habere Religionem confirmatam miraculis?* an non poterant conuerti & pœnitentiam agere, sine cilicio & cinere? sine dubio. Vnde igitur Christus pœnitentiam hanc conditionatè futuram, infallibiliter norat agendam fuisse in cilicio! sanè cum non nisi in Tyriorum decreto absoluto, id per infallibilem consequentiam Christus nosse potuerit, vt vult Ca-
32. ramuel, aliud ego decretum priori assuendum iudico, cuius fortè oblitus fuerit; nimirùm Tyrios, senatus-consultô irrefragabili & in omne tempus duraturo, legem condidisse, quo omnes ciues tenerentur illico ad verum Deum conuerti, cùm virtutes fierent in Tyro, quales postea factæ sunt in Corozaim: neque hoc tantùm; sed ad placandum Numen, pœnitentiam liquidò præscripsisse ciuibus, quâ non alio modo, sed in cinere & cilicio prorsus pœniterent. Quàm verò probabile sit tam pia, vt Caramuel ea vocat, decreta in impio prorsus populo extitisse, iudicium penes Lectorem sit. Denique vt rem conficiam, futilitatemque figmenti Caramuelici euincam: an Tyrijs & Sidonijs nota non

erant miracula quæ Christus patrabat quotidie ? quis id certè neget in tam exiguo locorum interuallo, miraculisque quæ, teste Euangelio, passim diuulgabantur per omnem terram ? cur ergo conuersi non sunt ? nisi fortè decretum istud condiderint post Lazari aut certè Christi resurrectionem ; aut sanè conditio ista decreto inserta fuerit, non alia ipsis credibilia fore miracula, nisi in Tyri & Sidonis foro aut compitis patrarentur. Nimis absona hæc sunt, quàm vt fidem faciant vel inueniant.

§. VI.

Iterum fingit decretum inauditum in Iusto rapto, vt explicet locum Sap. 4.

VLtimum tandem illudque rursus celeberrimum è Scripturâ testimonium, quod sibi Caramuel dissoluendum proponit, 34.
est illud Sap. 4. *Raptus est* nimirum *iustus, ne malitia mutaret intellectum ipsius*. Sciuit itaque Deus iusti, quem è viuis eripiebat, intellectum mutandum seu deprauandum, in viuis si maneret. Sciuit, inquit Caramuel, sed non per scientiam mediam. Quomodo igitur ? Audi. *Possumus*, inquit, *dicere siue ille locus intelligatur de Enoch, siue de quocumque alio Iusto, sæpè contingere quòd Scientiâ suâ Visionis, Deus cognoscat aliquod decretum humanæ libertatis perseueraturum v. g. per duos dies, & respecturum obiecta secundùm se indifferentia ; quæ primâ die sint bona extrinsecus propter adiacentes aliquas circumstantias, postridie mala propter aliquas circumstantias superuenientes. Poterit ergo Deus, hominis liberô arbitriô illas secundas circumstantias impedire, aut etiam hominem eripere è loco in quem illæ concurrent : neque ad hoc egebit Scientiâ mediâ.* Quod vt clariùs exponat, *sit inquit crastina dies ieiunio colenda Madriti, non Compluti. Sit Madriti Albericus, & nihil de ieiunio cogitans, statuat apud se voluntate efficaci, se cœnaturum totâ hebdomade : maneat hoc decretum etiam totâ. ergo hodie cœnando Albericus non peccabit, & cras si cœnet Madriti peccabit. Quid ergo vetat, quòd vel Deus faciat quod in mentem eius non veniat diem crastinum esse ieiunij : aut etiam ad alicuius amici instantiam, aut etiam tactus Diuinitus (& si velis non solùm prædeterminatus*

Exponitur speculatio Caramuelis.

determinatus sed & necessitatus) transferatur Complutum, antequã legem cognoscat quam violaturus erat infallibiliter, si mansisset Madriti? sanè in hoc casu, essent veræ illæ duæ propositiones. Prima, si mansisset Madriti, cœnasset, & consequenter peccasset. Secunda, Raptus est (motu nimirum libero vel necessario, nam quoad hoc, alterutrum perinde est) & translatus est Madrito Complutum, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Hactenus Caramuel; de quo *quidem non timeo ne malitia mutet intellectum eius*; illud tamen subuereor, ne fictio *deceperit animam illius*: nihil enim nisi figmenta profert: quibus cùm sacræ Paginæ auctoritas eliditur, illi sanè illuditur.

35. Verùm antequam figmentum prodam, illud velim meminisse D. Caramuelem, Theologorum omnium esse constantem sententiam, quod paulò ante etiam monui, Deum Scientiâ Visionis nullum obiectum attingere, nisi quod actu fuit, est, aut absolutè futurum est. Neque Caramuelem credo hâc in parte dissentire. quod si ita est; quomodo per Scientiam Visionis Deus scire potuit Iusti huius *qui raptus est, ne malitia mutaret intellectum ipsius*, decretum *perseueraturum fuisse*, v. g. *per duos dies* si raptus non fuisset aut morte præuentus? nam reuerâ decretum illud, qualecumque demum fuerit, actu non durauit duos illos dies; nam raptus est ne malitia immutaret decretum illud. Igitur decretum illud duos dies duraturum non sciuit Deus per Scientiam Visionis; nisi Deum videre velis etiam ea quæ numquam futura sunt; quod nemo Theologus vmquam dixit. Quod si autem Iusti huius liberum decretum, duraturum non vidit Deus Scientiâ Visionis, iam sanè corruit tota Caramuelis speculatio, eamque durationem sub conditione futuram, infallibiliter, non nisi per scientiam Mediam cognouisse necesse est. *Refellitur ex notione visionis Diuinæ.*

36. Deinde, cum rursus ad decreta absoluta hominum confugiat Caramuel; quod quæso decretum fecit Iustus hic antequam raperetur, quod respiceret obiecta ex se indifferentia? An non hoc rursus egregium figmentum est, quod nullum in sacris literis, ne specie quidem tenus habet fundamentum? Ex iis autem satis constat Iustum hunc habuisse decretum, non *quod respiciebat obiecta secundùm se indifferentia*, sed quod planè in se sanctum esset & absolutum, seruandi nimirum omnium mandata Dei. nam disertè de eo dicitur ibidem nu. 10. *placens Deo factus* *Nõ fictum modo sed & falsum est Iusti decretum respiciens obiecta secundum se indifferentia.*

ctus est dilectus; & viuens inter peccatores translatus est. raptus est ne malitia &c. & rursus n. 14. *placita enim erat Deo anima illius; propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum.* An autem placita dicitur anima illius Deo, ob decretum respiciens obiecta secundùm se indifferentia? minimè verò: nam decretum obiecta secundùm se indifferentia respiciens, in se etiam indifferens est, neque vllo modo sanctum, aut quod Deo placitam reddere possit animam. Cur ergo tale Iusto illi affingitur?

Rursus *propter hoc*, inquit, *facer textus properauit illum educere de medio iniquitatum*; propter quid? *quia placita erat Deo anima illius*. atqui non erat placita anima Iusti huius ob decretum quod illi affingit Caramuel, ergo neque ob hoc decretum properauit eum educere de medio iniquitatum. Animaduerte quòd de medio iniquitatum raptus sit, non autem de mediô obiecti alicuius, quod per circumstantias extrinsecùs aduenientes mutandum erat de non malo in malum. frustra igitur decretum illud fingitur.

Neque frustra tantum, sed & inuito textu. nam *raptus est ne malitia immutaret intellectum ipsius* siue vt Syrus legit *conceptum eius*, Vatablus verò *sensus eius*. itaque sciebat Deus immutandum conceptum eius seu sensum eius, si mansisset in viuis aut inter peccatores, aliaque formaturum de rebus diuinis iudicia, peccatorum nempe consuetudine & familiaritate deprauanda. hoc sanè clarissimè vult facer textus. Non ergo erat mutandum Iusti huius decretum ex bono in malum, per solam aliquam circumstantiam extrinsecùs aduenientem (putà per legem positiuam Dei iusto non satis intimandam, vt in casu Alberici ponit Caramuel) sed sciebat Deus mentem seu propositum Iusti, nisi è peccatoribus raperetur mutandum in se ipso, malitiâ & peruersitate ipsi actui intrinsecâ. Atque hoc modo ad exemplum Alberici à Caramuele propositum iam respondimus, quod cum casu nostro commune non esse, ex dictis patet. 37.

Iam verò illud tandem vrgeo, & peto in quô tandem decretô hominis illius Iusti absolutè, Deus scire potuerit hanc mutationem futuram fuisse, nisi moreretur aut è peccatoribus raperetur? Nam decretum illud respiciens obiecta ex se indifferentia, non agnoscimus, vt quod temerè sit confictum: decretum autem quod verè habuit tunc cum raperetur, nimirùm propositum sem- 38.

per

per seruandi mandata Dei, sanctum erat & perfectum, & pro illo instanti semper producturum suum effectum : non ergo in eo decreto, certò & infallibiliter mutationem Iusti cognoscere potuit Deus, nisi raperetur. Non igitur hactenus attulit Caramuel, ad testimonia illa clarissima, pro scientiâ mediâ Deo adstruendâ è scripturis petita, quidquam quod vel probabilem iis afferat solutionem. Neque iudicium Lectoris ego tantùm, sed & Caramuelis ipsius appello : quem vti ingenio perspicacissimum, ita & moribus candidissimum esse scio : neque alium per hasce disputationes sibi præfixum scopum habere, quam arcana diuinitatis mysteria disputando, alienaque ingenia excitando, reddere manifestiora.

39. Illud tamen pace tanti viri rursus dixisse non piguerit, vt sane probabiles fuissent Caramuelis textuum sacrorum expositiones, non idcirco illico negandam fuisse Deo Scientiam mediam sese ad omnia conditionatè futura extendentem. nam cum illa infinities infinitis partibus perfectior sit, præ eâ quam ad decreta quædam humana restringit Caramuel, certè ob rationes aliquas probabiles, de possessione tantæ perfectionis & quidem simpliciter simplicis, deiiciendus non erat Deus : sed potius annitendum omnibus ingenij viribus, vt scientiam eam quam nemo, si detur, non iudicauerit esse perfectionem summam, Deo astruamus : cum nihil perfectionis optari aut excogitari ab ingenio creato, imò & increato possit, quod re ipsâ iam non sit Deus.

PARS II.

Respondetur dubiis quæ Diuinæ Prouidentiæ solent opponi.

TRACTATVS VI.

Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus; impium quoque ad diem malum. *Prou.* 16.

Optimè à Deo permitti peccata in hoc mundo, demonstratur: ac propterea neminem iis turbari debere.

PROOEMIVM.

HActenus Diuinæ Sapientiæ inscrutabiles abyssos contemplati sumus; non eâ quidem fiduciâ quod speraremus illam mente posse complecti, sed vt ingentem opinionem quâ tantopere indigemus, de magnâ Dei Mente concipientes, eius tandem Prouidentiæ acquiescamus. Iam verò cùm id etiam viderimus, infinitam illam scientiam necessariam planè fuisse huic orbi rectè dirigendo, duo imprimis statui; primò, nihil prorsus casu accidere; deinde, capaces non esse nos qui de rerum euentibus iudicemus; ac proinde id solùm nobis relinqui, vt rectè & quidem optimè omnia contingere statuamus. Hoc verò cùm iam animo fixum omnino sit, certè, vt ante me dixisse memini, plurimæ posthàc rationes occurrent, quibus vt Epictetus aiebat, facilè *in omnibus Deum apud homines defendam*, detergamque querimonias omnes, quibus non rectè de Diuinâ Prouidentiâ sentientes, fucum faciunt, veritatique

apud Arrian. l. 1. c. 16.

tique tenebras conantur aspergere. Ac imprimis illud quasi capitale occurrit, Dei Prouidentiâ si regerentur cuncta, certè non permittenda scelera, quibus & Dei gloriæ multum detrahitur, & mundus concutitur vniuersus. Hæc petra scandali, iis quibus statutum est ruere, seseque præcipitare. Verùm occurrere eis placet: Diuinitatisque acturus causam, ostendam imprimis, vltimum finem quem Deus in omnibus suis spectat actionibus, esse suam Gloriam, seu Diuinitatis suæ manifestationem. Vndè secundum liquidò eluceſcet: nimirum optimâ ratione ductum, scelera quantumuis grauia permisisse, nullâque in re, Prouidentiæ suæ mirabilem artem præclariùs ostendisse, quàm cùm per ipsa scelera, gloriæ suæ, imò & hominum commodis, maximæ adiicit incrementa.

§. I.

Inculcatur iterum, omnia à Deo bene fieri, nosque capaces non esse, qui de rerum euentibus iudicemus, aut quidquam statuamus.

1. MAneat igitur illud fixum ratumque fundamentum, cui totam mentis nostræ, cogitationum, iudiciorumque machinam, tranquilla vt sit, incumbere necesse est. *Primò* quidem, nihil prorsus in totâ naturæ rerumque serie agi, quod non Deo destinante & dirigente agatur. Idque non temerè & prout casus fert, sed post infinita studia, omnibusque rectè expensis & perpensis eum statuisse, quidquid mihi aliisque obuenit: eaque eô quô obueniunt tempore, eô locô, per eas ipsas personas accidere, mihi naturæque longè fuisse conducibilius. Quod quidem idcirco speciatim dico, quòd videam, cùm rem ipsam quæ nobis accidit incusare non audemus, ne Diuinæ videamur refragari voluntati, tum verò modum circumstantiasque arrodere. Sicque conquerimur passim, petimusque; an tum omnino necessaria esset pluuia cum iter adornabamus? an tum omnino ægrotandum, cùm religionis opera agitabamus animo? an tum morte dissoluendum matrimonium, cùm res domesticæ prosperè incipiebant fluere? an tum vitæ fila incidenda filio, postquam plurimâ

Omnia quæ eueniunt, bene euenire, & bono modo, iudicãdum est.

rimâ educatus curâ & ære, in spem matris adeptâ surgebat dignitate? bella hæc differri an non poterant? aduersitatesque quas patimur, an non ab alijs, quàm ab his qui eas inferunt, poterant immitti? Infinitæ sunt eiusmodi nostrûm omnium querimoniæ: de modô querimur, vbi rem ipsam improbare penitus non audemus.

Quisque sibi persuadeat nõ esse capacẽ se, qui iudicet quid sit melius neque reipublicæ,

Ad hæc non aliud habeo quod reponam, quàm quòd sine circumstantijs, euentum ipsum non disposuerit Deus, neque circumstantias sine euentu. Rationes omnium perspectas qui habuerit, erit imposterum mihi Deus. Illud scio, à Diuinâ Mente in hunc ordinem cuncta non casu, sed summâ industriâ fuisse digesta; eumque morbum, eam tempestatem, illud bellum, eam iniuriam, id genus mortis & non aliud, hoc tempore & non futuro quocumque, per hos homines & non per alium vllum mihi superuenire, fuisse conuenientius, & mihi naturæue, & me naturamque dirigenti Deo. Hoc fixum, hoc ratum sit. Hîc sto, hîc quiesco. 2.

Alterum quô proiectam in diuinis consilijs diiudicandis petulantiam, audacemque temeritatem penitus frænem, imò infringam, est stupor imbecillitasque mentis meæ, tam cœcè in sententiam ferendam prosilientis: cùm nihil tam clarum sit, quàm quid sit modò melius, quid conuenientius determinare, nobis neque generatim, neque etiam speciatim esse possibile. Dic sodes, generatim naturæ quid sit melius, hodie pluere an non pluere? ventos & quidem hos, & quidem hâc vehementiâ spirare, an quiescere? quis hîc loqui audeat, nisi cui tota natura penitus est perspecta, omniumque camporum animaliumque nota & expensa est necessitas? Quid conuenientius sit, morbis vexari ciuitates, bellis Rempublicam, cuius est id diiudicare, nisi cui id etiam notum est, qui demum morbos bellaque consequentur casus, & quidem longâ euentuum serie? nam morbos pestesque, plurima ciuitatibus bona consecuta sunt; multa etiam per bella in Rempublicam inuecta sunt commoda, quibus iam in pace, ad quam tamen tantopere anhelabant, sese carere, Belgæ cùm hæc scribimus confitentur, & nonnulli etiam deplorant. Sic pax nonnunquam peior bello est; & victoriæ ingentes, victores ipsos sæpissimè euerterunt. 3.

Quid igitur tantopere clamamus? quid conquerimur? quid statuimus, 4.

ſtatuimus, quid decernimus miſeri homunciones, quorum conſilia tam aut nulla ſunt, aut infirma? Certè vt rectiſſimè monet Sapiens, *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ.* Vis ſcire cur timidæ? quia in tenebris ſumus. Sicque nobis accidit, id quod concubiâ nocte in conclaui ſibi ignoto, ſine lumine ambulanti; omnia timet quia ignorat omnia; etiam tuta timet, quia neſcit vbi figat pedem; & vt fixerit, neſcit quid porrò deinceps ſit. Ita nobiſcum agitur, nè quidem harum, quibus inhæremus, rerum circumſtantias omnes perſpicimus; quid deinde futurum ſit ignoramus planè; timidæ igitur vt ſint cogitationes hominum neceſsè eſt, *neque firmæ conceptiones eorum* vt habet Syriaca expoſitio. Non habemus vbi pedem figamus lapſûs ſecuri: idcirco, vt fert textus Arabicus, *Cogitationes mortalium ſunt timores*, quidquid enim agis, ſemper de rei euentu timendum eſt. Amens ſit certè, qui ignoto loco, in tenebris conſtitutus, ſine duce, pro ſuo libitu quaquauerſus eum tulerit impetus, ferri vult; & tum fortè prolapſus, de ruinâ tamquam de iniuriâ ſibi illatâ, apud obuios quoſque conqueratur. Amentior, qui ducis omnia præſcientis præcipitia, oblatam manum ferox auerſatur, eamúe cœcus planè ſuo nihilominus vult arbitrio moderari. Cœcus es, ô homo, qui cuncta diiudicare vis; præteritorum immemor, præſentium ignarus, futurorum ignorans; & tu iudicium de rebus fers, nec erubeſcis? ſtupidum te agnoſcis, mentis lumine te captum ſcis, & necdum ſiles? naturæ directori Sapientiſſimo, conſiliorum omnium arbitro acutiſſimo audes obſtrepere? Amens & ipſe ſim, ſi de hâc re pluribus tecum agam.

Sap. 9.

5. Verùm ſi tuis te in rebus, domeſticâque familiâ contemplandâ acutiorem putas, tibique ſaltem quid magis congruat arbitraris videre te; ad vnicum hoc quod modò interrogo reſponde, & eris mihi magnus Apollo. Filium hunc quem tanto ſtudio enutris, aſpice. Aſpexiſti? dic modò, vtrum conuenientius iudicas & magis è re tuâ, eum tibi ſuperuiuere, an à te mortuum efferri? quid hæres, quid ſtas? quin quod iudicas planè eloqueris? verùm quid iſthæc te interrogo, quem iudicium ſanum ferre non poſſe, certò ſcio? quis enim id rectè ferat, niſi qui præſciat, futura filij, latura quid ſit dies? verum id quidem eſt, valet ingenio, manu eſt promptus, valetudine admodum firmâ

neque domeſtica & priuata.

est; matri iam seni poterit esse solatio, & verò etiam adiumento. Fateor, sic est, poterit: at quid facturus sit, quis id scit? Quàm multos vidimus ingratissimos filios, immemores à quibus vitam hauserint, vitæ auctoribus interitum acceleraſſe? & pro his ipsis, cum in infantiâ ægrotarent, vota feciſtis miseri iam parentes; pro his Deo, Diuisque supplices, preces anathemataque deuouistis: nihil non actum, vt barbarus hic vitam protraheret. En viuit, vti voluistis; viuit, sed in paternos maternosque luctus. Baculum hunc esse volebatis senectutis vestræ; baculus nunc est, baculum experimini; non quidem cui innitamini, sed cuius immanes ictus, verùm impios perferatis. Quis modo vobis est sensus? quod iudicium? cur tantopere pro tam immani vitâ estis deprecati? Nihil sane aliud proferre potestis, quàm obuium illud, Euenire hoc posse non credideram.

Hinc acquiescendũ est rerum euentibus, quos impedire non est in manu tuâ.

Hoc tantùm vt fatearis volo, quisquis tibi videris sapere; sapies id si agnoueris, *Incertas esse prouidentias nostras.* Diiudicare dum volumus quid sit conuenientius, nihil iudiciô, coniecturis agimus omnia, Proinde nihil à fundamento cui innitor dimotus, securus mei pronuntio, omnia conuenientiùs fieri quæ fiunt modò, quàm quæ meliùs fieri posse, possem suspicari. Proinde cum iam fruamur pace, quantumcumque multis sit incommoda, dico conducibilius esse iam carere bellis, pacisque bonis vtcumque frui; cras si bellum ingruat, cras bellum præferam. Cùm serenum erit cælum, illud præ pluuio approbabo; cum verò Iupiter maduerit, madere debuisse clarè dicam. Dum spiro, dum vitã traho, eam mihi præoptabo; cùm mors ingruerit, eam vitæ anteponam. Quâ tandem inductus ratione? vnicâ hâc, quia omnibus rectè appensis, trutinatis, & expensis, tandem sic visum Deo, qui videt omnia. Hîc non cæcutio, clarè id sic esse planeque perspicio. Cæterùm in rationibus sigillatim examinandis cæcus sum, fateor: sed ducentem sequor, &, quidem non cæcum Deum. 6.

Hæc strictim dixi, sigillatim expositurus omnia. Id tamen iam generatim dicendum est, omnia ea quæ in manu nostrâ non est auertere, aut impedire, conuenientius esse vt nobis accidant. Nam impediri mortem (exempli causâ) à me non posse, id inde fit quòd Deus circumstantias omnes instrumentaque ita pro tempore, loco, & personarum conditionibus, disposuerit, vt euitari 7.

tari non possit euentus ille, quem suis rebus, hoc est, vniuersitatis administrationi rectæ, iudicauerat expedire. Euentus itaque iste à Deo est: & hoc satis est vt acquiescam.

§. II.

Vt autem plenè acquiescamus, iudicemusque omnia optimè fieri, ostenditur quod finis vltimus omnium actionum Dei, sit eius gloria. Hinc desumitur noua praxis gaudendi in rebus prosperis, quæ & aduersis conuenit.

8. ALterum tranquillitatis fundamentum, quodque adhuc vacillanti, dubitantiq; an conuenientissimo modo Deus exequatur omnia, planè satisfaciet; est, id sibi habere præstitutum; Finem vltimum quem sibi præfixit Deus, nullum alium esse, quàm Diuinitatis suæ honorem & Gloriam; quæ quidem in eo primò est posita, vt creaturas ratione præditas in æternæ salutis portum inducat: Deinde vt conuenienter totam hanc mundi machinam, quâ tanquam naui ferimur, in hunc finem dirigat prouidus Deus. Certè negare non possumus totam hanc cælorum, elementorumque molem humanis planè vsibus subseruire; neque adeo esse vt sint, quàm vt homini, secundùm naturæ suæ necessitatem, bene sit. Non autem Deus vult homini, vt ei à creaturis cæteris bene sit, nisi quia præ cæteris omnibus, meliùs vult vt sit homini. non autem melius esset homini, nisi ad altiora destinatus foret homo à Creatore Deo. Si enim aliud futurus non est, quàm quod nunc naturâ est, melius certè homini præ cæteris creaturis non erit, quæ & hoc quoque naturâ sunt, quod sunt. Verùm altiorem tibi, ô homo, dignitatem prouidit Deus: ad cælum duceris ô Natura, supra Naturam prouehenda; hoc tantum felix nomine, isthuc quòd duceris.

Omnia Deus propter hominem, hominem verò fecit propter gloriã suam.

9. Ad hoc omnia collimant Dei studia; ad hoc orbium cælestium globos, ad hoc Solem, ad hoc terram, elementaque omnia conseruat, fouet & gubernat; non vt illa sint, sed vt tibi sint, tibique seruiant. Sic nauclerus instrumentis suis inuigilat, nauis curam gerit, oblinit, firmatque, vela construit, expandit, ventos captat,

captat, gubernaculum tenet manu; non vt gubernaculo, naui, veliſúe bene ſit, non quòd ventis paſcatur aut delectetur; ſed quòd vectorum, viatorumque bonum adamet, eoſque in portum ſtatuat inducere ſaluos & incolumes. Ita prorſus dicendum eſt; Deum totam hanc machinam curare, omnes rerum omnium viciſſitudines obſeruare, diſcutere, ordinare, tantùm te ô Mortalis in feliciſſimam illam patriam vt inducat; iſthic à te ſummo ſuo gaudio, tuâque felicitate etiam ſummâ, totâ deinceps æternitate vt audiat magnificum illud, *Benedictio & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo noſtro, in ſæcula ſæculorum. Amen.* Apoc. 7.

10. O admirabilem & nullis vocibus explicandam bonitatem & miſericordiam! neſcio ſanè an non dicere debeam, nimis facilem tanti Numinis humanitatem! Humanus certè nimiùm eſt, etiam antequam homo factus ſit Deus, humanus adeo vt homo factus fuerit, tantùm vt homo fieret dignus Deo. Verùm quid id Dei intererat, ab homine miſerrimo laudari eum, quem *Aſtra laudant matutina*, hoc eſt, Angeli in ipſo mundi exordio pro Deo ſuo ſtantes, Numini ſemper grati quia felices, & felices quia grati? imò quid Dei magis intererat ab homine ſalutari, quam a minimo qui inter Arabiæ deſerta ignotus repit, angue aut vermiculo? Hîc ſanè vela contraho; vocem comprimo, & miſericordiam generi humano præſtitam quam non capio, ſupplex tacituſque adoro. Ita tamen eſt: Gloriam ſuam quærit Diuinum Numen: nam vt diſertè Deus ipſe apud Salomonem fatetur *vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*, adeo vt, quantum video, circulum faciant Deus, creaturæ cæteræ, & homo. A Deo namque prodiêre veluti e fonte creaturæ omnes, idque vt hominum commodis inſeruirent; homini autem præſtitum eſt, vt ad Deum illô fruiturus redeat; & hoc modo per hominem cæteræ creaturæ, ſaltem per obſequium homini præſtitum, ad omnis boni fontem Deum reuertuntur. Verùm quò me tandem auexit materiæ ſuauitas? Iob 38. Prou. 16.

Igitur rurſus acquiſcêdum eſt omnibus euentibus, qui à Deo ſunt, gloriæ

11. Illud iam ago, illud vrgeo. Quòd ſi omnia ad gloriæ ſuæ manifeſtationem referat Deus, gloriæque ſuæ ſit prorſus auidiſſimus, quâ quæſo ratione credam ego, non eum optimè agere vniuerſa, hoc eſt, eô modô qui ad gloriam ſuam prouehendam maximè conducat? Homines gloriæ cupidi, quòd non ſemper ea moliantur

moliantur quæ maximè sunt honorifica ; id quidem est, quia non sciunt semper quid sit honestius, neque quæ sciunt, semper volunt, neque quæ volunt, semper possunt in rem deducere. At verò Deum video & scire, & velle semper, id quod honestius, id quod decentius, id quod famæ suæ est conducibilius. Et enim potest quidquid vult, *omnia namque quæcumque voluit fecit in cælo & in terrâ.* Quid igitur hæreo ? quin id statuo, omnia optimô à Deo facta fuisse modô, eôque qui Dei Sapientiam famamque maximè proclamaret ? *Sua demonstranda cupidissimo.* Psal. 134.

12. Certè æquè facile est Deo serenare cælum quam nubibus obducere ; æquè facile pace totum orbem moderari, quàm bellis infestare ; æquè facile diuitias mihi tribuere, quàm premere paupertate ; eodem stat opere morbis corpus meum affligere, quô valetudinem conseruare ; neque vt me in viuis retineat magis laborandum est Deo, quàm vt è viuorum numero expungat. Cur igitur id iam facit Deus ? certè quia modò mors, modò vita, modò valetudo, modò infirmitas, modò bellum, modò pax, modò serena aura, modò pluuia honori eius propagando prouehendoque, sine vllo dubio est conducibilior. Dubium autem omne tollit quòd sciam *Vniuersa propter semetipsum*, hoc est, propter gloriæ suæ manifestationem *operatum esse Dominum*. Manifestatio autem ista plena atque perfecta, tunc fiet, cùm non *in ænigmate, sed facie ad faciem* sapientissimam illam Mentem, eiusque consilia dabitur intueri.

13. At inquies, culpâ meâ stupiditateque propriâ mihi euenêre plurima, quæ facile fuisset euitare : culpâ meâ pauper sum, culpâ meâ in morbum incidi. Ita sanè sit ; sed vt verbo vnico faciam satis, id scias, illam ipsam quoque quam agnoscis culpam, instrumentum fuisse Deo, quo te bonis tuis exueret, te verò infirmitate hâc opprimeret, quam eô tempore tibi iudicauerat expedire, suæque gloriæ promouendæ maximè conducere.

14. Atque hinc quidem pulcherrima sese praxis ratioque aperit, quâ tam in aduersis, quàm in prosperis gaudere quis possit solidè, sibique gratulari. Arrideant sanè prospera, per me licet ; sed si verô solidòque gaudiô vis repleri, arrideant non adeò, quòd ex voto tibi fluant omnia ; placeant diuitiæ, non adeò, quòd tibi commodæ ; placeat valetudo, non adeò, quòd naturæ grata ; placeant *Hinc deducitur praxis quâ in prosperis solidè gaudeas.*

placeant dignitates, non adeò, quòd clarum te faciant omnibusque conspicuum ; quàm quòd istis te bonis affluere Deo visum fuerit ; adeoque te vsus fuerit tanquam instrumento, quô liberalitatem suam, diuitiasque demonstraret ; te esse per quem suam pulchritudinem, industriam, mentis aciem, misericordiam, cæterasque perfectiones in suâ Diuinitate latentes quasi excudit, prælo exprimit, & tandem manifestam in lucem dat. Nam vt proximo Tractatu dicebamus *Ipse dixit & facta sunt.* Prout te eloquitur, ita es. Psal. 32.

Quæque & in aduersis gaudiũ mentis continuabit.

Gratulare igitur tibi, non quòd ex voto tuo sis id quod es, sed quòd Dei arbitrio orique sis conformis ; qui quidem hoc iam sibi glorioſum esse censuit, suauem, commodam, pulchramque per te, tanquam oris Diuini sobolem, vocem efformare. Et hæc sanè non vulgaris aut è naturâ petita gaudendi ratio est ; Diuina est, supernaturalis est, ideoque firma & inconcussa. Si enim cùm diuitijs abundas, ideò tantùm gaudes, commodè quòd sit tibi ; certè paupertas cùm ingruerit, mutata erit gaudendi ratio, adeoque & mutanda est animi affectio. At verò si hoc tibi placuerit, quòd pro suâ voluntate & arbitrio vocem, quàm voluit, per te Deus efformarit ; sanè tum cùm è dignitate quam obtinuisti, in minorem fueris redactus ordinem, cùm diuitijs exutus, cum valetudine tentatâ conciderit pulchritudo corporis, gratusque vigor emarcuerit, illico dices, Ah ! mutata est vox Dei : rudior est modò, dimissior & asperior. Ita sit, tamen Vox eius est, *Ipse dixit*, & factus sum id quod sum. Certè non minus fistula, si ratione prædita sit, gaudeat, in altos si infletur tonos, quàm si in demissos ; neque si in epitalamicos adhibeatur modulos, quàm si in lugubres lessos efformetur. Idem est os artificis quod applicatur, idem anhelitus qui inspirat tonum, eumque qui placuerit artifici, quemque nomini suo & honori, pro variâ opportunitate locorum & temporum, magis iudicauerit expedire. 15.

Instrumẽtum te crede, per quod Deus suam gloriã manifestat.

Sic prorsus nobis agendum est, si semper gaudere optamus. Non id spectandum est quod sumus, sed per quem. Adeoque congratulandum nobis etiam in asperis, etiam in duris, etiam in humilibus, quòd simus instrumentum gloriæ Dei, hoc est, per quod voluntatem suam mundo manifestat. Igitur in omnibus *sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc vsque in sæculum.* Nomen 16. Psal. 112.

men Domini, hoc est, fama Dei & gloria Dei euulgetur totô prorsus Vniuersô; *ex hoc nunc* id est, ab hôc quô nunc premor morbô, ab hâc quâ nunc premor calamitate, in omnem retro æternitatem. Ah! quanto solatio id fuerit, id si quis secum perpendat, instrumentum sese esse, quô gloriam suam Deus faciat manifestam! & quamuis modò leniter, modò asperè, modò lætè, modò lugubriter, modò clarè, modò obscurè, modò altè, modò demissè inflet; semper tamen modulatur, prout gloriæ suæ declarandæ maximè sciuit conuenire.

17. Atque inde mentis nostræ quies turbatur, quod finem hunc, quem sibi Deus proposuit, non agnoscimus, sed potiùs interuertimus. Eodem in opere spectat Deus gloriam suam, tu commodum tuum, tu gloriam tuam, tu dignitatem tuam; omnia adeô ad proprios, tibique à te ipso præscriptos fines deriuantur. Ergo quid mirùm si turbentur omnia? in alia prorsus abitis, Tu & Deus, in diuersa funem trahitis. *Quis autem restitit ei, & pacem habuit?* quis vector pacem habuit qui nauclerum non sequitur, aliumque quam ipse atque aliò trahit funem? certè pacem habiturus es nunquam, nisi hoc tibi placuerit, quod summo machinæ totius placuit Magistro. Commodo tuo studet, sic tamen vt non negligat gloriam suam. Vtrum tu præferendum iudicas? An non bona, sancta, & iusta est Dei voluntas, nisi quando tibi fuerit commoda & iucunda? aut tu vis Deum velle, sibi id honori vt ducat, quod tibi maximè est commodum? Audi Augustinum, *Voluntas Dei est aliquando vt sanus sis, aliquando vt ægrotes: si quando sanus es, dulcis est voluntas Dei, quando autem ægrotas, amara; non es recto corde, quia non vis voluntatem tuam ad Dei dirigere voluntatem, sed contra.* Quod sanè prorsus est absurdum. Sanctissimæ autem Voluntati Dei si tuam interponis, imò & opponis, iam non te finem à Deo sibi præstitutum, sed propria nescio quæ emolumenta sectari, manifestum est. Illud enim indubitatum est, vltimum & quò tandem diriguntur omnia, esse manifestationem Gloriæ Dei.

Neque tu modũ manifestandæ gloriæ Deo præscribe.

Iob 9.

Aug. in psal. 35.

§. III.

§. III.

Hinc ostenditur, bene à Deo peccata permitti. Primò quidem quia glorioſius Deo; à creaturâ libero arbitrio præditâ, liberè, quàm ab aliis neceſſitate ſibi obediri.

Obiicitur multa mala eſſe in mundo & præſertim peccata, quæ non ſint ex gloriâ Dei.

HÆc ſi itaprorſus ſint, inquies, glorioſumque ſe in omnibus præbere deſideret Magnus Deus, cur igitur tanta mala orbem hunc occupant? an hoc directori omnium poteſt eſſe honorificum? morbos, venena, rerum interitus, certè mala videntur eſſe, aut ſaltem non adeò bona, vt quis de iis à ſe inuectis gloriari meritò poſſit. neque verò in cæleſtem patriam ea admittentur, quòd ſaltem non ſint bona. Adde; quis rectè adminiſtrari iudicet hanc Rempublicam, in quâ peſſimo cuique ad ſummas dignitates, diuitiaſque pateat via, probis occludatur? cur illi diuites qui diuitiis ſunt abuſuri; hi egeni, quibus pecuniæ, virtutis liberalitatiſque futura eſſet materia? Denique ſi gloriam ſuam ſpectat Deus, ſanè glorioſum non eſt, paſſim imperia eius excuti, peſſumdari, violari; niſi quis etiam dicere voluerit, homicidia, adulteria, blaſphemias, idololatriam, veneficia, atque his peiora, ad gloriam illius conducere, qui nullô negotiô tanta ſcelera poterat euitare. id ſi ita ſit, melius certè eſt peccata eſſe, quàm non eſſe; atque adeò non peccat qui peccat, facit enim id, quod eſſe melius eſt. 18.

Oſtenditur melius fuiſſe ad manifeſtationē Gloriæ Dei permitti peccata.

Multa hîc ſimul congeruntur, quæ paulatim enodabimus. Vltimum nunc, quodque Diuinæ Prouidentiæ oſores maximè ſemper vrgent, iam aggredior. Et vt reſponſio ſit manifeſtior, illud iam moneo, longè aliam eſſe quæſtionem, meliuſne ſit, in rerum naturâ eſſe ſcelera aut non eſſe, aliam verò, meliuſne ſit permitti ſcelera nec impediri, an neutiquam permitti. Certum id eſt, melius fore Vniuerſo, ſi nulla fuerint omnino peccata, nec quidquam quod æternæ legi obſtrepat; at verò id etiam certum eſſe aio, meliùs æterno legiſlatori fuiſſe, peccata permittere, nec omnimodis cauiſſe, ne legi ſuæ contraeuenire quiſquam poſſet. Hoc quidem ſic fiet manifeſtum. 19.

Ratio prima eſt quia

Primò enim, ad Gloriam Dei conducibilius fuiſſe aio, creaturam 20.

turam aliquam inter corporeas (puta hominem producere, quæ libero prædita arbitrio, posset agere quod præcipitur vel non agere, obedire Deo, aut si vellet imperia detrectare: ac proinde quæ peccare si vellet, posset; posset nihilominus etiam non peccare. Hoc si planum fecero, etiam glorioſius esse Deo peccata permitti, fiet illico manifestum. Iam verò, non id ex eo probo capite, quòd longè optabilius sit homini ipsi, libero præditum esse arbitrio, ac proinde peccare posse, quàm si omnis peccandi facultas ei prorsus fuisset adempta. benefaciendi namque necessitas, & malè agere non posse, vt summum, feliciorem fortasse fecisset hominem, meliorem autem nullo modo, nec verò etiam meriti alicuius laudisque capacem. Nulla enim laus ex eo promanat opere, quod necessitas exprimit: neque quidquam honoris præmiique meretur Sol, quantumcumque magnis quos exhaurit quotidie laboribus; quia quod agit, sic agit, vt id non agere minimè possit. itaque nihil laboribus illis debetur; non enim tam agit quàm agitur. Laude verò tantùm dignus est is, *Qui potuit transgredi & non est transgressus, facere mala & non fecit.* Eccl 31. *Quis est hic & laudabimus eum; fecit enim mirabilia in vitâ suâ;* vt apud omnes in comperto est. Melius itaque homini est posse peccare & non peccare, quàm tantummodo peccare non posse. Verùm, cùm iam non quid homini melius sit, sed quid Deo ipsi glorioſius sit spectem, hanc in alium locum differo disputationem. Istud iam agendum est.

glorioſius est Deo, obsequium ei præstitũ à creaturâ quæ libero arbitrio, quàm quæ necessitate ei inseruit.

18.

19.

20.

21. Nemo certè id mihi negauerit, multo glorioſius esse, Principem obsequio suo libero homines habere addictos, qui sponte suâ, Principique placendi studiô eum comitentur, eius imperia nutusque excipiant, quàm si non nisi mancipiis stipatus in publicum prodeat, iisque adhuc ferro colligatis, ne si Principis latera nolint claudere, obsequium tamen debitum detrectare non possint. Atqui mancipia quæ suos nutus, non voluntate, sed necessitate obseruarent, habebat Deus infinita; omnes videlicet ratione carentes creaturas. Sic sanè Sol, Luna, Cælorum Terræque orbes *Faciunt verbum eius*, fateor, sed necessitate compellente faciunt. Ab eiusmodi ergo mancipiis satis superque prospectum cum esset Diuinæ aulæ, an non id etiam Maiestati tantæ debebatur, vt eos haberet subditos, qui sibi sponte suâ voluntariè se suaque subiicerent? Ita planè. Quod si id est, iam certè

esse euidens, honestiùs longè Deo fuisse Angelos, homines que creari liberô prorsus præditos arbitriô, quique se Deo subdere si vellent, possent, possent etiam nolle se subdere. horum enim obsequium liberum cum sit, longè ei cui præstatur, est honestius, quàm quòd ab inuito per vim, aut etiam necessitate à ratione carentibus creaturis exprimitur.

22. Alterum est, quod præclarè vrget Augustinus his verbis. *Quibus autem videtur sic hominem fieri debuisse vt peccare nollet, non eis displiceat sic esse factum, vt non posset peccare si nollet. Numquid enim si melior esset, qui non posset peccare, ideo non bene factus est, qui posset & non peccare? Aut verò vsque adeo despiendum est, vt homo videat melius aliquid fieri debuisse, & hoc Deum vidisse non putet: aut putet vidisse, & hoc Deum facere noluisse: aut voluisse quidem, sed minimè potuisse? Auertat hoc Deus à cordibus piorum.* Expendenda hîc verò sunt ea Augustini verba *Qui posset & non peccare.* Si enim sic creatus homo esset, vt non posset non peccare, procul dubio peccata commissa non homini, sed hominis conditori verterentur vitio & dedecori. Iam verò ab eo perpetrantur, qui cùm peccat, *possit & non peccare*: id sanè non ex Dei mente fit, sed ex peruersitate eius, qui licet malè, liberè tamen prô suô peccat arbitrio. talem verò condi hominem melius erat, quia Deo glorioſius talem sibi obsequi, qui excutere quæ posset, non inuitus accipit imperia, & libens paret.

D. Aug. l. 2. contra aduersariũ legis c. 14.

23. Tamen demus id sanè, melius futurum homini, peccare si non posset; an idcirco melius est illico, non esse in rerum naturâ hominem peccare qui posset? Sit sanè aurum argento præstantius; an hinc rectè concludes tu, melius fore si argentum non esset? an non conducibilius est & aurum esse, & argentum naturæ non deesse? aut quia argento aurum est pretioſius, idcirco argentum credis aurum quoque fieri debuisse? Id sanè non dixeris nisi valdè abs re. Nam hoc si dederis, in promptu est quod reponam; dicam enim & ferrum, argento vilius, in auri massas debuisse conformari: neque minus verè terram omnem, aquas, aëremque, non nisi solidum auri corpus esse debuisse, quia his omnibus melius est aurum. Quis verò id dicet, nisi cui natura ipsa exosa est, quique interitum optat orbis vniuersi? Aliud igitur est asserere aurum præstare argento, & illud hôc esse melius, aliud verò melius esse argentum non esse. Aliud quoque est hominem

saltem

saltem aliquem, meliorem fore qui peccare non posset; aliud planè, melius non esse, hominem existere qui peccare cum possit, possit etiam non peccare.

24. Acutè rem hanc vrget Augustinus, obtrectatoribusque occludit os. *Cum æquare volunt genera bonorum*, inquit, *numerum minuunt; & immoderatè augendo vnum genus, alterum tollunt. Quis enim hoc audiret, si diceret, quoniam excellentior est sensus videndi quam audiendi, quatuor essent oculi, & aures non essent? Ita si excellentior est creatura quæ Deo subditur .... quis rectè intelligens dicat, talis esset ista qualis illa: nec videat se nihil aliud dicere, quam non esset ista, sed solum esset illa?* Præclarè hæc vt solet Augustinus. Enimuerò, vt nobilissimum corporis membrum oculus sit, auribusque longè excellentius, quis tamen rectè dixerit, non melius esse corpori ab auribus simul & ab oculis, quàm si sine illis, quatuor oculos circumferret? nam si hoc vrges; vrgebo & ego, omnia corporis membra adeoque corpus totum quantum est, non nisi oculum esse debuisse; quod nimis profectò est absonum: cum id satis constet, humani corporis admirandum artificium, ex tantâ membrorum diuersitate, & mutuâ coniunctione existere.

D. Aug. lib. de Gen ad lit c 8.

25. Neque vero de magno mundo aliter quam de microcosmo philosophandum est. Certè tanta creaturarum varietas, artificis industriam, artem, maiestatemque maximè commendat. Hæc verò inter cæteras præstantissima est diuersitas, quod tam varia, modisq; tam variis, Diuinitati à creaturis præstentur obsequia. Ab inanimatis enim & ratione carentibus, necessariò; à dæmonibus & supplicio æterno damnatis, quasi à reluctantibus mancipiis per vim coactionemque dum seruitur; ab Angelis felicibusque animabus, vtpote in gratiâ confirmatis voluntariâ quidem agnitione adoratur, sic tamen vt peccare non possint: ab Homine denique in terris constituto, eius imperia legesque sic obseruantur, vt ea nihilominus libero vndequaque arbitrio possit excutere, obedientiamque denegare. An non hæc præclara sanè, glorioſaque magno Deo, sibi deseruientium est varietas? an non ea Maiestatis est euidens illustrisque commendatio?

Quatuor creaturarũ diuersis modis Deo obsequentium genera.

26. Quod si ita est, varietatem hanc nè tollat, numerumque ne minuat, vt rectè Augustinus, dum genus alterum sibi deseruientium auget; necesse fuit peccata permittere: ne dum libero

vim infert arbitrio, & naturam mutet, & gloriam sibi adimat, quam ei dat liberè deseruientium species & multitudo. *Quamobrem* vt D. Dyonisij verbis vtar, *vanum sermonem plurimorum nequaquam approbamus, qui aiunt Diuinam Prouidentiam, nos vel inuitos ad virtutem debere impellere. Nam non est Prouidentiæ, naturam violare. Quamobrem tanquam Prouidentia, quæ naturæ cuiusque conseruatrix sit, libero motu præditis vt liberè se mouentibus, & vniuersis ac singulis modo quodam vniuerso ac cuilibet proprio, prospicit (in quantum eorum quibus prouidetur natura capit) vniuersæ atque omnigenæ Prouidentiæ beneficia, quæ cuiq; pro captu suo dantur*: ita ille. D.Dyon. l. de Diu. nom. c 4.

Atque hinc ad secundam propositæ veritatis demonstrationem gradum facimus. Nam præterquam quòd glorioſius Deo sit, creaturas esse peccare quæ possent, vti euidenter ostendimus; istud adhuc longè profectò glorioſius, quòd quemlibet hominem suæ relinquens naturæ & arbitrio, & verò etiam peccata sceleraque sic quasi tacitus permittens, ijs ipsis tamen summâ dexteritate vtatur gloriæ suæ studioſus Deus, vt præstitutum sibi scopum assequatur, maiorem videlicet gloriæ suæ, nominisque manifestationem. Sic nempe summa nauicularię artis est, non quòd nauis gubernator, ventos pro suo libitu componat, septentrionalemque meridionali mutet pro vt res fert & necessitas; hoc enim non est nauclerum agere: sed ventis vti, prout indito sibi feruntur impetu, velaque velificationi obtendere, sic vt aduerso etiam vento cursum sibi præstitutum promoueat, hæc demum naucleri gloria est, quæ tota in artis suæ manifestatione exercitioque consistit. 27.

§. IV.

Deinde glorioſius est Deo, peccata permitti: quia per ea ipsa gloriam suam amplificat, ostendendo nimirum longè plures perfectiones suas, quam si peccata nulla fuissent, aut esse potuissent.

Secunda ratio, quia peccato vsus est

MAgnus sese hîc mihi aperit dicendi campus. Stringenda tamen erit oratio, ne diffluat. Verùm id quidem est, posse Deum, vt rerum omnium conditorem & arbitrum, naturæ legem 28.

legem ponere, eamque inflectere, innouare, atque etiam inuertere. Ignis vt madefaciat, caloreque vt aqua absumat omnia, hoc verò in eius manu est, fateor. At illud etiam video, quòd cùm summa Dei vt creatoris laus sit, omnia condidisse prout sunt, diuersitatemque tam variam rebus induxisse; certe non minorem esse laudem ea conseruare quæ rectè facta sunt; summam verò artem esse gloriamque Directoris Dei, naturâ non immutatâ aut refractâ rectè debitèque vti. *Deus, vt benefaceret homini.*

29. Fateor itaque nihil obstitisse quô-minus hominem crearet Deus, qui prorsus peccare non posset. Verùm tum non hanc naturam humanam condidisset, non hâc, inquam, arbitrij quâ nunc pollet libertate præditam. Et tamen hanc esse voluit; hanc certè condidit, & quidem quòd hanc rationibus suis, hoc est, gloriæ prout modò ostensum est, iudicauerit expedire. Liberam ergo naturam humanam conseruet necesse est, ne pœnitudine quasi ductus, creationis primæ videatur opera retractare. At verò, id etiam ei qui summè bonus est incumbit, mala cùm sint peccata, ita hominis actiones instituere, vt licet possit, tamen liberè non peccet; aut si peccat liberè quidem sed malè, malis ipsis benè vti.

30. En modò, vt vtrumque præstiterit sapiens & misericors Deus. Infirmitatem naturæ, præsertim iam corruptæ, exhortationibus interniſque afflatibus firmat; minis propositis, conscientiæque stimulis audaciam comprimit, & deterret à scelere; præmijs longè maximis ad obsequium sibi præstandum allicit; interiores etiam gratias, quæ supra naturam cum sunt, naturæ tamen ægritudini medentur, summâ liberalitate omnibus singuliſque distribuit & peractis omnibus, *relinquit hominem in manu consilij sui*, vt agat prout vult, rectè an perperam, id quidem in manu eius est. Eccl. 1. Tract 4. & 5.

31. Verùm cùm in tertiô quem exposui sapientiæ suæ volumine, *conditionalium* inquam *Scientiâ*, illud certò cognouisset, hominem *si in manu consilij sui relinqueretur*, pessima initurum consilia; & verò etiam in secundô, *Scientiâ* nempe *Visionis*, nequidquam homini tot præstita beneficia, nequidquam tot gratias fuisse impensas videret; quin etiam scelera per summam impudentiam, effrenemque libertatem peracta & perpetrata iam aspiceret; tum verò omnes Diuinæ Mentis contraxit neruos (sit verbo

verbo venia) vt ea ipsa scelera per summam iniuriam contra se commissa, præter rebellantis naturæ opinionem, in summam sui nominis cederent æstimationem & gloriam.

Rideo itaque Diuinæ Prouidentiæ obtrectantium cauillos & dicteria, quasi peccata quòd permittantur, Deo vitio verti possit; cum nusquam magis Diuinæ Prouidentiæ ratio & sibi constet, & verò etiam fiat manifesta, quàm cùm per scelera & per summum nefas impetita Dei gloria, ab ipsis quibus impetitur sceleribus, sumpserit incrementa. Hæc artis summa est, hæc summa gloriæ, gloriæ suæ per contraria velificari. Nam vt disertè vereque Augustinus: *Non enim Deus omnipotens (quod etiam infideles fatentur, rerum cui summa potestas) cum summè bonus sit, vllo modo sineret mali esse aliquid in operibus suis, nisi vsque adeo esset omnipotens & bonus, vt bene faceret etiam de malo.* 32. D Aug. Enchir. c.10.&11.

Omnipotens cum esset, quid ni peccatis potuisset intercedere, eaque præcidere? quid ni præstare posset, peccare homo vt minime posset? Verùm hoc non erat Prouidentiæ, quam rectè, vt vidimus, D. Dyonisius vocat *Naturæ cuiusque conseruatricem.* Libertatem hanc, quam obtinet homo vt peccare possit, tollere, non est naturam gubernare, sed destruere: naturam verò destruere, Omnipotentiæ id quidem opus est, non Prouidentiæ. Videte nunc igitur Prouidentiam Omnipotentis Dei, qui quod destruendum non esse rectè statuit, statuit id esse rectè ordinandum. Cum enim peruersas hominum mentes voluntatesque quasi ventos aduersos cerneret contra se insurgere; vt peritissimus Gubernator, naturæ cum statuisset nullam inferre vim, vela obliquat, proram obtorquet; hoc est, omnia Diuinæ Sapientiæ suæ decreta sic ordinat, flectit & inflectit, vt ea ipsa rebellantis naturæ peruersitas, gloriæ suæ promouendæ prorsus inseruiat. Et sic, vt rectè Augustinus, *Propterea Diuinæ Prouidentiæ ista dispositio tribuenda est; non quia peccatores facit, sed quia ipsa ordinat cum peccauerint.* Ordinat igitur quæ permittit peccata Deus. Verùm quem in finem ordinat? certè ad ostensionem gloriæ suæ, & quòd magis mirêre, ad maius etiam peccatorum bonum. Vtrumque sic expedio. 33. D.Aug in Psal. 7.

Ratione peccati decreta est mors Christi.

Primò namque, simul-atque peccata visa sunt exsurgere, quibus Diuina Majestas nimiumquantùm erat irritanda, illico Dei misericordia excitata est, tum ad satisfaciendum Iustitiæ secundùm 34.

dùm omnem iuris rigorem, quod procul dubio irritata Majestas exigebat ; tum etiam ad parandam commodissimam humano generi per peccatum lapso medicinam. Cùm verò omnibus Sapientiæ suæ euolutis libris, commodiorem modum non inueniret, quàm si Filius Dei homo fieret, Incarnatio ipsa tandem præuiso peccato decreta est, prout probabilior Theologorum fert sententia ; Sanctissima Virgo decernitur futura Mater ; & vt tanto Filio foret digna, ab originali labe eximitur : statuitur mors Christi, exhibentur merita morientis Dei, expenditur ad Phil. 2. obedientia per quam factus *est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis* ; Christi merita, satisfaciendo peccato oblata, acceptantur ab irato Deo : moritur ergo Homo-Deus, seque holocausti instar totum subiicit, offert atque immolat in arâ crucis innocens victima ; atque hôc pactô maior longè ad gloriam Dei per peccatum facta est accessio, quàm si numquam peccasset temerarius Adam. Illud enim certum est, maioris meriti, gratiosioremque apud Deum Patrem fuisse solum illum actum vltimum & vnicum, quo sese illi subiecit moriens Christus, quàm omnia omnium hominum Angelorumque totâ æternitate futura obsequia, simul sumpta, & in vnicam contracta actionem. Neque rursus omnia omnium hominum scelera, tantam iniuriam Deo Patri inferre potuerunt, quantùm gloriæ is vnicus, pro peccato morientis Christi actus offenso Deo attulit. En vt per iniurias, suam gloriam Deus non repararit modò, sed & auxerit. Neque tamen idcirco dicas benefeciſſe Adamum peccando : præuaricator fuit, iniurius fuit, & rebellis : sed felicitatis nostræ fuit, in talem Deum quòd inciderit, qui vt præclarissimè Augustinus, Aug. sup. *non sineret esse mali aliquid, nisi vsque adeò esset omnipotens & bonus, vt sciret bene facere etiam de malo.* Neque vulnus ideo malum esse desinit, quod in peritum medicum læsus inciderit, facilemque medicinam.

sti, quâ nihil o mquã glorioſius Deo Patri fuit.

35. *Deinde* si gloria Dei in eo posita est, vt perfectiones suas mundo manifestet ; nihil enim aliud est gloria, quam clara cum laude notitia, vt rectè cum Philosopho D. Thomas ; certè præclarissimas perfectiones, attributaque celeberrima Deus fecit manifesta, occasione ex peccatis sumptâ, quæ tamen si homo peccare non potuisset, aut numquam si peccasset, mundo commendare minimè potuisset.

Ratione peccati plura attributa Dei manifestata sunt mundo.

Primò

Primò enim mandata ferendo, & hominibus dicendo ius, 36.
ostendit Legislatorem summum esse se, penes quem omne ius, omne imperium; & cui fas sit mandare, statuere, prohibere, aut etiam licitum facere & permittere cuncta pro arbitrio. Certè Legislatoris partes agere non potuisset, si non is fuisset homo, parere qui posset & non parere, atque adeò peccare si vellet posset, & si nollet posset etiam non peccare. Quæ enim leges ferri, aut quæ mandata dari possunt saxo & lapidi, si legem strictè accipias, & non per metaphoram aut accommodationem?

Secundò Iustitiam Deus ostendit; vindicatiuam quidem, cùm 37.
nocentes punit, Commutatiuam autem cùm bene merentibus præmia elargitur. At verò, quid tandem puniendum erit, vbi nemo poterit peccare aut legem infringere? & quæ præmia erunt danda, vbi ea mereri nemo poterit? aut quomodo quis merebitur, vbi ita productus est, vt non possit non agere quod vult Deus? An Solem quidquam mereri, iure quis dixerit?

Tertiò vt strictim multa dicam, infinitam ostendit Longani- 38.
mitatem & Patientiam toties offensus Deus, cum non illico rebellem hominem castigat & perimit; Mansuetudinem, cum eum sceleris commissi admonet, & ad reconciliationem ineundam etiam inuitat; Misericordiam, cum toties tamque liberaliter scelus fatenti ignoscit; Amorem infinitum, cum inimicos etiam, sibique tam iniurios vltrò complectitur: sic vt longè amabiliorem humano generi se præstiterit, postquam ab eô tam grauiter & tam pudendis modis est offensus. Hæc omnia, tam Diuina tamen, Deoque tam glorioſa attributa, in ipsâ Diuinitate latere debuissent, nisi peccata hominum, ea ipsis etiam feciſſent peccatoribus manifesta. Taceo nunc Passionis Dominicæ emolumenta longè maxima, gratiarum augmentum, imò & ipsius Beatitudinis, quæ multò iam maior erit, multò excellentior, multò etiam Christo glorioſior, quam si peccata numquam fuissent, aut Christus non propter peccata, sed ad gloriam cælestem homini promerendam, Adamo non peccante (quod quidam facturum sentiunt Theologi) carnis nostræ mortalitatem induisset. Ecce, vt Sapiens Deus per ipsa peccata Gloriam suam extenderit, & benè sciuerit facere etiam ex malo, malum benè permittens, quod rectè nouerat ordinare.

§. V.

§. V.

Melius est peccata à Deo permitti, quia Deus iis vtitur etiam ad bonum & vtilitatem hominum, quæ summa Dei ars est & gloria.

39. QVid, quòd Deus peccata sceleraque, quod secundô locô dicendum erat, etiam ad maius hominum detorquere nouit bonum, vt rectè Diuus asserit Dyonisius? *Quin etiam ijs qui mali euaserunt, ad ipsorum aut aliorum priuatam vel communem vtilitatem Prouidentia benignè vtitur.* Ita ille, & sanè rectissimè. Certè plurimis ad sanctitatis augmentum, peccasse profuit. Ex perpetrato enim scelere, maximo Dei dono, maiorem concipiunt fragilitatis suæ notitiam, impotentiæ agnitionem, maiorem tandem submissionem mentis, nimium ante hac efferæ & superbæ. Rursus, teneriori feruntur amore erga Deum, cuius benignissima viscera, misericordiamque sunt experti. Neque verò dubitandum est, quin lapsus licèt grauissimus negantis Petri & Magdalenæ dissoluti mores, maioris fuerint sanctitatis exordia, amorisque erga tam benignum Dominum incitamenta; cuius erga se charitatem tam eximiam, tamque supra id quod sperari poterat excellentem, numquam nisi peccassent, fuerant experturi. Et hæc quidem & alia multitudine infinita, per peccatum, homini scelerum pœnitenti, procurat Deus.

D. Dyon. sup.

Peccata multis causa sunt maioris sanctitatis.

40. At verò si præfractè iis inhæreat peccator, neque resipiscat; tum verò Iustitiæ ostentandæ erit materies, vel supplicijs deuotus æternis, vel etiam in hoc mundo iustitiæ exempla mortalibus daturus, si summo sic visum fuerit Legislatori. Et sic Prouidentiæ omnia benè dirigentis ordinem peccator non effugiet, semper futurus mortalibus terror, vt supplicijs resipiscant alienis, ne in manus Iudicis & vindicis incidant, quem Legislatorem non sint reueriti & contempserint.

Sunt obiectum Iustitiæ Diuinæ.

41. Denique prospiciens Deus, quod nec bonitate quam hominibus præstat, nec suppliciis etiam alienis, permouenda foret præfracta multorum hominum malitia & impudentia; mirâ sanè industriâ & consilio prorsus Diuino, eâ ipsâ vtitur vt quod ipsis nocet ad supplicium, alijs saltem prosit ad virtutis sanctitatisque

Sunt occasio multarum virtutum exercendarũ.

tatisque eximium incrementum. Infinitam enim subministrant bonis iustisque virtutum exercendarum segetem maleuolorum scelera, quarum sine malitiâ alienâ, nulla aut tenuis admodum fuisset copia. Res in confesso est. Si scelera non permisisset Deus, qui tandem in orbe fuissent tyranni? admodùm nullus. Certè iam innumeris Ecclesia triumphans caruisset Martyrum præclarissimorum agminibus, quorum sanguis & vulnera, nihil aliud sunt quam Ecclesiæ trophea & triumphi. Quid, quod si desint scelera, ne Christo quidem mors vmquam fuisset illata, triumphorum omnium basis & origo?

42. En vt in omnibus gloriæ suæ, suorumque vtilitati promouendæ inuigilet industrius Deus! Peruersitatem peccatorum, non vult, execratur quin imò & detestatur. At cum obtigerint, illis vtitur, & in bonum alterius dirigit, quod ab altero peccatur, Vbi nunc forent merita Stephani, vbi palmæ Laurentij, vbi infinitorum Martyrum coronæ, si non sint perfidi Iudæi, si Nerones, Diocletianos, alioſque Barbaros tyrannos non ferat effera imperandi cupiditas? Vbi Virginum constantia, si nulla sit perditorum hominum libido? Vbi inuicta infinitorum hominum patientia, si nemo iniurius, qui eam exerceat, nullus qui calumniam ingerat, nullus qui famam contra fas attrectet, nullus qui bona iniustus inuadat, nullus qui citra ius imperet, nullus qui fastuosè nimium dominetur? Certè præcisa est infinita virtuti materies, maximaque Deo gloria subtrahitur, quam ex virtutum heroicarum actibus, à suis clientibus per tot fastidia generosè exercitis, consequetur, dum eius obsequio tantâ constantiâ inhæretur.

43. Fatere tandem ô homo quisquis es, quique de rectâ Dei Prouidentiâ siniſtri quid suspicabare, nullam te querimonijs tuis rationem posse obtendere; neque quidquam tibi stomachum mouere posse, eorum quæ malè toto passim geruntur orbe; ne peccata quidem maxima permitti, dolere debere te; fruſtraque esse honorem iniuriamúe Dei, dolori tuo quod prætendas. Nam vt dilucidè sapienterque D. Augustinus, *Deus naturas creat bonitate, & voluntates ordinat potestate; vt in eis nulla sit quæ ab ipso non sit; in voluntatibus autem, nulla bona sit cui non præsit, nulla mala sit quâ bene vti non possit.* Imò, si Augustino quidquam licet adiicere, quâ non bene semper vtatur, vt modò ostensum est. Quod

D. Aug. l. 8 de Gen. ad litt. c. 23.

44. Quod si igitur peccato peccatoribusque succenseas Diuini honoris ductus zelo, rectè id quidem; facis id quod ratio, Deique offensi amor iure exigit. Verùm ne turberis animo, neque te honoris Diuini magis cupidum præsta, quam Deus ipse sit, honoris sui tamen nimiùm quantùm appetens. Patitur ille scelera, patere & tu: si non vindicat, differt vindictam, vt mansuetudine peccatores ad pœnitudinem alliciat, aut vt castiget luculentiùs. De suppliciis sollicitus ne sis, *Mihi vindicta, & ego retribuam*: ita de se, & pro se loquitur Deus ipse. ad Rom. 12.

Itaque & tu peccata aliena tolera, prout ea tolerat Deus.

45. Interim age prout agit Deus. Magnâ cum tranquillitate, vniuersa quæ toto orbe committuntur scelera conspicit, semper immotus, semper quietus. Impedire ea conatur; si hoc non assequitur, scelera patienter fert: semper enim vtcumque res ceciderit, peccet homo an non peccet, videt id rationibus suis obesse minimè posse. Ita prorsûs tibi agendum est. Vt quid enim te modò blasphemiæ in Deum coniectæ, modò furta, modò rapinæ, modò extorta lucra, modò falsimonia, modò homicidia, modò adulteria, modò vagæ libidines, & quæcumque demum commissa tantopere perturbant scelera? quid ex perturbatione illâ percipis vel rei vel spei? Quòd si ea impedire & corrigere in manu tuâ est, age manum appone, sed citra tumultum, citra animi perturbationem. vt quid enim tantopere angeris, si sceleri quod detestaris, modum ponere tibi in promptu est? Quòd si autem ea vel tollere omnino, vel ne serpant longius impedire in te non est; scias ea omnia à Deo permitti ad Gloriæ suæ manifestationem, nihilque à te requiri quàm vt & tranquillus videas, & emendare quæ non possis, feras, quia fert Deus. Omnia suis cursibus moueantur, & prout fiunt fiant.

Et si possis, impedi; imminue, scias ad manifestationem gloriæ suæ à Deo permitti.

46. At verò, inquies, malo meo malus est ille, sceleratus est meo impendio, mea res agitur malè cùm sic agitur: malo meo iniustus est Iudex, malo meo calumnia impingitur. Ain verò vir bone? hoc te vrit? en vt tandem propriâ confessione conuinceris, non honoris Diuini zelô contra scelera te agi, sed proprij commodi appetentiâ. Ea enim permittebat Deus vt exercereris tu, vt magna tibi sese offerret patientiæ materia, quæ quidem in suam gloriam cederet. Vbi nunc Diuinus honor cui tantopere studebas? vbi animi submissio, vbi rerum terrenarum contemptus, aliæque virtutes, quibus excitandis aliena malitia ansam dabat,

Sed vide an nõ magis ex tuo incommodo, quam ex zelo gloriæ Dei, peccatis iraſcaris.

dabat, ideoque à Deo, magno sanè delectu fuerat permissa ? Tibi certè peccauit ille cuius scelera detestaris, hoc est tuo commodo, tuo bono, quantumuis scelestus fuerit malo suo. Aut fortè vis homini liberum eripi arbitrium, libertatemque adimi, in te peccare vt non possit ? Id certè Deus, ne honoris quidem proprij defendendi causâ facit. Quid ergo tibi præstari etiam præ Deo vis? quid tibi arrogas ? aut si nil arrogas, quîd conquereris caussam tibi cum Deo communem esse? Fatere tandem perturbari te, quòd scelera vt scelera intuearis tantùm, & non vt subiecta Diuinæ Prouidentiæ, omnia ad bonum finem dirigentis. Hanc igitur intuere, hanc admirare, hanc adora, eique contemplandæ assuesce, quotiescumque scelera occurrunt, non aliena modò, sed & tua; illudque identidem inclama; verè tu es Deus solus, mirabilis super omnes Deos, qui tam benè prouidus es, & tam prouidè bonus, vt mala nunquam permissurus sis, nisi statueris *Benefacere etiam de malo.*

TRACTA-

TRACTATVS VII.

Penè moti sunt pedes mei, pacem impiorum videns. Existimaui vt cognoscerem hoc, labor est ante me; donec intrem in Sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum. *Psal.* 72.

Ostenditur bona & mala huius mundi, bene dari etiam malis. sic vt nec soli, & omnes mali bona habeant, aut mala; nec etiam omnes & soli boni bonis affluant, aut malis vexentur. Itaque non affligat nos fortuna aliena.

PROOEMIVM.

MAgnum sane tranauimus æquor, illudque difficillimum, maxima, inquam, quæ Diuinæ Prouidentiæ obducendæ opponi poterat nubes, deducta est, & discussa. Scelera Diuino honori adeò non officere, vt etiam illi promouendo fuerint necessaria planum fecimus. Verùm illud adhuc complanandum restat, quod non Ethnicis solummodo Philosophis, sed & Dauidi Prophetisque humanô more philosophantibus, fuit offendiculo. Vt vt sit, non impediantur scelera, permittantur sanè, cùm Dei honor, liberumque id hominis exigat arbitrium. At verò cur quæ sunt scelera, non permittuntur modò, sed & prosperantur? cur flagitiosis opes dantur, ceduntque omnia feliciter? si non omnibus, saltem cur plurimis, imò cur vlli? an hoc non est fouere scelera? Probi vero cur contempti aut depressi, cur rerum indigi, & quidem improborum maleuolentiâ? si non semper, saltem cur plerumque. Quid verò est virtuti officere, si hoc non est. Communissima hæc est morta-

mortalium querimonia, quæque in omnium versatur ore. Cùm enim nemo se non probum æstimet, aut certè non adeò malum; rursum verò cùm nemo tam felix sit, qui sese depressum imò oppressum malis non arbitretur, nemo etiam putat iustè se non conqueri. Iis autem vt os obstruam, ostendam primò, præclarissimis sanè ductum rationibus Deum, sceleratissimos homines felicitate maximâ donasse. Deinde distributionem bonorum, aliter institui non potuisse, quam sic; vt nec impij omnes à felici fortunâ excluderentur, nec boni omnes aduersâ premerentur: sed tam in bonos quàm in malos, bona malaque huius vitæ sors diuideretur promiscuè. Hoc inde demum consecuturus, vt nec alienæ felicitati inuideam, nec verò etiam infelicitate perturber.

§. I.

Quare via impiorum prosperetur, non intelligemus perfectè, nisi in nouissimis eorum. Vt modò acquiescam, sufficit scire me, Deum id sic disponere.

Querela de impiorum felicitate exponitur.

COmmunissimam, maximeque inter cœcos mortales vulgatam, de Diuinâ Prouidentiâ conquerendi materiam aggredior. Mirantur passim homines, suis semper intenti commodis, eccur Deus hominem crearit tam indigum rerum omnium, tot fortunæ casibus expositum, tot miseriis morbisque corporis subiectum, cùm facilè, nulloque negotiô, aut vllô suô incommodô, potuerit hæc aliter condere & ordinare. Quòd si respondero, non sic ab initio conditum hominem; peccatum primi Parentis interceſſisse, primamque ordinationem interturbasse; ac proinde miserias omnes, fructus esse pœnasque peccatis debitas; hoc inquam si reposuero, tum verò velut agmine facto, Critici illi Diuinæ Prouidentiæ Censores inuolabunt in me, illudque tritum toties ob os obtrudent; cur si miseriæ, peccatorum pœnæ sint, sceleſtissimus quisque extra miserias positus, bonis abundet, dignitatibus turgeat, vitamq; agat prorsus feliciter? Quid quod & Prophetæ Hieremiæ sit ista querimonia? *Quare*, inquit, *via impiorum prosperatur*? an vt foueatur impietas? Neque hoc tantum; sed sint sanè felices, sint diuites, sint potentes: verùm cur

1.

Hier. 12.

cur id permittit Deus, vt potentiâ suâ bonos opprimant, expolient, pessumdent; quasi verò felicibus esse non detur, nisi per iustorum calamitates & ruinam. Hoccine est iustum esse, iustitiæque ordinem obseruare! Ægrè ferebat id vel ipse Habacuc: Heb. 1. idcirco querelas hominum modestè Deo referens: *Quare* inquit *respicis super iniqua agentes, & taces deuorante impio iustiorem se?* id certè non videtur tolerabile. Castigare scelestos deberet Deus; quod si nolit, saltem fauorem bonis subtractum, indecens est impiis impendere; quasi verò pro scelestâ vitâ mercedem præmiaque reportarent. Quæ demum hæc Dei est gloria, quæ Prouidentia, præmiis animare scelera? quæ iustitia, miseriis vltro ingestis, virtutis studiosos exanimare, & sic virtutem tandem tollere?

2. Querelas, imò injurias, quas in Deum congeris, audio Censor importune: iniurias non libet reponere. Tamen cum Epicteto *Ego Deum apud homines defendam.* Ac imprimis, cùm Dei Majestatem voces tuæ impetant, certè à Deo hæc omnia prouenire & disponi in hunc ordinem, fatearis necesse est. Procul dubio inquis, nam hoc est, de Deo quod queror. At verò, hæc ipsa, & quidem sola ratio sufficit, vt hæc omnia quietus videam, & tranquillus patiar. Si enim hæc à Deo facta est rerum distributio, certè facta quia voluit. *Omnia enim quæcumque voluit, fecit,* neque voluit quicquam nisi de industriâ. Quod si voluit, illico iustum est quod fecit. Idem enim est iustum quid esse, & id velle Deum, vt rectè D. Cyprianus *Cuius voluntas,* inquit, *sola, & vera iustitia est.* Cypr. l. de Singul. Cleric.

His refellendis sufficere deberet hæc à Deo sic ordinari.

3. An verò sim ego vsque adeo impudens, vt Iustitiæ Diuinæ rationes sigillatim mihi exponi postulem, aut iustum id esse negem iudicium, cuius momenta omnia arbiter ego non discussero & approbaro? Enim verò quis eò dementiæ prouehatur, vt causas omnes in supremo Regni Concilio diiudicatas, sibi exhibendas esse proclamet: neque iustam esse sententiam, nisi quæ sibi discussis omnibus riteque expensis, plenè fuerit comprobata? an non is risum moueat modestè agentibus, Senatoribus autem stomachum? certè vt parùm dicant, illud tamen magnâ ratione ingerent, *Quis te constituit iudicem super nos*, & quidem auctoritate publicâ sententiis ferendis præpositos! Hoc certè tibi longè potiori iure sanctissimæ Trinitatis aula opponet quisquis

es,

es, *quis te constituit Judicem super nos?*

Ordinationis huius iustitiam, in die Iudicij videbimus.

Et verò, an illud oblitus es modò, id quod modò expoſui, non esse nos eô ingenij acumine, diuinorum decretorum rationes percipere qui possimus, nisi omnium omnino rerum circumstantiarumque complexus euoluantur? & hos mente tam infirmâ circumplecti quî possis? Acquiesce tandem, Mortalis, quisquis es, & debilitatem tuam agnosce, tempus aperiet omnia; illud nempe, diiudicando orbi præstitutum. Nunc certè patiendi tempus est emendare quæ non possis, tunc erit iudicandi. Et quod præclarè monet Augustinus, *De hôc quoque manifestabimur, quàm iusto iudicio fiat, vt nunc tam multa, ac pene omnia iusta iudicia Dei, sensus mentesque mortalium lateant: cum tamen in hâc re, piorum fidem non lateat, iustum esse quod latet.* Adde, & iustum esse quod lateat. Neque enim præclaram hanc Augustini sententiam sic tantùm intelligendam esse video, quasi si id velit enuntiare solummodo, nos in claro extremi iudicii die, cum manifestabuntur vniuersa, rationes omnium decretorum Dei liquidò percepturos, ad quas nunc cœcutimus: verùm & illud etiam luce clariùs nos visuros asserо, benè iustâque Dei ordinatione factum fuisse, vt rationes illæ nos laterent modò, oculisque nostris subtraherentur; idque vnicum debuisse nobis nunc sufficere, iustum esse quod fit. 4. Aug. l. de Ciu. c. 2.

Interim humanis rationibus hæc nō sunt expendenda sed Diuinis.

Cæterùm, si humanarum rationum trutinâ rem expendimus, illud sanè cum Augustino fateri cogemur. *Ante faciem meam laborem inextricabilem video, vt cognoscam quomodo iustus sit Deus, & res humanas curet; & non sit iniquus, quòd peccantes & scelera facientes, felicitatem habent in hâc terrâ; pij verò tentationibus plerumque & in laboribus fatigantur. Magna difficultas est hoc scire.* Neque mirum quod Augustino difficilis visa sit hæc res. Certè de se, hâc cogitatione perculso fatetur Dauid ipse, *Penè moti sunt pedes mei, pacem peccatorum videns. Et labor est ante me, donec intrem in Sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum.* Fateor itaque cum Augustino, inextricabilem esse laborem, scire quomodo iustus sit Deus; & rursus quod *magna difficultas est hoc scire.* Verùm id etiam video, nullam difficultatem esse, hoc nolle scire; nulliusque laboris esse, iustum esse credere, quod ignoro, quomodo iustum sit. Nulla mihi iam indagandarum rationum incumbit necessitas: intelligam id penitus *in nouissimis eorum* 5. Aug. in Psal. 72. Psal. 72.

eorum, cum intromissus fuero in Sanctuarium Dei, vbi caussam suam coram toto orbe acturus, & euicturus est iustus Deus: isthic videbo, planeque perspiciam. Iustum fuisse quod nunc facit; meum iam est, id quod rationis lumine clarè conuictus iudicabo; cœcè nunc, sed piè credere. Hoc Christianum est, hoc mentis Deo subditæ & deuotæ.

§. II.

Felicitate impiorum vtitur Deus, vt nos magis in Fide confirmet, præsertim Resurrectionis & vitæ æternæ.

6. VErùm, simulatque oculos mentis, ratiocinationibus humanis hâc in parte conquirendis occludo, Deus bone, quanta sese offert supernaturalis lux, quâ ingentes prorsus, diuinasque rationes discerno, quibus felicitatem impiorum rectè à Deo procurari, euidenter videam, planissimeque dijudicem? Ac imprimis istud illico occurrit, sceleratorum prosperitatem, ingentem esse confirmationem fidei meæ: liquidò enim video, aliam necessariò debere esse posthàc vitam, præter hanc miseram quam nunc viuimus, vel potius infeliciter trahimus. Docet id me primò Clemens Romanus Pontifex. *Hoc ipsum inquit, quòd in præsenti vitâ non redditur vnicuique pro actibus suis, indubitabilem fidem facit scientibus, quod iudicium erit*: & verò ratio id euincit manifestè. Etenim Deo imputas, quereriſque fortunati quod sunt pessimi: Deum itaque esse fateris tu, fortunas qui distribuat. Rectè. Iam verò istud vrgeo; an vllâ in parte, iustitiæ limites Deum excedere posse credis? non autumo, nisi id etiam statuas, possibile esse, non esse Deum. Quòd si verò non possit non esse iustus Deus, certè non potest non punire tandem aliquando scelera, nec virtuti debita præmia semper poterit denegare. Iam verò, nonne id fateris, improbos hâc in vitâ felices esse, non castigari eorum scelera, vitam ducere iucundissimam; probos verò non nisi miseriis implicari? sanè hoc tute ipse fateris, hæc enim tibi conquerendi tota est materia. Itaque necessariò si mentem aduertis, aliam post hanc esse vitam fatearis oportet. Nam vt rectè vrget D. Chrysostomus, *vbi qui bene hic operati fuerint*

Primũ bonum quod ex impiorũ felicitate refert iustus, est fidei confirmatio.

Clem. Rom. l. 3. recognit in medio.

D. Chrys. hom. 9 in 2. Cor. 4.

 bonis

bonis fruentur; vbi autem mali contrariis, nisi sit futura vita quædam post hanc? Aut id planè concludendum est; aut dicendum, Deum iniustum esse posse: quod quidem dictu est execrabile; & vero re ipsâ vt sit, nullo pacto est possibile.

En, vt felicitas impiorum, quæ humanis oculis expensa, Dauidis quoque pedes, quasi in lubrico positos, in lapsum impellebat, nostræ Fidei sit fulcimentum. Non intelligimus cur floreant scelerati, cùm adhuc in flore sunt; *in nouissimis autem eorum* intelligemus, aliam supereſſe vitam, alia gaudia, aliam felicitatem, aliam denique expectationem nostram, præ eâ quam nobis prætendit miseræ huius terræ fucata felicitas & voluptas; alias denique esse miserias & supplicia præter ea quæ modò persentiscimus & horremus. Et verò sola ea spes exspectatioque sufficit, vt cum ingenti animi tranquillitate, videamus totum hunc fortunæ cursum, labilesque spes hominum, isthic depressas, isthic eleuatas, vbique caducas. *Pacem itaque peccatorum videntes*, dicamus illico. *Omnis consummationis vidi finem*, finemque cùm video, felicem tandem exspecto, quem verò fortunati illi habituri sunt, id illi relinquo, qui nouit moderaturque omnia. Id certè impiorum deploranda felicitas mihi confert boni, quòd fidem meam penitus confirmet. 7. Psal 118.

§. III.

Felicitas impiorum iustos confirmat in Spe.

Secundum bonum est augmẽtum Spei.

QVid, quòd impiorum prosperitas, spem Christianam mirum in modum acuat atque extimulet? idcirco enim malis & sceleratis in hac vitâ, bona quædam largitur bonus Deus, vt toti orbi constet, quàm munificus futurus sit remunerator, tum cùm perfectis gratiæ operibus mercedem *plenam & coagitatam, & super effluentem* daturus est Deus, sibi tam chara capita æterno deuincturus amicitiæ vinculo; cùm tam liberalis sit tamque profusus modò, vt sceleratorum sibique rebellantium quædam bona opera (naturæ tamen fœtus & non gratiæ) eaque adhuc multis sceleribus intermixta, tot bonis, tantâque naturæ felicitate compenset. Cogitatio hæc diui Chrysostomi est, eoque digna deducenda 8. Luc. 6. D. Chrys. ho. 67. ad pop.

ducenda est paululum, vt percipiatur vis.

9. Illud sanè mihi facilè quiuis dabit, neminem esse adeo perueršæ mentis ac perditæ, qui non aliquid agat laude dignum, quodque moralem saltem, hoc est naturæ rationique consonam sortiatur bonitatem. Crudelis vt sit Tyrannus, aliquando tamen misericordiam victis exhibet, naturæque propensio insitam animo emollit ferociam: neque qui in omnem luxuriam proiectus est, idcirco iustitiam non colit; neque qui iniustus, alia humanitatis, imò ne Religionis quidem erga Deum, deserit officia: Res hæc in confesso est. Attendite nunc genium indolemque Dei; certè tam generosa est, vt ea ipsa qualiacumque bona opera, nolit omnino abire indonata: id verò in alterâ vitâ præstari cùm non possit, vtpote ab omni felicitate isthic extorribus; in hâc confert quidquid postulari posset præmij, ne quidquam omnino fauoris, in alterâ post hanc vitâ, quasi iure aliquo possit expeti, aut bonum aliquod opus in rationes computumque deduci. *Impiorum hic Deus felicitate quadam bona opera remunerătur, vt postea plenè castiget eorum mala.*

Chrysost. hom. de aduersâ valetud. tom. 5. *Quòd si fuerit peccator aliquis, verba sunt Chrysostomi, sexcentis malis coopertus, & qui in pluribus illorum, insanabili morbo laboret, qui rapiat, qui fraudet, idcirco prospero rerum successu fruitur, ne mercedem isthic repetat.*

10. Contrà verò, cùm iustum vides affligi, illud tecum reputa, neminem adeo accuratum esse, qui non aliquando à recto deflectat tramite; neque adeò bonum, quin aliquid aliquando faciat mali. Idcirco hic patitur inquit Chrysostomus, *vt purus hinc abeat*, nihilque puniendum relictet. Quòd sanè præclarè Lazari confirmat exemplo. *Quoniam ergo*, inquit, *& Lazarum habere quædam peccata contigerat, & diuitem aliquod bonum habere: propterea dicit Abraham, nihil hic require, bona illic Tua recepisti, & Lazarus mala sua.* & ne quis id me ita dicere credat, inquit Chrysostomus, certè ipsissima Abrahami verba sunt *Tua* nimirum & *Sua*, hoc est, quæ tibi debentur, & quæ Lazaro. Quod vt euidentiùs declaret Abraham, non dicit *Accepisti*, sed *Recepisti bona tua*: nam quod accipitur non semper debetur, debetur autem quod recipitur. bona itaque quædam debebantur Epulони, Lazaro autem quædam mala. En verba Chrysostomi; Epulonem alloquitur. *Feciſti aliquid boni? recepisti opes Tuas, sanitatem Tuam, delicias, potentiam, honorem: nihil debetur, recepisti bona Tua.* Tum ad Lazarum orationem deflectens. *Quid igitur?* *Iustos hic Deus ob quædam ipsorum mala castigat, vt postea plenè remuneretur.*

ibid.

Luc. 16.

nihilne Lazarus peccauit? imò verò. Et Lazarus similiter mala. scilicet *sua recepit. Cùm tu Tua bona recepisti, tum Lazarus mala, idcirco nunc iste consolatur, Tu verò cruciaris.* Iustè omnino, & rectè. cum enim Lazarus, pro perperam factis, patiendo satisfecerit; puniri non potest, nihil debet: cumque pro rectè factis nihil ei admodùm sit persolutum, adhuc ei debentur omnia. Tibi verò pro bene gestis præstita cùm sint omnia, nihil debetur præmij: at quia debitorum suppliciorum nihil exoluisti hactenus, in pleno ære Dei es, debes omnia, & quia æquitas id exigit, solues omnia.

Non igitur sibi blandiantur impij si hic sint felices.

Mentem huc aduertite, quotcunque fortunati esse vultis & dici. Fortunati si estis, & nihilominus Dei hostes & peccatores; huius æui, terræque fortunatos vos credite; non alterius & æterni. Duret, si fortuna sic fert, eô quô viues tempore, fucata illa quâ deliniris felicitas; at verò æternitate totâ tibi quid fiet? Bona dat nimiùm tibi benignus Deus, diuitias largitur, dignitates impertit & honores; tuque diuinis beneficiis, in iniuriam benefactoris abuteris. Non percipis interim irati Numinis esse timenda beneficia? Nihil deliciarum, nihil felicitatis tibi detrahit, vt nihil tibi debeat, si fortè rectè quid egisti: rationes interim tecum pro sibi à te debitis initurus, vti liquidissimas, ita & rigidissimas. 11.

Largitur enim felicitatē hanc Deus, vt postea districtius iudicet & puniat.

Vin plura? certè cùm Dei arcana consilia tetigerimus, illud etiam dicam vt aurem tibi vellicem, nimiumque ne tibi de felicitate blandiaris. An nescis diuitias, fortunasque eô consiliô tibi à Deo submitti, vt maiori vt sic dicam animo, te in extremô totique orbi conspicuô iudiciô arguat, securiusque condemnet? Cur sic inquies? dicam. Caussæ suæ æquitatem, omnibus creaturis conspicuam facere cùm statuerit; idcirco felicitati tuæ, cùm possit, nihil detrahit; vt omnibus constet, nihil omnino rationis afferre te posse, cur eò audaciæ prolapsus sis, vt tam beneficum Numen te non puduerit iniuriâ impetere, eiusque tam iusta imperia detrectare. Felicem te facit, quamuis peccatorem, vt tandem aliquando *iustificetur in sermonibus suis, & vincat cùm iudicarit.* 12. Psal. 50.

Audi Ambrosium hæc in Iudâ exaggerantem. *De Iudâ Proditore,* inquit, *hæc colligere licet: qui & Apostolus inter eos electus est, vt loculos pecuniarum, quos pauperibus erogaret, commissos haberet;* 13. Ambr. l. 2. offic. c. 15.

ret; *ne videatur quasi inhonorus, aut quasi egenus Dominum prodidisse.* Quid deinde? *Et ideo vt iustificetur in eo Dominus hæc ei contulit, vt non quasi iniuriâ exasperatus, sed quasi prævaricatus gratiam, maiori esset offensæ obnoxius.* Optimè Ambrosius & Iudæ & tibi. frustra id iam quidem Iudæ, nisi quod Iudæ, id & tibi diceretur, quisquis es peccator, & cùm dici sic ambias, peccator fortunate. Quod si rerum omnium egenus fuisses, certè tot furta, iniustasque technas, paupertati depellendæ aliquo saltem modo poteras imputare; Quod si calamitatibus, dedecore & ærumnis te Deus oppressisset, vindictæ de tam seuero Domino sumendæ causâ ei te bellum indixisse, legesque tibi impositas excussisse, malè quidem, tamen in speciem potuisses obtendere: at iam quid dices? quò te vertes? quid afferes excusationi? quomodo causam tuam orbi iam probabis? Nescio sanè. Illud videt orbis vniuersus quod *incrassatus est dilectus & recalcitrauit; incrassatus, impinguatus, dilatatus,* & nihilominus, *dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.* Habemus fatentem reum, & eô tacente res ipsa loquitur; euicta causa est: itaque *veniat mors super eos & descendant in infernum viuentes.* Percipitis tandem, cur malis bona det bonus Deus? *vt iustificetur* in eo Dominus, & causam suam contra omnes obtrectatores *euincat, cum iudicarit.*

Deut. 32.

14. Nunc verò ad vos mihi sermo est Auditores. Quisquamne inter vos est, qui operum suorum sibi mercedem integram in hoc mundo præstari desiderat, plenamque omnium quæ sibi debentur præmiorum apocham, nihil vltra petiturus velit dare? Felicem modò te hîc reddat Deus, vis ei cœlestem, quam tibi daturus est gloriam transcribere, & omne debitum condonare? Minimè verò inquis, absit hoc à me. Sapis profectò, sapis. Iam verò, an etiam adeò amens sis, vt vel minimam debitæ mercedis partem, & vt ita dicam atomum velis concedere, in hoc mundo fortunatus vt sis? terrena gaudia cœlesti gloriæ, corporis commoda deliciis animæ, æternis peritura vt æquipares, imò vt præponas? non arbitror adeò insanum te, nec tibi ipsi tam inimicum. Quòd si igitur æterna tanti facis, quid tantopere conquereris, terrena quòd tibi deneget, vt plena & integra tibi stet merces isthic soluenda, vbi cùm datur quod debetur, debitum tamen numquam exstinguitur? Cur non tibi ipsi gratularis cùm

Interimitus sese futuri exspectatione consolatur.

affligeris; certus te, quæ debes supplicia patiendo delere, sic vt omni ære alieno liber, creditor ipse debitorem Deum possis liberâ & exporrectâ fronte conuenire? Sanè hâc spe fretus, ridebat miserias omnes laboresque diuinus Paulus. *Bonum* inquit, *certamen certaui*, hoc est multum mihi desudandum fuit, non parua certamina sustinui, *cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die, iustus Judex.* Repositam nimirum gaudet coronam integram, & reseruatam mercedem plenam, cuius admodum nihil in hoc mundo receperit: certò tamen recepturus, quia iustus est is, qui debet laboranti præmium; & benignus, æternitati illud cùm reseruat. 2. ad Cor. 4.

Interim fatere modò, abs re esse quòd conquereris, prospera sceleratis, aduersa piis cedere; fateberisque, sat scio, mentem Dei consiliumque si, prout exposui, intellexeris. 15.

§. IV.

Felicitas impiorum magnitudinem cælestis Gloriæ demonstrat. Patere igitur felicitatem eorum; tibi tam vtilem,

Tertiũ bonum, quod ex impiorũ felicitate, æterna gaudia detur intelligere.

ADde quod ex eâ quam tantopere miraris sceleratorum hominum felicitate, cælestis quæ nos manet gloriæ magnitudinem, datur conijcere & inuestigare. Age sis, & quidquid terra fert gaudij, quidquid deliciarum Imperatorum aulæ, quidquid diuitiarum expoliatæ armis Prouinciæ, quidquid dignitatis euecta per vim fastigia, homini quem tu fortunatum vocas vnquam contulere, ob oculos tibi propone, & si potes mente concipe: theatrorum acclamationes, conuiuiorum luxus, chorearum gaudia, luxuriantium inanes risus, & steriles cachinnos; quidquid denique immodica conferre potest fortuna, cogitatione designa. Designasti? iam verò sic tecum, imò mecum ago. Quod si tam munificus, imò tam profusus est *Dominus*, *iustus* tamen *Judex*, vt bona quædam opera, naturam tamen non excedentia, & quidem tot tantisque sceleribus contaminata compenset; quæ demum erit illa gloria, quæ deliciæ, quæ corona, quâ gratiæ perfecta opera, hoc est, Sanguinis à Deo homine profusi 16.

merita

merita compensabit? Si tam bonus est tamque liberalis erga hostes, Majestatis suæ iura per summum nefas infringentes; quæ tandem reposita est corona diligentibus se, quæ hæreditas filiis, per Filij sui dilectissimi Sanguinem adoptatis? Si talia impertit gaudia in exilio constitutis, in hanc lachrymarum vallem ablegatis; quæ demum serenitas erit in montibus æternis, in centro voluptatum, vbi flumina deliciarum *lætificant ciuitatem Dei*? Psal. 45. O Ierusalem cœlestis! Domus Dei! ciuitas sancta! patria dilecta! qualem ego te contemplor, cum exilij huius felicitatem aspicio!

17. Contemplari eam veluti in ænigmate possumus Auditores, câ frui necdum possumus; descendendum est itaque è montibus illis æternis, quos iam mente conscendebamus: vallemque nostram repetentes, illud nobiscum iam reputare, quanti momenti sit, ingentem, de Deo Diuinisque decretis animo imbibisse opinionem? Cùm semel illud tamquam indubitabile statuerimus, bonum esse & rectum quidquid aget Deus, illico rationes sese magnâ copiâ offerunt, quibus singula defendamus. Adeo verùm est, vt exposui, illud Ecclesiastici *Qui timet*, hoc est, qui reueretur *Dominum*, *inueniet judicium*, *& iustitiam*, nempe Dei, Eccli. 32. *quasi lumen accendet*, vt plurimas inueniat rationes, quibus, iustum esse, quod non dubitabat iustum esse, rationibus conuictus asserat, & conuictum sese gaudeat. Nihil adeo videbatur difficile, quàm intelligere quo pacto iustus sit Deus, impiorum votis cum obsecundat; & tamen iustum id esse postquàm statuimus, quàm facile fuit iustitiæ ante tam incognitæ rationes conquirere & inuenire?

Acquiesce igitur tam iustis ordinationibus Dei.

18. Has itaque mente generatim complectentes, quiescite posthac, neque quidquam vltra inuestigate: sint felices modò, sint fortunati, sint diuites, fluant ex eorum votis omnia; qualia fuerint vota *intelliges in nouissimis eorum*. Neque quod iustum esse in omnibus sceleratis generatim creditis, id de nefario quopiam particulatim ampliùs exquirite; neque cur hunc Tyrannum ferat Deus, cur hoc scelus non impediat, cur nefarius hic tam amplè dominetur. Superfluum est quæstiones eiusmodi, specialiter instituere, vbi de iustitiâ generatim constat. Verùm id video, homines plerumque non tam de sceleratorum bonis generatim, quam de huius nefarij qui præ oculis est, de huius impudici, de huius

Neque tãtùm ingenere patiuntur impios felices, sed etiã hunc impium in particulari quoties offendiculò est.

huius truculenti à quo quis opprimitur, felicitate angi & potentiâ dolere. Hunc sublatum vellent, hunc depressum, hunc in ordinem redactum. Sint sanè in Indiis tyranni, sint impij in Iaponiâ felices, dominentur isthic scelera, parua de hoc nobis est curatio. Ain verò tu? Certè iam perspicio, non Dei gloriam, sed tuum incommodum has querimonias expressisse.

Hũc enim Deus felicẽ vult, vt per eum te castiget.

Quod si nihilominus Diuini honoris assertorem te dicis, eiusque gloriæ cupidissimum; sis sanè, & permitte Diuis cætera. Puniet eos Deus, deturbabit de gradu, fastum coercebit, tum cùm id erit ei gloriosissimum. Tu dehâc re, ne cura. Interim id modò ad gloriam Dei conducit maximè, vt modò affligaris tu, vt opprimaris, vt mala sustineas, & malos feras patienter. Hæc Dei laus est, hanc à te expectat. Idcirco hoc scelus, hunc proteruum patitur, vt tibi per eum patientiæ materia, sibi verò laudis per te detur. Pœnas nonnunquam es commeritus: nefarius hic flagellum est, virga est quâ castigaris, vt post hanc miseram vitam, nihil tibi soluendum restet. Patere flagellum esse: castigato filio; flagellum fit ignis pabulum, filio hæreditas ex asse reseruatur. 19.

Eum castigaturus suo tempore.

Iam verò, si nefarius ille virga tua est, cur conquereris eum tam potentem esse, florere opibus, florere fortunâ, florere dignitate? Virga est, & quæris cur floreat? vt tibi magis doleat, eâ cùm percuteris. Quid ergo! Virgam esse vis siccam & emarcidam? Et quæ tum tibi daretur patiendi materia, quod virtutis exercitium? quæ castigationis erit vtilitas, vbi doloris non est sensus? Floreant sanè virgæ, floreant; & vt floreant, succum è terrâ trahant, baccis turgeant, in folia sese distendant, sint conspicuæ, sint virentes, sint floridæ; tempus erit cùm cuncta diffluent, nihilque futuræ nisi flammis deuouendæ victimæ; filiis castigandis quondam vtiles, cæterùm posthâc inutiles futuri rami. 20.

Tẽpus autẽ tu Deo ne præscribe.

At inquies, longinqua est hæc spes, nimiùm durant virgæ hæ: cur non abijciuntur modò, cur tam diuturna eis felicitas? Ah querulum hominum genus! Longum tibi videtur tempus hoc quod exigimus? Audi Augustinum. *Quod tibi videtur longum, breue est. Vis esse longanimis? junge te æternitati Dei. Nam attendis ad dies tuos paucos: & diebus tuis paucis vis impleri omnia. Quæ omnia? vt damnentur omnes impij, & coronentur omnes pij.* 21. Aug. in Psal. 91.

An

An non id video, contra omnem rationem id velle te? id enim vis, vt maxima pars orbis pereat, viuente te. Non hoc volo inquies, vnicum tantùm, illudque scelestum planè caput diris deuoueo: hoc si aufertur, plana mihi posthàc sunt omnia. Næ tu caussam tuam, sed non Dei, agis præclarissimè! At verò non id perspicis, eodem prorsus modò alium de aliò, sibi æquè ac tuus tibi infestò, tertium de tertiò æquè vt sibi videtur sceleratò ac tuus tibi, conquesturos? Nemo certè ferè vnus est, qui non aliquem sibi habeat infestum, quem sublatum cuperet, eodem quò tu iure. Neque verò tu ipse is es, quem non aliquis sibi obstaculo esse retur, licet id nescias. Quid ergo? an illico omnia destruenda sunt, vt conquerentium votis Deus satisfaciat? Certè & tu in numerum eorum venies, quos de medio tollendos statuit humana fatuitas. Ridicula hæc planè sunt, & indigna quæ tranquillitatem nostram perturbent vota. Floreant, vireant scelerati, castigentur, deprimantur; verùm *Deus*, vt ait Augustinus, *impleat ea in tempore suo*, hoc est tempore à se præstituto. Tempus nostrum angustum est nimis & breue; & angustior nobis adhuc mens est, quàm vt se ad ea *quæ Deus posuit in suâ potestate* tempora designanda queat extendere, & explicare.

§. V.

Rectè tamen nec solis malis bona, nec solis bonis mala eueniunt: vt hinc discas, nec quæ vocantur bona, vera bona, nec quæ mala, verè mala esse. hinc vtraque æstima prout sunt, non prout nominantur.

22. HActenus bellè. Verùm inquies, illud exinde rursus exsurgit difficile, quòd nec omnibus sceleratis fortuna semper faueat, nec iustis omnibus sit aduersa: & rursus plurimi impij miserijs ingentibus implicentur, vbi boni quamplurimi sunt in deliciis. Quid hîc repones? Prouidentiam Numinis hîc quò pactò vendicabis? Difficultatem hanc magnam sibi proposuit, in omnibus magnus Augustinus. *Nunc verò* inquit, *quando non solum in malo sunt boni, & in bono mali, quod videtur iniustum;*

Quæritur cur bona & mala huius vitæ dentur iustis & impijs promiscuè.

Aug. l. 20. de Ciu. c. 2.

verum etiam plerumque (quod quidem est verissimum) *& malis mala eueniunt, & bonis bona proueniunt; magis inscrutabilia sunt Iudicia Dei, & inuestigabiles viæ eius.* Alio vero loco explicatius. *Non enim soli boni plenas habent domos rebus necessariis; aut soli boni vel salui facti sunt, vel ab ægritudine conualescunt; aut soli boni filios habent, soli boni pecuniam, soli boni cætera apta huic vitæ temporali atque transeunti: habent hæc & mali; & aliquando desunt bonis, sed desunt & malis; & plerumque istis magis quam illis, aliquando illis quàm istis potiùs abundant. Permixta ista temporalia Deus esse voluit.* Inscrutabilia quamuis hæc Dei judicia, inuestigabilesque vias dicat Augustinus, ipso tamen duce, difficultatem hanc vt spero superabimus, cum summam Diuinæ Prouidentiæ rationem intelligemus. Aug. in Psal. 66.

Ratio prima D. Gregory, vt nemo sibi de felicitate blandiatur,

23. Vrget difficultatem D. Gregorius, eique enodandæ lucem aliquam rationemque præfert, quæ non parùm felicium animos domet, voluptatemque nimiam infringat & temperet. Audi Gregorium. *Cum bonis hîc bene est, & malis malè; incertum est valde, vtrùm boni idcirco bona accipiant, vt prouocati ad aliquid melius crescant; an iusto latentique Dei Iudicio, hîc suorum operum remunerationem recipiant, vt à præmiis vitæ sequentis inanescant; & vtrum malos, idcirco aduersa feriant, vt se ab æternis suppliciis corrigendo defendant; an hîc eorum pœnæ incipiat, vt quandoque complenda, eos ad vltima gehennæ tormenta perducat.* Ideo, inquit, justis felicitas semper suspecta est: verentur enim ne mercedem, quam in cælis expectant, hîc cælô excludendi recipiant. *Vnde fit,* verba Gregorij sunt, *vt sancti viri magis in hoc mundo prospera, quam aduersa formident.* Ratio D. Gregorij, si hominem attendas, optima est; cùm enim incertum nobis sit, quem tandem exitum sortituræ sint res nostræ; suspecta semper nobis esse potest, præsertim nimia prosperitas, ne ea sola sit merces operum. Atque hinc conijcere licet, quæ ea tandem sint bona, quæ tam tristem nata sunt ingerere suspicionem. D. Greg. 5. Mor. c. 1.

Ratio 2. D. Augustini, vt discamus esse bona bonis propria, & mala propria malis.

24. Verùm, cùm Deo sit perspicuum qui demum felicem habituri sint vitæ exitum, qui verò infelicem; adhuc id explicandum restat, cui non omnibus bonis bona, malis autem mala tribuerit. Si enim terrena felicitas bona est, certè non aliqui prorsus boni, ab eâ penitus fuerant excludendi: sin mala, omnes planè mali, & non aliqui tantùm illâ fuerant castigandi. Hunc nodum

Aug.l.20. De C.c.2. dum sic, & sanè feliciter, soluit Augustinus. *Quamuis ergo nesciamus, quomodo Deus ista faciat vel fieri sinat, apud quem summa virtus est, summa sapientia, summaque iustitia; salubriter tamen discimus, non magni pendere seu bona seu mala, quæ videmus esse bonis malisque communia: & illa bona quærere, quæ bonorum, atque illa mala maximè fugere, quæ propria sunt malorum.* Quæ demum ista? sanè, virtus animi, diuinaque Gratia, tam quæ actualis dicitur, quam quæ habitualis est, animamque sanctam facit, & ius Gloriæ tribuit, in hâc vitâ sola bona sunt, bonis propria: in futurâ verò, ipsa Gloriæ consecutio. neque præter hæc, vlla bona sunt, quæ boni tam præclarô nomine mereantur appellari. Iniustis propria mala sunt, mala mentis affectio, peccatum, & hoc consequens Gratiæ sanctificantis, hoc est, iuris ad cæleste regnum amissio, perpetua denique peccati merces, condemnatio. hæc mala adeò mala sunt, vt sola mala sint.

25. At quis id credet, inquies? nemo non aliter sentit. Sic est. Verùm cùm bonitatem peruersitatemque rerum discernere Dei solius sit, cui, quid quæque res sit, intimè & soli penitus est perspectum; eius certè, nisi decipi volumus, iudiciô decidenda est hæc res, & non opinione vulgi, temerariô rerum arbitrô. Igitur quid iudicat Deus? vide quid egerit. malis dat hæc quæ tu dicis bona, nec tamen omnibus; mala itidem, vt vulgus ea appellat, bonis immittit, nec tamen omnibus, nec etiam solis. Cur id agit? dicam cum Senecâ, nescio an ex commercio cum D. Paulo, lumen ei aliquod naturam superans adhæserit. *Hoc*, inquit, *est propositum Deo, sapienti viro ostendere, hæc quæ vulgus appetit, quæ reformidat, nec bona esse nec mala: apparebunt autem bona esse, si illa non nisi bonis viris tribuerit; & mala esse, si malis tantùm erogauerit.* Quid præclariùs commendandæ Dei Prouidentiæ dici potest? quid ad rectè de rebus ex Dei mente iudicandum, afferri poterat illustrius?

Ratio 3. Senecæ, vt ostendat Deus, hæc quæ vulgo vocantur bona & mala, non esse quod vocantur.

Sen. l. de Prou. c.5.

26. Nugæ sunt profectò, & ad trivia, stolidamque fæcem omnia tumultu peragentem, ablegandæ sunt hæ voces; mala est paupertas, mala liberorum amissio, mala dignitatis iactura, mala plebis seruitus, mala ægritudo, mala mors. Neque minus illæ corrigendæ sunt, quibus recta valetudo, honores, diuitiæ, corporis commoda, liberorum procreatio, & cætera his similia, à vulgo Bona per errorem sane grauissimum, nominari solent. Ex-

Hoc probatur.

pungenda, inquam, sunt hæc nomina, quæ nihil habent rei, apparatûs verò mendaciique plurimum. Hoc certè nos doceat Dei, ea prout sunt & non prout appellantur, distribuentis authoritas. Si enim accuratiùs rem perpendimus; certè si bona ea essent, vera & sincera, quæ vulgus inconditum dicit bona, an ea sinceris sibique dilectissimis amicis, hostibus suis danda, subtraheret, amicitiæ tam exactus cultor Deus? Rursus, si vera mala sint quæ passim dicuntur mala, an non illa hostibus suis puniendis impenderet, quibus iam amicissimum quemque sæpenumerò exercet? Denique si bona sint quæ vocas bona, an ea quibusdam amicis tantùm, nec tamen maximis, impertiret; his vero quibus familiarissimè vtitur prorsùs inuideret? Absit hoc à Deo si iustus est, si sincerus est, si amicis verè amicus est. Quòd cùm certè sit, & ita quidem sit, vt non possit non esse id quod est, cumque putatitia illa tum bona tum mala, passim bonos inter malosque dispersa à Deo, sic quasi temerè, videamus; fateamur certè, neque morbos mala esse, neque tentationes mala, nec egestatem, nec aduersam fortunam, vera mala esse; nec rursus prosperam sortem, diuitias, delicias corporis, commodam valetudinem, honores, & quidquid natura adamat, esse vera & solida bona. Res manifesta est, de nomine laboramus. Vt quid ergo tam honestô nomine passim compellantur? Dicam: quia passim gaudemus decipi, & decepti in errorem alios trahere; ne soli decipiamur, mendacia nobis inuicem miseri imponimus, & quod miserrimum est, mendaciis delectamur. Vt autem mendacio fucum detrahat, promiscuè tum bona tum mala distribuit, æquus rerum expensor Deus.

Tãtum instrumenta sunt vnde facias bene vel malè.

Quid ergo sunt, inquies, si nec bona sunt, nec mala sunt? illico respondeo, instrumenta sunt quibus mala possis agere, & verò etiam bona. Quis enim id mihi persuadeat, diuitias mala esse, quibus video humana commercia sustineri, tot opera pietatis misericordiæque exhiberi, templa construi, religionisque dignitatem sustentari? Quis verò ea mihi bona esse obtruserit, cùm illud liquidò constet, ex iis rixas fere omnes, lites, periuria, inimicitias priuatas inter homines, inter Principes verò bella etiam crudelissima exoriri? Contra verò quis paupertatem mihi, tanquam bonum, rectè commendauerit, quam tot furtis, tot rapinis, tot homicidiis prouinciarumque deprædationibus ansam dare, 27.

dare, quotidie experimur? Rursus quis Malum esse paupertatem asseruerit, ex quâ omnis in Republicâ officiorum, artiumque nata est varietas, prout sequenti Tractatu demonstrabimus? Tandem clarè id perspicio, per morbos, per ærumnas, per egestatem, per omnia denique quæ dicuntur mala, plurimos cælum petere, & obtinere; plurimos etiam miserias has, æternis commutare. Neque id etiam obscurum est, sed planè manifestum, diuitias, honoresque quibus plurimi ad inferos degrauantur, aliis id felicitatis præstitisse, vt perituris aliquando diuitiis, æternas numquam extinguendas emerint & comparârint.

28. Quid ergo tandem dicendum est, quomodo loquendum? Sic statue & dic, omnia & bona esse posse & mala: bona, si bene iis vtaris; si malè, mala. Mala itaque non sunt, sed cum sunt, tu facis mala: bona verò cum fuerint, bona certè vt essent, tu fecisti. Rectissimè Augustinus: *Omnia ista bona sunt, sed vnde facias bene, non quæ te faciant bonum.* Addamus nos: tum verò fies bonus tu, si ex eis, aut per ea facias bene. Penicillus neque bonum facit pictorem, neque adeò malum; bonus vtcumque sit, malusque vt vulgò loquimur penecillus. Illò qui bene vtitur, bonus est Pictor, qui malè, malus: neque præstantia instrumenti artificem commendat, sed rectus vsus. Ita sunt omnia: instrumenta sunt, vsus verò bonus an malus vt sit, id penes te est. Non igitur mihi post hac importunus quisquam obstrepat, quæratque cur Bona Deus, hoc est, instrumenta virtutum cur promiscuè bonos inter & malos distribuerit. Illud si vult petat, cur tam peruersè instrumentis sibi à Deo subministratis vtantur scelerati; & hoc in Domini sui dedecus, suamque perniciem conuertant, quò bene laudabiliterque poterant frui. Tum verò statim regeram, id quidem ex maleuolo hominis arbitrio, maloque libertatis ingenitæ vsu ortum trahere, non verò ex hoc capite, quod non summâ cum prudentiâ, summoque consiliò, vt iam vidimus, hæc quæ vulgus vocat bona aut mala, bonos inter & malos promiscuè fuerint distributa. Maneat igitur, diuisionem hanc tam æqualiter inæqualem, bene rectèque institutam.

Quod si ergo bonis malè vtatur impij, non id Deo imputandum sed vitio vtentium.

Aug. ser. 3 de SS. Innoc.

§. VI.

Ostenditur diuisionem illam fortunarum aliter institui non debuisse, adeoque nec potuisse, nisi eô modô quô iam facta est. Itaque ne felicitati alienæ inuide, & alienis malis acquiesce.

Acquiescendum est distributioni bonorum & malorum promiscuæ, prout nunc est facta à Deo.

QVid iam vobis est animi, quis sensus Auditores? an posthac 29.
tritum illud, sed vt parum dicam, temerarium oggeretis, *Quare via impiorum prosperatur?* acquiescetisne iudicio illius *qui dat omnibus prout vult*, neque vult quidquam, nisi quod æquum est? Bene est. Altius tamen lubet ascendere: non enim diuisionem hanc fortunarum tam promiscuam, iustam solum esse contendo, sed nec aliam esse debuisse, adeoque nec potuisse, aliter institui. Causæ securus, id constanter affiero.

Probatur, quia nemo homo capax est, qui singillatim & bene, quin imò aliter ea distribuat.

Hic vero subrides tu, sat scio, humeros contrahis, supercilium 30.
eleuas & frontem rugas. Aliquid, vt video, hic tibi non placet; non vsquequaque à Deo actum est bene. Verùm age, conseramus manus si placet. Ain verò tu, supercilioſe Censor, cui nullum non admordere sunt deliciæ; an tu tibi tam amicè abblandiris, vt fortunam cuique suam, te melius consignaturum fuisse tibi persuadeas? Tentanda sanè hæc res est, erroremque suum si fieri potest, dedocendus tandem Deus. Illud itaque sic statue, omnes omnino quotquot in orbe sunt diuitiæ, omne aurum argentumque quod aut fert India, aut quod ex terræ visceribus hactenus erutum toto vagatur orbe, penes te esse sequestratum: nihil pretiosi esse, quod non in manu tua sit erogare, distribuere, retinere prout libitum fuerit: cæteros omnes pauperes esse, omnium egenos, nihilque expectare nisi à te. An tibi sat virium, imò sat sensus & iudicij esse arbitraris, diuisionem hanc qui possis, non dico absoluere, sed vel instituere & inchoare? Si non; quid conquereris id factum, quod vt velis, emendare tamen non possis? Si etiam; itaque rem ordire, si placet, neque iam verbis, sed rebus ipsis dirimamus rem.

Ostenditur id experientiâ ficta ad rem.

Dic igitur sodes. Quis primus esset, cui diuitias assignares? 31.
Egomet ipse, inquis. Facis profecto non illepidè: à se ipso enim charitas incipit, ordinata vt sit. Verùm quantum æris, quantum auri

auri & argenti ex totâ congerie extraheres, tuoſque in theſauros conſignares? Quot ſeſtertium millia? auri quot milliones? non enim niſi vnicâ tantum vice potes eligere, ne numquam abſoluamus rem. Quid hæres in ipſo limine? quid tam citò dubitas? an iam ſubducendi ſunt calculi? an priùs ſtatuendum, quantam habiturus ſis familiam, quot procreaturus ſis liberos, quam obiturus dignitatem, quæ expenſæ faciendæ, priuſquam id ſcias quæ tibi ſint ſumptibus ſuffecturæ diuitiæ? Id verò ſi priùs ſtatuendum eſt tibi, age cogita tecum ipſe, antequam de te quid ſtatuas. Verùm vt totius orbis expectationi facias ſatis, te pro hâc opportunitate præterito, ad proſpiciendum cæteris abeamus, ne totus, ſi diu morandum eſt, in te irruat offenſus orbis. Si tamen de te ipſo ſtatuere certi quid non poſſis, quid alijs facturus ſis, facilis iam eſt coniectura. Pergamus tandem ad cæteros.

32. Dic ſaltem amabo; quis ex omnibus quotquot ſunt hominibus, à te ſecundus erit, cui partem ſuam munificus aſſignes? Quid rurſus hîc circumſpicis, quem tandem deſignas oculis? En fratrem tuum hic penes te: nullus ſanè hôc tibi coniunctior naturâ & ſanguine. Quid caput moues? Frater, inquis, eſt, at noui fratrem: cum nempe qui mihi parentum amorem blandiciis falſimoniiſque ſubtraxit perfidus; iam me adorat, à me cùm totus pendet. Noui ingenium viri, hercle, indonatus mihi abibit hodie; recedat modò, cras videro. Næ tu elatô nunc es animô vir bone, fortunarum factus arbiter. Verùm ſi tam citò lites moueantur & jurgia, quando demum finienda eſt hæc diſtributio, quam ne quidem datur incipere? An non hîc expectandæ ſunt totius orbis querimoniæ & clamores execrantis te reipublicæ, laboranti mundo quòd non ſubuenis?

33. Verùm ſtultus ego ſim & demens, lateri tuo ſi adhæream, ſperemque te quidquam acturum rectè, niſi priùs quid cuiuſque ferat genius, quid neceſſitas, quid filiorum futura multitudo, quid vnicuiuſque ætas, quid vitæ diuturnitas, quid dignitatis ratio, quid bellorum impetus, quid fortunæ futura varietas, quid negotiorum euentus, quid hominum bonis inſidiantium perfidia, ſint allatura, probè penituſque perſpexeris. Hæc autem omnia perſpicere te poſſe putas, homo minimæ mentis, & proiectæ audaciæ? ſine quæſo, ſine Deum agere res ſuas, imò & tuas,

Ea incapacitas hominũ probatur à priori.

tuas, momenta cui omnia, neceſſitateſque penitùs ſunt conſpicuæ. Agat ille prout placuerit, qui agit omnia *in pondere & menſura*, qui *gratias ſuas diuiſit prout vult*, vult autem quod videt viribus, genio, naturæ, tempori, maximè accommodatum; quod æternæ ſaluti procurandæ maximè conueniens. Ad has leges omnia attemperauit: has quia non attendimus, ad omnia cœcutimus, nec tamen cœcitatem præfracti agnoſcimus.

Lubet tamen eam prorſus detegere. Adhuc enim obmurmuras, ſat ſcio, illudque tibi ipſi tacitus dicis, ſaltem illi (& aliquem mente deſignas) bona tanta non committerem, in manu ſi foret meâ. Sceleratus eſt, impius eſt, faſtus nimius deprimendus eſt. Benè habet; verùm & hoc quoque alius de tertio conqueritur, alius de quartò; & ſic denique nemo homo eſt, qui non queritur; nemo homo, de quò querimoniæ non deponuntur. Quòd ſi querelæ iuſtæ ſunt, ſanè nihil in toto rerum ordine, à Deo factum eſt iuſtè. Igitur emendemus omnia, reſtituamus ordinem, & ne querelis detur locus, ſtudia conferamus, iuſtamque tandem inſtituamus rerum omnium diuiſionem. Attendite nunc quotquot eſtis mortales: ſacer Senatus iam coactus eſt; res intus agitur magna: de lege inquam agrariâ, & argentariâ, Senatus humani conſultò, peremptoria ferenda eſt ſententia. 34.

Et vt ordine tota cauſſa deducatur, illud priùs ad iudicium reuocandum eſt, an licet diuitiæ fortunæque non malè fortaſſis Deus, malos inter bonoſque promiſcuè diſpertierit, non congruentiùs ſaltem, meliùſque vni tantùm ordini fuiſſent aſſignandæ. Nam quod non malè, imò benè factum eſt, meliùs tamen fieri poſſe, non repugnat. Itaque irritemus diſtributionem Dei, omnibuſque detrahamus bona omnia, imò & mala. Iſtud iam in quæſtione eſt, non cui danda ſigillatim, nam id nimis longæ conſultationis eſt, vti vidimus, ſed cui ordini. An ſolis omnibuſque bonis bona, an verò bonis omnibus ſoliſque mala: malis autem an ſolis bona, an ſolis danda ſint malis mala. Nihil enim ampliùs quærendum reſtat, nec alia inuenietur diuiſio, præter eam quæ iam eſt. Propoſita eſt quæſtio. Igitur ſi placet, arbitrare; & vide an non in maximas implicandus ſis difficultates. Dic tamen ſententiam. 35.

Mala non eſſe danda ſolis malis

Ego verò, inquis, ſic ſtatuo, manifeſtam eſſe rem. Bona certè omnia malis & peruerſis omnibus abiudicantor; malis verò & 36.

calami-

calamitatibus, omnes omnino opprimuntor, sic iudico sic statuo. Quis enim dementi arma non eripiat, quibus & se & alios in perniciem, iis malè vsurus trahat? Ita tu, & quidem magnô fastu. At verò, an id è re publicâ futurum putas, & verò etiam quod maximè spectandum est, è re Diuini Numinis? Quis id dubitat inquis? Imprimis ego. Si enim modò tot beneficiis allecti à Deo & implicati peccatores, nihilominus tam impudentes sunt, vt barbarum in morem ei rebelles sint, eiusque tam sancta imperia detrectent; in quantam eos impudentiam abituros censes, si injuriis à Deo se peti existiment; existimaturi procul dubio, si cuncta sibi bona eripi persentiscant, & præterea non ferendis calamitatibus inuolui? Effrontem si se mendicus præbeat eleemosynam lautam cum accepit, benefactorisque sui oculos impudenter inuolet; quid demum ab hoc scelesto capite expectari potest, indonatus si dimittatur, & quod peiùs est mulctatus malè? Non igitur è re & honore Dei erit ista diuisio. *probatur, quia idnõ erit ex honore Dei.*

37. Non etiam è re publicâ: si enim modò scelerati illi, cùm diuitiis abundant, nullaque vllius rei nisi virtutis penuriâ premantur, de impietate tamen suâ non erubescant, fraudes conscientiâ reclamante nihilominus texant, iustitiam corrumpant, & pessumdent: quid demum illi, paupertate extremâ cogente, non audeant? Certè cùm in omne nefas proiectum sit eiusmodi hominum genus, neque quid conscientia dictet, quidúe Deus imperet, magnopere soleant attendere; furtis, latrociniis, & bonorum deprædationibus complebuntur omnia: scelerisque tantis necessitas & paupertas, neque planè abs re, prætexetur. *Nec ex bono rei publicæ.*

38. Video, inquies, erraui. Bona itaque, ne pessimi euadant qui mali sunt, sceleratis omnibus, & solis posthàc, & quidem profusè ingeruntor. Quid enim? Sæpiùs sanè me audisse memini, & verò etiam sacræ Paginæ testimoniis comprobari, diuitias ruinæ causam optimis cæteroquin viris, sæpenumerò præbuisse. Subtrahenda igitur ipsis est mali occasio, vt semper boni sint. Scelerati verò cum iam orco se deuouerint, ea possideant, nocere possessori quæ possint. Neque si supplicia æterna, quæ euasuri non sunt, malefactis augeant, curandum est magnoperè. *Non etiam solis malis bona dãda sunt.*

39. Priori hic arbitratus non est absimilis. Quis enim non videat, quòd si nemo diues esse posthac possit, nisi sit sceleratus, sceleratos illico forè quamplurimos, vt sint diuites? quod si

iam, vbi bonis esse datur & simul diuitibus, multi nihilominùs, vt diuitias sibi parent, sectantur scelera; quid tum futurum reris, cùm ad opes non nisi per scelera patebit via? Infinitos sanè à rectô virtutis tramite auocabit, & in omne vitium naturâ suâ procliues præcipitabit, certa illa sceleratisque solis proposita diuitiarum spes. Fatere igitur iterum errasse te, & nec malis solis bona, nec adeò solis & omnibus mala esse ingerenda.

Neque omnibus iustis danda sunt bona.

At cum bonis tam benè affici videare, neque absque causâ, 40.
cum & te inter bonos sine dubio connumeres; quid illis agendum censes? Diuitesne vis vt sint omnes, an vt omnes pauperes? Diuites, inquis, vt sint volo, & quidem omnes, & quidem solos. Intelligo: rem tuam agis, & pro domo tuâ; nam inter bonos te recenses. Sed pace tuâ dixerim, id certè Deo non erit vsque adeo honorabile: infinita enim hominum congeries, honestatis virtutisque partibus adiiciet animum, non vt Deo, sed vt cupiditati suæ obsequantur; nec iam piè Deo viuetur, sed diuitiis, quod rectè Augustinus admonet: *Permixta* inquit *ista temporalia Deus esse voluit: quia si bonis solis ea daret, putarent & mali propter hæc colendum Deum*, quod sanè si rectè expendis, non est Deum colere sed se. Adde, si vt rectè paulo ante monuisti, boni omnes essent opulenti non omnes in arrepto virtutis tramite perseueraturos. Multos enim diuitiæ perdidêre; neque omnes eô sunt cerebrô, vt sine capitis vertigine fauentem fortunæ auram sustinere diu queant. Augerent itaque, vt vides, diuitiæ bonis omnibus passim & temerè concessæ malorum numerum; & sic cùm bonis fauemus, multiplicamus malos. Aug. in Psal. 66.

Nec etiam omnibus bonis ingerenda mala.

Pauperes ergo sint omnes, inquies, vt semper boni sint. Vo- 41.
tum bonum est fateor, sententia vero non bona, imò pernicioſa quàm quæ maximè. Nam si nunc, quando boni, vitæ huius commodis opibusque minimè excluduntur, tam pauci tamen sunt Deum virtutemque qui sincerè colant, quàm paucos tunc futuros arbitraris, vbi sanctos mores certô certiùs consecutura est misera paupertas? Quis tum malus peruersam vitam in meliorem commutabit, & ad bonorum ordinem transiliet, si illico ex opulento futurus est miserrimus, & vt bonorum numero adscribatur, dimittenda videat bona, quæ non nisi sceleratis fas sit possidere? Interim si bonorum nemo diues, nemo potens, nemo opulentus, quis Religionem fouebit opibus? quis templa construet,

ſtruet, quis dotabit ſacras domos, quis altaria procurabit? ſceleratis ſcilicet impiiſque hominibus ea incumbet cura. Ipſorum denique tyrannidi quis reſiſtet, ſi nemo potens bonus? quis eorum impudentiæ ſe opponet; quis virtutis defenſor, quis ſolatio oppreſſis futurus, ſi nemo iuſtorum potentiæ quidquam habeat, & omnis cum diuitiis. vti fieri aſſolet, auctoritas, omnis vis, omne imperium, ad ſolos impios fuerint deuoluta? Vides iam certè, ſi quidquam vides, neque malos omnes pauperes eſſe poſſe, neque omnes diuites: & longè minùs, bonos rectoſque homines, aut omnes diuitiis cumulandos, aut paupertate omnes miſeriiſque eſſe implicandos.

42. Video inquies, ſed quid agam? quo me vertam? illud tantùm occurrit modò, vt omnium fortunarum æqualis fiat inter omnes diuiſio. omnes pari gradu ſint, diuites, opulenti, & felices; nec quidquam ſibi detractum obmurmurent boni, nec quidquam bonis adiectum conquerantur mali: tum ſanè ceſſabunt indignantium voces, obſtructæque argento querimoniæ contiteſcent. Verùm vtinam tacuiſſes tu ipſe vir minimè male! Hic enimuero omnium quos protuliſti dementiſſimus eſt arbitratus, prout ſecuturo Tractatu planum faciam. Omnia dum æquas, perturbas omnia; & dum cuncta facis paria, peruertis ſingula, & perdis vniuerſa. Hæc porro deinceps, vti dixi: nam diſſoluendus eſt in præſentiarum hîc hominum cuncta arrodentium ridiculus Senatus. cras agentur reliqua.

43. Illud tantùm nunc ex hac ratiocinatione colligam, abs re eſſe quòd me aliena felicitas, aut etiam aduerſa fortuna angat, ſollicitum habeat, & perturbet. Rurſus ab omni ratione longè alienos eſſe ſermones illos, quibus otioſi quærimus, cur boni deprimantur, cur mali floreant: cur ſi aliquibus bonis bene ſit ab opibus, & à re domeſticâ, non ſit omnibus: cur ſi malis aliquando futurum eſt malè, non ſit modò: cur ſi plectantur aliqui, non caſtigentur vniuerſi? illud enim iam oſtenſum eſt, vniuerſim magno conſilio & ſanâ ratione, ſceleratiſſimo cuique ſpes etiam maximas fuiſſe ingeſtas: deinde etiam, non aliâ quam tam inæquali malos inter bonoſque ſortitione, bona vel debuiſſe diſtribui, vel etiam potuiſſe. Quòd ſi verò veritatis huius vim percipio, tum ſanè huius ſceleſti & illius impij, & tertij nimiùm inſolentis felicitati, opibuſque quantumcumque flagitioſi homi-

Itaque nemini felicitatem quàm habet inuide.

nis facilè acquieſcam; nec inuidebo. Si malus eſt, & tamen dîues; diues eſt, vt bene faciat, & tandem bonus fiat: felicem facit Deus, vt ad ſuum obſequium beneficiis peruerſum alliciat. Obſequi ſi noluerit, aliqua eius bona remuneratur, ne quidquam in extremo iudicio poſſit exigere, vbi plena ſcelerum ineunda eſt ratio, & integra ſuppliciorum ſubeunda eſt menſura. Quid nunc nequidquam turbor? *intelligam in nouiſſimis eorum.* iſthic toti mundo fiet perſpicuum, non niſi prouidentiſſimâ Dei ordinatione, hæc ſic fuiſſe diſpoſita; ſanctiſſimâque prorſus ratione id factum, vt rationes Diuinæ Prouidentiæ nos laterent. Prouidentiam hanc colo, & ſecurus ſum; hanc veneror & felix ſum; hanc adoro & beatus ſum. Omnia ſic fecit, qui fecit omnia; & vt faceret omnia, ſic eſſe voluit ſingula. Iuſtus eſt, qui ſuum cuique dat; Prouidus, qui cuncta recte ordinat; Sanctus, qui non niſi rectiſſimum finem operibus ſuis habet præfixum. Itaque *Benedicite omnia opera Domini, Dominum,* & quidem *Ex hoc Nunc* ignorantiæ meæ, *vſque in ſæculum.*

TRACTA-

TRACTATVS VIII.

Pusillum & magnum ipse fecit: & æqualiter est illi cura do omnibus. *Sap.6.*

Ostenditur & bonos & malos promiscuè inter se habitare debuisse. item non bona fortunæ modò, sed & dotes corporis & animi hominibus non æqualiter debuisse dari. Itaque ne te affligant defectus, nec miseriæ alienæ, aut etiam propriæ.

PROOEMIVM.

DE omnibus curam æqualem quod gerat, nullius personæ exceptor Deus, tam id quidem verum est, quàm verax est ipse Deus, qui id suo ore restatur, & verò etiam factis comprobat. At quis id sibi persuaserit, inquies, qui tantam non in reliquis modo creaturis, sed & inter homines ipsos rerum omnium, non fortunarum modò, sed & corporum, ingeniorumque varietatem attendit? An verò eandem filiis suis curam adhibere censebitur parens, qui vnum quidem studiis magnô impendiô applicat, alterum verò ad quisquilias, & plebeiorum fæcem abiici, vt laborando malignè victitet? si pater est communis, communes si sint filij, cur non communis fauor? Hæc Deum rursus impetit querimonia. Audienda est omnino, & porro detergenda. Quòd vt ordine agam, prout præcedenti Tractatu de fortunæ bonis egimus, ostendimusque ea neque bonis neque malis solis potuisse erogari, sed promiscuè; ita & hoc ipsum magis dilucidandum est, & demonstrandum præterea, hoc quoque omnibus tum corporis tum animi dotibus prorsus conuenire. Ostendam verò sine hâc ingeniorum, indolis, humorum, corporum, conditionum varietate, nec orbem sustentari

ſtentari potuiſſe ; nec verò etiam hominum æternam ſalutem conuenientius potuiſſe procurari. Ex quo illud fiet conſequens, neminem alienis malis, ſeu ex naturæ vitiô, prout ſunt faſtidioſi conuiuentium mores, ſeu etiam ex fortunæ mutatione oriantur, imò ne ſuis quidem debere quemquam magnopere perturbari.

§. I.

Proponitur ingens hominum, non fortunis modò, ſed naturæ dotibus, moribus, indole, ingeniô inter ſe differentium, & nihilominus inter ſe promiſcuè habitantium varietas, multarum perturbationum cauſſa; verùm homines inter ſe tam varios, promiſcuè ſibi conuiuere debuiſſe oſtenditur.

Proponuntur querelæ, quod in hominibus qui tamen naturâ pares ſunt, tanta ſit nihilominus, diſſimilitudo,

GRatias omninò maximas, iniuſtis licet hominum de Dei Prouidentiâ conquerentium vocibus : quô enim querimonias magis accumulant, eaſque accuratiùs expendo, eô magis illa mihi, pleniuſque eluceſcit. Iniuriam ſanè maximam humano generi feciſſe videtur Deus, dona ſua, naturæ inquam munera, tantâ inæqualitate inter homines quòd diſperſerit ; iniquum enim eſt, inter æquales æqualitatem non ſeruari. At ego id aſſero, nunquam æquiorem ſe hominibus præſtitiſſe Deum : æquiſſimumque fuiſſe, varietatem tantam & inæqualitatem, quòd induxerit. Quod clarè vt expendam, audiendæ ſunt priùs conquerentium voces ; ne muſſitent denuo inauditos eſſe condemnatos ſe. 1.

In bonis fortunæ.

An non id ſtupendum inquies, quòd cum homines primâ origine & naturâ pares ſint, tam impares tamen eſſe non fortunæ modò, ſed & animi corporiſque dotibus ? quaſi ſi natura, quæ omnium communis mater eſt, non paucis fuerit rigida nouerca. Hæc quidem perturbationum inter nos, & non minima eſt origo. Quid enim ? imprimis (inde tamen id conſequitur) vnus pauper eſt alter diues, quod quidem fortunæ eſt. Tamen vt vt ſit, vnus commodis vndique diffluit, lautè comedit, ſtertit ſine curis, fora obambulat nullius rei ſollicitus, latè imperat, ſeruos habet ad nutum obſequentes ; denique viuit, oblectatur curis vacuus, 2.

vacuus, deliciarum plenus. Alter interim non viuit, sed ad dimensum quotidie victitat, nullus ei prouentus nisi quem manus rigidæ callisque dant obductæ; nullus ei fructus prouenit nisi quem rigauit immanis sudor: & tamen homines sunt naturâ pares, conditione similes.

3. Deinde, vnus quidem vir est, hoc est, robustô virilique corpore, alter fœmina plurimis certè, præ viro, corporis implicata incommodis. Et inter hos iterum summa est varietas. Aliqui namque, membris sunt benè compactis, bonâ valetudine, corpore contra aëris inclementiam probè firmato: aliqui, carne tam flaccidâ, viribus tam remissis, capite tam poroso, vt minimâ perflentur aurâ, & in catharros toti diffluant. Ah non tamen ex eâdem omnes eruti terræ massâ? quî fit ergo, vt in tam dispares testas lutum tam simile, idem planè figulus coegerit? certè paria eademque, pari modo eodemq; labore poterat efformare. *In corporis robore & constitutione.*

4. Præter hæc, quanta Deus bone in singulis est geniorum, ingeniorumque diuersitas! stupidus hic nihil percipit, ad omnia cœcutit, merum stuporem dixeris: alter perspicacissimi est ingenij. Rursus inter hos, mira multis faciliſque in percipiendis rebus est agilitas, sed in retinendis fallacissima memoria; alijs ingenium sit licet tardius, peruadunt tamen studiô & perrumpunt omnia, eaque quæ semel mente complexi sunt, memoriâ retinent tenacissimâ. Rursus non omnibus studijs, eadem eodem modô apta sunt ingenia; quædam his, his alia percolendis magis sunt accommoda. Denique qui bonô valet ingeniô, iudicio sæpè est exiguo, sæpè exotico, sæpius nullo: quibus in percipiendo ingenium, & iudicium in discernendo, non raro deest memoria; & tandem quibus est animus ad omnia compositus, ijs deest corporis valetudo, animæ agentis necessarium instrumentum. *In ingenio & animæ dotibus.*

5. At verò magnum illud geniorum, indolis, morum, animorum ad varia inclinatorum dissidium inter homines qui consideret, id sanè inueniet, ne duos quidem reperiri in toto terrarum orbe sibi constantes, sibique similes. Id verò quis ferat? hinc iurgia, hinc dissidia, hinc auersiones mentium, hinc animorum perturbationes. Vnus enim faceto liberalique est ingenio, alter malancolico, sibi alijsque tetrico: ille iocis delectatur & cantibus, huic ista fastidio sunt, lacrymis oblectandum credas: *In moribus & affectionibus.*

das: hic tardus est linguâ, manibus remissus, toto corpore lentus & frigidus, neque facilè hominem moueas nisi vi propulsum; ille vegetus, alacris sanguine, in agendo celer, fertur suo genio promptus ad omnia, sibi semper similis, semper lætus. Illum si tantillum moueas, illico in ignes dissilit, in furias agitur abreptus irâ; hunc omnibus cõmendat ingenita mansuetudo. Illum comitas, affabilitas, facilisque genius cunctis charum faciunt & amabilem; hunc verò rusticitas, inconditi corporis motus, insulsique gestus cunctis inuisum reddunt, in syluas ablegandum proclamant omnes, vbi *Rudi puer excidit alno.* En quanta hominum varietas, quàm dispar omnium conditio. Et inter hos dum viuitur, quis possit placidè viuere?

Imò in eodem homine, pro rerũ varietate tanta variatio.

Lamentari, vt video, rursus incipis. Verùm an dixisti omnia? 6.
an omnem mouisti lapidem? Haud reor; nam illud prætermisisse non debueras, quod tamen maximum querimonijs tuis dabit pondus; diuersitatem hanc tam variam tamque intolerabilem, non in diuersis modo hominibus reperiri; sed quod pessimum est, & in vno eodemque homine, pro rerum temporumque varietate, varios reperiri homines, inter se maximè dissidentes, semper varios, rarò eosdem. Hæc sanè res est, vt feratur, difficillima; quæque rectam conuiuentium societatem, imò ciuitatũ ordinationem probam, ciuiumque coniunctionem reddit prorsus difficilem. Si enim suis homines moribus constarent, genioque constanter & mordicùs inhærerent, scio ego, inquis tu, quô pactô forent omnia ordinanda. Ain verò scis? age porrò, ordina.

Huic incõmodo stultè credis obuiari posse, si similis genij homines simul habitent.

Quod si, inquis, melancolico qui sunt genio semper tales fo- 7.
rent, qui lætâ indole semper læti, iracundi semper colerici, ad studia propensi semper sibi constantes & sic deinceps; tùm sanè ciuitatem totam in compita vicosque diuiderem ego, statueremque vt omnes, qui eiusdem genij sunt, ijsdem in vicis quasi tributim habitarent; vt modò solent veteramentarij veterumque vestium interpolatores. Sic ergo Iouiales illos genijque lepidi homines, in vnum vicum compingerem; isthuc musicos, isthuc cytharœdos, isthuc victores, isthuc vina, isthuc coquos, isthuc bellaria, isthuc parasitos, isthuc aleas, isthuc tessulas, omniaque oblectamentorum genera per classes suas ritè disponerem. Sanè sic compositi viuere poterunt pro geniô suô, cantare

ad

ad rauim vsque, saltare dum toto corpore sudor diffluat, idque sine tetricorum hominum murmurationibus aut impendio, qui sibi semper occlamant obtundi caput, cùm quis agit lepidè, aut loquitur iucundè.

8. Deinde verò, hisce rectè ex sententiâ compositis, omnes illos Saturni æmulos, melancolicos, inquam, quibus nunquam ne sibi secum quidem conuenit; silicernia, terræ pondera, quibus caput nigris semper oppletum vaporibus & talento grauius in terram propendet, in extrema amandarem vrbis compita, Septentrioni, frigido nimirum vento maximè exposita? ijsque vespillones, libitinarios, sandapilarios, & quotquot corporibus sepeliendis impendunt operam, interfererem; tetricos quoque rerum omnium
6. indagatores & censores, qui murmurandi materiam vndique conquirerent. Illic sanè admurmurarent, arroderent & se & omnia pro suo libitu; sterterent, plangerent, lachrymarentur, sine audientium inuidiâ aut fastidiô: omnes enim eiusdem sunt genij.

9. Iam verò bellicosos illos, illos Martis pullos, quibus exæstuat bilis, & ira est feruentior, quos bella delectant & iurgia, quis non iudicet vnà compingendos? habitent certè inter eos cultrarij, ensium armorumque politores, per me licet, vt instrumenta genio suo apta ad manum habeant. Isthic narrare poterunt bella, & quibus interfuêre prælia; isthic noua poterunt concitare bella, iurgari, clamare, & rixis miscere omnia; pugnare si libet denique, & mutuis sese vulneribus confodere. Agent certè pro suo genio, nec vllius nisi suo impendio.

7. 10. Sapientes autem viros, non est dubium, quin vnà necesse sit conuiuere, vt conferant studia, vt se animent, vt extra strepitum sint tumultuosè debacchantium, vt moderatè agant inter se, & fructum quæsitæ & inuentæ iam sapientiæ securi percipiant. His verò bibliopolas, librorum excusores, librarios, amanuenses coniungi debere, non attinet me dicere; res ipsa loquitur. Funginos denique homines, ne sapientibus molesti sint, tetrica inquam capita, quibus cùm parum sit rei, multum tamen verborum est; stultos aut semistultos clariùs dixerim, qui nihil non effutiunt, nunquam non garriunt, sine vllo aut ingenij, aut iudicij acumine, psittacos dicas aut loquaces picas, desultoriè, quod ob os venerit, proclamantes; hos inquam omnes ne Sa-

pientibus posthac obstrepant, in insanientium domum, aut si domus vna non sufficit (nec verò sufficiet) vicum inquam integrum, eumque benè magnum, ablegandos omnino censeo. Isthic sibi sapiant, donec insaniunt. Hôc modô prouisum erit reipublicæ. Nunc verò vbi omnes habitant promiscuè, quid tandem tranquillitatis sperari possit? Sapit vir, insana est vxor; liberi scelerati, & in omnem voluptatem propensi domum complent clamoribus; turbatur iocantium cachinnis auus, multis iam ab annis putridus senecio; rixantur serui, insaniunt vicini. An hæc est forma, benè & in ordinem digestæ reipublicæ? quis id patienter ferat? cui, vt maximè velit, tot inter turbas dabitur esse tranquillo?

Refutatur hæc insana distributio.

Ah miseros nos mortales! vt desipimus, cùm nobis sapimus! quas non ineptias congerimus, cùm cogitationibus nostris ablandimur, iisque frænum remittimus! Verùm vt paucis hoc absoluam, quod tantùm absurditate suâ nouitateque placere potest: dic quæso castrorum metator, vicorumque designator acutissime, in quô vicô tute tibi domicilium conquireres? Iniurius sanè sum homini, id qui rogo: hominem enim verò longè supra vulgus sapientem alloquor. Quis dubitet igitur, quin in sapientum vico domus ei collocanda sit, & quidem non vulgaris? Ita sit, isthic habita. Iam verò, vxorem tuam in quem vicum amandabis? Rides hîc, sat scio, & ne de hâc quidem dubitari posse illico clamas: in insanientium, aut certè non rectè sapientium ingentem vicum, ablegandam prorsus, & quidem quantocyus. At quâ de causâ? Quia desipit inquis, aut quod parum distat, sapit vt fœmina. 11.

Ain verò tu? & ego quidem cum bene calculos subduxi, aio in stultorum compita compingendum te; illam verò in sapientum esse deducendam vicum, & quidem honorificè; neque enim & isthic deessent fœminæ. Miraris quod id asseram? rationemque exquiris? Dicam. Tam sapiens cum sis, omnia vt rectè potueris ordinare, certè stultam tibi copulasse fœminam, non nisi extremæ id est dementiæ. quis id non videt? vxor autem tenuitatis suæ sibi conscia, sapientem virum qui sibi præsto foret, quòd delegerit, ea demum summa dicenda est sapientia, igitur si stulta est, sapuit stultè, cùm tu sapienter desipis. Quid hîc repones? vtrum vicum destinari tibi autumas? certè neutri es aptus. non 12.

insanien-

insanientium profectò, quia sapis hercle, sapis quàm qui maximè. non etiam sapientum; quia dum sic sapis, insipienter prorsus agis. Vos litem hanc domi quisque suæ, si vultis, dirimite. ego iam istud ago; aioque hinc ipsissimam rationem clarè deduci, cur tanta geniorum varietas, non in classes quæque suas sit distinguenda, verùm miscenda promiscuè: sic vt pauperes diuitibus, amæni melancolicis, iracundis mansueti, incultis & rusticis vrbani, malis boni, sapientibus stulti, stupidi acutis intermixti, vnam pariter constituant, nec interpolatam habitatione rempublicam.

13. Nam, vt cætera taceam incommoda, quantam putas exoriturum illico tumultuantium hominum tempestatem, vt executioni mandaretur hæc res? quis se rusticum, quis se iracundum, quis se melancolicum, quis se lentum, quis se insipientem fatebitur, cum nemo sibi non sit sapiens, nemo non mansuetus, nemo non elegans? sanè per vim sese mutuo è compitis eiicient homines, vt quisque quòd vult occupet; mutuisque sese vulneribus conficient, de loco sibi debito dum disputatur: sicque confectus extinctusque erit orbis, antequam in suum ordinem rite sit discretus. En vt exercitum totum deles castrametator egregie, castra dum tam stultè dispungis & metaris.

Neque possibilis est, ob hominis inconstantiã & pro diuersitate rerum, varietatem.

14. Iam verò, vt dicere institueram, vt ita foret, totumque mortalium genus in classes suas pro moribus, & genio cuiusque foret distinctum, tristesque tristibus, lætis læti, mali improbis, probis probi, irâs eruentes iracundis, mansuetis mãsueti, stultis insipientes, sapientibus modestè sapientes cohabitarent, vnaque conuiuerent; sit ita, per me licet. At quamdiu credis duraturum eiusmodi commercium? ne diem quidem vnicum. Tanta est enim, non hominum tantùm, sed & vnius hominis varietas, vt vix vnâ sibi constet horâ; semper est varius. qui diem hodie ducit lætus, crastinum tristis exiget; nunc bilis, vel atrâ, vel flauâ vrgemur: nunc perplacent omnia, nunc displicemus ipsimet nobis; nunc cantus nos delectant, nunc auribus officiunt; nunc ad omnia exporrecti & agiles, nunc nobismet-ipsis lumus oneri. Quòd si ergo pro geniorum, morumque diuersitate, designanda est habitatio, quotidie mutandæ sunt ædes; neque quidpiam totâ vrbe videbimus, nisi vltro citroque migrantium insanas discursationes.

Ita est. vix vnquam vitiô nostrô id sumus quod sumus, aut esse quod debemus. præterquam quòd tanta præterea sit, non genij modo, sed & fortunæ nos circumstantis, morborum ingruentium, euentuum nos prementium varietas, vt iidem, licet maximè velimus, esse vix possimus. iam volumus quod noluimus; iam amplectimur quod horrebamus; iam timemus, iam amamus, alia semper atque alia; alij semper atque alij. voluitur & immutatur homo, *Et nunquam in eodem statu permanet.* Non igitur in mores aliorum quibuscum tibi conuiuendum est, perturbationis uæ causſam reiice, sed in tuos. Neque illud oggeras cùm tali mihi pax esset, illi viro pacificè conuiuerem, hæc vxor ex meo genio esset, cum hoc amico vitam ducerem iucundissimam, tranquillitas foret æterna. Erras inquam, erras quàm qui maximè. nam & tuus tibi mutatur genius, & is qui modò perplacet amicus, mutatur vt tu; nam & homo est similis tui, varietati vt tu obnoxius. Consonent, licet fides, dulcemque edant sibi consonæ symphoniam; quid tamen concentûs ab iis exspectari potest, si mutantur singulæ, nec statum, quem ars dedit, mordicùs retineant? remittit se vna, altera in altiorem assurgit tonum, & sic tota interturbatur harmonia, vbi concordiæ non est constantia. Non igitur putidè conqueramur posthac, tam diuersis hominum geniis & conditionibus quòd conuiuamus; ita certè fieri vt videtis oportuit. id tantùm agite, quod, vt non turbemur hominum à nobis dissidentium vitiis, opportunè monet Apostolus, *Alter alterius onera portate*, quæ euitare non potestis, *& sic adimplebitis legem Christi*, Deique sic ordinantis omnia, voluntatem. 15. Iob 14. ad Gal. 5.

§. II.

At inquies diuersitatem illam indolis, conditionis, & geniorum Deus inter homines inducere non debuerat. Proponitur obiectatio: omnia scilicet æqualiter diuidi debuisse.

Omnia incommoda cessarent, inquies, si

ILlud quidem tandem fateor, inquies, hominum tam diuersæ fortunæ cum iam sint, tam varia corporum, animique constitutio, tanta morum, sanguinis, ingenij varietas, eos inter se misceri 16.

ceri debuisse, neque seorsim habitationem suam cuique generi debuisse assignari. Tamen difficultati occurrere potuisset Deus: occurisset autem, si eam quam inuexit hominum varietatem, conditionisque differentiam non statuisset. *Deus omnes homines fecisset pares & sin iles.*

17. Quantùm audio, rursus tu Deo consilia vis porrigere, & arbitratus in manum dare. An ergo, ea quam præcedenti sermone instituimus, tibi tam benè cecidit ex sententiâ consultatio, vt rursus audeas aperire os? De diuitiarum solâ diuisione agebamus; neque id potuisti rectè decernere, malisne solis & omnibus, an solis tantùm & omnibus essent tribuendæ bonis. Quod verò de diuitijs tunc dicebamus, id eodem planè iure de naturæ dotibus, corporis inquam valetudine, rectâ membrorum conformatione, sanguinis temperie, viribus, venustate. iudicij præstantiâ, morum æquabilitate; item de animæ constitutione, vt puta ingenij acumine, affabilitate sermonis, animi alacritate, quæque hæc omnia consequuntur, honore, muniorum dignitatumque præstantiâ, intelligendum est. Illud igitur maneat, prout præcedenti Tractatu decisum est, hæc omnia neque malis solis consequenda, neque deneganda etiam omnibus: rursus neque bonis omnibus dari omnia, neque etiam omnibus subtrahi debuisse. Nimis enim grauia ex illâ diuisione orirentur incommoda; quæ quidem omnia & singula, his quas commemoraui corporis, animique dotibus diuidendis, palam est etiam intercessura. Igitur neque malis & solis omnia, neque bonis aut solis aut omnibus, rectè potuere aut detrahi aut dari.

18. Quid igitur faciendum fuisse censes tu, qui huic, quàm iam videmus diuisioni, non acquieseis? Illud quod solùm restat inquies: omnes tùm fortunæ, tùm corporis, tùm animi dotes, singulis æquâ portione, diuidendas esse statuo. Æquales qui sunt iure & naturâ, æqualibus etiam naturæ vt fruantur bonis, æquum iustumque esse sentio. Hoc si præstitisset Deus, poterat autem nullo impendio, Deus immortalis qualem habuissemus orbem, quàm modestum, quàm pascificum! quàm quietam duceremus vitam, si sufficientes cuilibet essent opes! quisque suo viueret, nec inhiaret alieno admodùm; senatorum subsellia litigantium vocibus non perstreperent; non exaudiretur martius bellorum fragor; nec inuidentium fortunis alienis importunæ querimoniæ; cessaret iniqua contrahentium fides; iurgia non essent aut periuria; *Recensentur incommoda quæ tum cessarent.*

iuria; denique detersus foret, alienis opibus inhiantium, insanus labor. Suô quisque dimensô, eôque sat liberali contentus viueret; & hoc demum esset viuere.

Et commoda quæ inde oriuntur.

Quòd si præterea, vti maximè cuperem, omnes essent ingenio acuto & ad percipiendum facili, corpore sano & formoso vultu (& quid ni esse poterant) humorum sanguinisque constitutione temperatâ, animo alacres, moribus candidi, & ad amænitatem facti, affabiles, comes, humani denique & ad communem societatem nati: quanta tum demum esset mortalium felicitas, vita quàm iucunda! communis esset vita & amor omnium: paradisus certè foret miserum hoc exilium, quod quidem faciunt esse longè miserrimum tam sibi infensi genij, & inter se tam discrepantes mores. Iam verò omnia confusa cum sint, quid demum est humanum commercium, nisi merum Chaos? cui minus rei est, plus est inuidiæ; aliena rapit qui de suo pauper est: mortem quin imò etiam parentum aut optamus, aut acceleramus, eorum futuri hæredes: amorem vagum circumferimus, & odia transportamus, prout diuersa hominum occurrunt aut formæ aut ingenia: modò benè, malè modò cum amicis conuenit; modò oneri sunt, modò voluptati; modò gaudij præstant materiam, modò tristitiæ. Taceo cætera incommoda numero infinita, perpessu difficillima. Hinc exacerbationes animorum, hinc tædia, hinc tumultus, hinc perturbationes. Quæ quidem omnia quasi planâ detergerentur manu, nusquam si dispar esset conditio, omnes autem si naturæ fortunarumque æquali portione fruerentur. Id autem præstare cùm potuerit Deus, cur iam tantam inæqualitatem inuexerit, id sanè non video. Non vides? facilè crediderim; occupat enim tibi cerebrum, hoc ipsum quod detestaris, opscurum chaos. 19.

Refutatur hæc sententia duplici ratione.

Adesdum itaque maleferiatum caput, cum tuâ putidâ sententiâ. Paradisum tum denique futurum hunc orbem reris tu, cùm tuo confitus, & in ordinem digestus fuerit arbitrio? at ego id pugno, non merum chaos tantùm, sed & inferno proximum futurum hunc orbem; cum denique fore, quem describit Iob, *terram miseriæ,.... vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Iob 10. Assero itaque nusquam Diuinæ suæ Prouidentiæ admirandas *inuentiones*, vt rectè eas vocat Dauid, præclariùs & euidentiùs ostendisse, quàm in eâ tam dispari Bonorum Psal. 76. v. 13. 20.

rum omnium, ingeniorumque inæqualitate, & tam concordi geniorum discordiâ: illam verò fuisse prorsus necessariam, primò quidem ad totius humani generis conseruationem, vtpote sine quâ discordiâ mundus non staret: deinde verò ad salutem æternam mortalibus procurandam. Fidem mihi denegate, vtrumque donec planum fecero & euicero.

§. III.

Ostenditur sine maximâ opum fortunæque inæqualitate, genus humanum, licet condi potuisset, conseruari non potuisse.

21. ATque vt primum ordiamur caput; an non id cuique perspicuum est; quod sicut in microcosmo, humano inquam corpore, varia necesse est esse membra, & situ, & magnitudine, & præstantiâ, & officio admodùm inter se discreta, toti tamen corpori, aut alendo, aut sustinendo, aut dirigendo, aut promouendo inprimis necessaria; ita planè megacosmum, magnam hanc generis humani communionem, & quasi corpus ingens, ex diuersis admodùm constare partibus, quasi membris debuisse; vt non ipsa tantùm sibi constet vniuersitas, sed & singulæ conseruentur partes? satis enim constat, vbi toti corpori malè est; singula etiam membra protinus diffluere. Verùm hisce non inhæreo, res in confesso est.

Non enim potest conseruari genus humanum, sine magnâ munerum & officiorũ varietate.

22. Iam verò, cur Deus tantam inter homines conditionum differentiam inuexerit, cùm me importunus interroges, sanè cum D. Theodoreto & quidem eius verbis, *& ego te quoque lubens interrogauerim, cur non omnibus corporis nostri membris, vnam & eandem vim, rerum opifex indiderit? sed oculis quidem colorum & figurarum iudicium commisit; auditum verò, vocum & sonorum discrimina cognoscere voluit?* Et ita de reliquis deinceps membris statue & loquere. Quòd si rursus interrogem, cur stomacho incumbat cibos coquere & digerere, ori masticare & mandere, cur non & stomachus oculus sit, & os, & manus, pedesque: denique cætera membra, cur non sint oculus, cum facilè in similem fabricam potuerint efformari? illico responsio tibi ad manum est, plura ad humani corporis constitutionem requiri, quàm vt tantùm

Theod. Orat. 6. de prou.

Quod probatur ex varietate membrorũ in corpore humano.

tùm videat : audiat enim, tangat, olfaciat, guſtet, phantaſietur neceſſe eſt; ad quæ præſtanda non ſufficeret, ſi totum corpus eſſet oculus. Et verò, oculo quis alimenta, quis ſpiritus præſtaret, niſi in corpore eſſet ſtomachus? quis eum ad plura videnda circumferret, niſi pedes forent? Idcirco tam diuerſa corpori membra dedit ſapientiſſimus artifex Deus, quia vnum tam multis exercitiis non ſufficit : neque verò, niſi alterum alteri præſto ſit, vllum profecto, vt diu ſit, ſufficit ſibi ipſi. Quod ſi autem diuerſa debuiſſe eſſe corporis membra fatearis, toti corpori vt bene ſit; ſuperuacaneum ſanè erit quærere, cur vnum alteri magnitudine præcellat, cur robuſtius, cur infirmius; cur vnum alteri ſitu, & pulchritudine, & mollitie, & decore præſtet; nam ſine hâc circumſtantiarum varietate, nulla erit membrorum differentia, quàm tamen fatebare corpori, oppidò neceſſariam.

Applicatur comparatio toti hominum communitati.

Auditores, eandem planè, quam in humano corpore, in totâ humani generis machinâ conſeruandâ & dirigendâ, Prouidentiæ vim exhibuit ſapiens Deus : eadem prorſus eſt, ſed hîc ad plura extenditur, iſthic ad pauciora contrahitur. Conſtat certè vnum ſine altero hominè, nec multùm nec diu poſſe ſubſiſtere, nequidem vt corpori neceſſaria ſufficiat : adeo miſer eſt homo, cum ſolus eſt homo. Communicatione viuimus, communicatione ſubſiſtimus. Pane vt veſcamur, terræ mandanda ſunt ſemina : terra vt proſcindatur, cudendus eſt vomer : excuſſum triticum molâ terendum eſt : pinſendus panis, committendus furno, furnus ipſe conſtruendus : texendi ſunt panni quibus tegimur ; ſcindendi vt corpori conueniant, conſuendi ne diffluant : conſtruendæ ſunt ædes, quas tu præterea inſtructas vis tapetijs & picturis adornatas : per varias mundi plagas inſtituenda ſunt commercia, vt à varijs terræ partibus, ſingulis benè ſit; nec enim omnis fert omnia tellus : tradendæ ſunt ſcientiæ, & quidem variæ, vt viris floreat reſpublica : expedienda arma, quibus contra incumbentium hoſtium ferociam defendatur. Alia infinita propemodum ſunt ejuſmodi, planè inter ſe diſtincta munia, quæ tamen, vt rectè & commodè viuamus, penitus requiruntur. 23.

Non eſſet autem ea munerum diuerſitas, ſi non eſſet diuitiarũ diſparitas.

Iam verò, quis non videat vnum hominem tot tantiſque rebus parem non eſſe, niſi ab aliis adiuuetur? An fortè tu ſeruilia quotquot ſunt, addiſcere vis artificia? etiam tonſtrinam agere, calceos conſuere, & exercere veteramentariam? & licet in hâc arte 24.

arte expeditus esses & eximius, an etiam panem pinsere, lateres indurare, calcem subigere, muros ad libellam erigere, cœmentariam agere tibi adlibeat, vt domum solus tibi exstruas? & si lubeat, an tibi ad tam varia satis esse temporis, putas, imò virium & industriæ? certè ego me illis sordibus non immergerem, inquis. Quid? diues forem & opulentus quantum satis: & an bonis non fruerer ego commodisque, quæ fortuna, & Deus erogarit? amens sim si id non ago. Itaque seruilia isthæc opera, aliis facienda demandarem; locarem operas, mercedem darem largiter: pecuniæ, vt scis, obediunt omnia. Næ tu planè deridiculum es caput! an fortuna tibi cerebrum ita dimouit, vt sententiæ quam tulisti memoriam excusserit? certè non te tantummodò diuitem, sed cæteros omnes, diuitiis consimiles tibi esse opportebat meminisse te, & quidem tuâ ex sententiâ. Quô pactô igitur tibi laborare vis eos, qui tuô minimè indigent? pares tibi diuitiis cum feceris, obsequio, laboreque cur tibi vis esse impares? & vt velis, quomodo id tandem impetrabis? Lepidè id pertractat Theodoretus. *Quo pacto*, inquit, *denique omnes æquales cum sint, & omnes opibus abundent, necessariorum inopiam, & vsum homines sarcient? aut quis si eâdem cum reliquis abundantiâ instructus sit, alteri seruire volet? quis inquam igni assidere, obsonia parare; quis item panes coquere, & molâ triticum conterere, nisi inopiâ & egestate cogatur, sustinebit?* Itaque si omnes æquè diuites, nemo alteri laborem præstabit vllum; te igitur & omnes colere artes, omnesque tibi ipsi exercere necesse est, vt viuas, non dico lautè & opiparè, sed miserè quoque & frugaliter. tu tibi sis omnia vnus necesse est, cùm omnes vnum facis.

Theod. sup.

25. Essent inquies, qui diuitiarum amore ducti, lucrandi studio operam suam facilè impenderent. Fateor; at si lucrentur nummum illi, tu verò nummum erogas, an non id vides, illico ditiorem futurum illum, pauperiorem te? igitur sublata rursus foret, quam tu tantopere commendabas, diuitiarum opumque æqualitas. Certè memorem decretorum tuorum oportuerat esse te: omnes volebas esse æquè diuites; & dum piger esse vis, ditiores alios facis, tuasque ipsemet leges infringis primus. Quòd si sic & alij agant, nonne quantocyus in orbem inducetur, quæ modò viget, diuitiarum inæqualitas? quid ergo incusas Deum, ob id, quod ne tuis quidem, quas condis, legibus poteris euitare?

24.

Necdum caput demittis, vir bone, & sententiam? minimè inquies; nam concordiam inire possent homines, sic vt vnus alteri præsto sit; idque liberaliter, nullâ nec pactâ, nec datâ mercede. Ceritum tibi cerebrum est vt video, & quid quæso obsequij alteri præstare tu ipse velles, labore improbo, mercede nullâ? Ego inquies alteri obsonabo; sit ille mihi à pedibus, imo & à calceis. At vero eodem iure, seruilia quæque officia à te exiget alter ille, lautè & opiparè obsonaturus tibi, calceos ipsi cum confeceris, aut colendo hortum, sudore penè cum diffluxeris, Quid dices? quid repones? iure ages; at apud quem? interim si propinsendo pane instituitur ista concertatio, timeo ne fame pereatis ambo, antequam lis ista decisa sit ad liquidum vter alteri pinsat panem. Stultum est planè & ridiculum, eiusmodi sententias mordicus velle defendere. Fatere id quod res est, diuersa debere esse & officia, & munia, & artes artiumque exercitia, vt genus humanum stet; neque diuersitatem illam primò induci potuisse, nisi fortunatum inter homines esset, & quidem ingens inæqualitas, 26.

§. IV.

Expenditur quanto artificio, tantam munierum differentiam, inter homines inuexerit Deus. atque hinc euincitur, ingeniorum & inclinationum tantam varietatem planè fuisse orbi necessariam.

Expenditur quanto artificio munierum diuersitatē, hominum communitati tā necessariam, inuexerit Deus.

AT verò, quis non obstupescat artem eximiam, quâ Deus, nunquam satis admirandam illam varietatem, orbi tamen tam necessariam, inter homines nihil eiusmodi cogitantes induxerit? Considerationè sanè res digna est, vt artificis industriam admireris. Pace igitur tuâ Magne & sagax Deus, cum Dauide *Meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinuentionibus tuis exercebor*, quas nemo inuenire poterat nisi tu: in iis autem considerandis exercebor, vt ea dum obstupeo, iis etiam acquiescam. 27. Psal. 76.

Sic tamen vt libertati vim non inferat.

A te ergo incipio importunè Censor, qui omnes, quotquot sunt homines eiusdem genij, & ingenij volebas esse. Annon, vbi tanta 28.

ta

ta officiorum ſtudiorumque requirebatur differentia, etiam ad diuerſa propendentium ſtudia, ingens exigitur corporum varietas, & animorum aliter atque aliter affectorum inclinatio? vbi ſinguli agunt omnia, nihil agitur, vt modo oſtendimus: vbi ſinguli agunt ſingula, expediuntur facilè omnia. Itaque neceſſarij ſunt quidam, qui manu laborent, quidam qui ingenio, quidam qui vtroque: quidam qui ſeruilia pertractent opera, quidam qui artibus ſeſe dent: quoſdam militia, quoſdam ſcientiæ requirunt; & hos quidem variæ rurſus varios: quoſdam rerum diuinarum, quoſdam reipublicæ exigit procuratio. omnes ſunt neceſſarij, nemo non requiritur. Quòd cùm ita ſit, illud etiam liquidò conſtat, eum qui laborat manu, ſtudiis non poſſe incumbere; nec qui ſe dat ſtudiis, eum ſeruili operi admouere poſſe manus, non ferrum cudere, non naues per maria deuehere, non Martem ſequi. Quid igitur conſilij, vt tanta habeatur inter eos qui naturâ pares ſunt, diſparitas? homines vi cogere, & ſingulos & omnes, id quidem eſt adynaton; & vero etiam libero arbitrio, cui vis adhiberi non debet, planè contrarium. En vt hâc ſeſe difficultate expediat, is qui ſcientiâ ſuâ,

Sap. 8. *Attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter*: Fortiter, quia quod ſibi beneplacitum, certò exequitur; ſuauiter, quia libertati humanæ vim non infert, eâ dum vtitur. Attendite ſi placet *adinuentiones* Dei.

29. Subtrahit primò opes, & corpori neceſſaria quibuſdam, quibus alios locupletat. hos verò, ſibi cùm ſoli non ſufficiant, diuites licèt ſint, ab aliorum operâ vult pendere. pauperes itaque, corpori ſuo vt proſpiciant, diuitiaſque, quibus carent, quærant; quantocyus ad artes, obſequia imò & ſeruitia liberè ac volentes applicant animum, vt ea, quibus indigent, ex potentiorum manibus emungant & eliciant; ſicque dum neceſſitati quiſque ſuæ, aut etiam cupiditati dum obſequitur, ſeruitur vniuerſis & quidem liberè. Incredibilis profectò prouidentiæ fuit, illa in orbem inuecta diuitiarum inæqualitas, per quam fit, vt dum differimus ſinguli, ſtemus omnes. Dum tu diuitiis alios, ſanè alius robore, arte alius & induſtriâ te ſuperat, quòd ſi itaque diuitiæ tuæ neceſſariæ ſint illi, cui vita eſt opera; certè illius tibi opera eſt neceſſaria, ſine cuius operâ tibi non ſtat vita; aut ſi ſtat vita, ſaltem non tam commodè. Quod ſi clientes, ſeruos, minoriſque

Diuerſitatem hanc inuexit, primò per diuerſitatē diuitiarū.

sortis homines, videris principum vitorum atria, necessitatis aut gratiæ conquirendæ caussâ obambulare, sanè & ego non semel vidi principum deauratas rhedas, præ foribus tabernarum stare, & vel necessaria coëmi, vel etiam prensari manus. Sic fit; nemo non eget, vtcumque diues sit: & tam indiget Rex pistore, quàm pistor Rege. Quàm parum id attendit humana superbia! quàm facilè is cunctos despicit, quô multi egent! quasi verò non pluribus indigeat. Quid igitur superbis homo, quid caput erigis? opulentus es, fateor; in dignitate constitutus es, ita sit: multi à te dependent, tu vicissim à plurimis. multi sine te parum possunt, sic est; sed tu sine multis, nihil. verùm his non inhæreo. Prouehenda est diuinæ industriæ consideratio.

Deinde cũ ea diuersitas sola nõ sufficeret, inducendo varias inclinationes animi.

Cùm itaque diuersa planè artium, studiorum, scientiarum 30.
adminicula orbi essent necessaria, non satis visa est sufficere tantæ varietati obtinendæ diuitiarum sola inæqualitas, vt alia quisque & alia sibi desumeret exercenda officia, etiam lucri caussâ. Quid enim? si quisque ad vnum aduertat animum? si omnes quotquot sunt ad laborandum applicent manus, vt victum comparent; vbi tum futuræ scientiæ? si omnes studiis incumbant; vbi tum futuræ operæ, vbi milites, vbi artifices? omnes igitur pecuniâ allecti, vnum tantùm si velint agere, perdita rursus est res humana. Verùm huic incommodo prospexit prouidus Deus. Inclinationes itaque animorum varias, naturæ inseruit artifex summus. aliis quidem subtiliorem submisit sanguinem; cogitationes exinde altiores, generosioresque spiritus, quibus ad præstantiora quædam supraque vulgus, euecti quasi à naturâ, aspirarent: aliis autem indolem cum sanguine inseruit crassiorem, tardioremque, quô sese humilioribus contenti, abiectioribus etiam libentiùs, quasi ad maiora inepti applicarent: mediam inter hos indolem aliis indidit, quâ nec nimiùm phantasmatis elati, nec etiam depressi nimiùm, medium tenerent iter; artibusque & scientiis vulgo expetitis, mentem aduerterent, iisque demum & non aliis exercendis, à victûs necessitate, aut etiam diuitiarum cupiditate allicerentur.

Et quamuis ingenita indoles, animi dotes, & ad diuersa stu- 31.
dia diuersæ inclinationes innatæ, consuetudine & familiaritate malignâ sæpè deprauentur, aut mutentur, sæpè etiam alienô exemplô præsertim domesticô excitentur; sæpè etiam vitiô nostrô

ſtrô deprimantur, aut ſtudiô virtuteque erigantur & emendentur; tamen ex variâ humorum, phlegmatis, inquam, & melancoliæ, ſanguinis item coleræque admirabili permixtione, geniorum varietatem, quæ inter nos eſt, originem ſuam ducere, experientiâ teſte ſit certiſſimum. Ex varietate verò geniorum in diuerſa propendentium, illico tam varius, aliud atque aliud agentium, exiſtit ordo: *trahit enim ſua quemque voluptas*: idque volupe eſt agere, quod ex genio agitur; quem ſi quis ſequitur, ſuum arbitratur eſſe longè pulcherrimum, aut certè viribus naturæque ſuæ accommodatiſſimum: & ſic parum ſollicitus quid agant alij, agit ipſe res ſuas, dum à genio ſuo agitur. Quod autem præter genium ſit, non agitur aut benè, aut diu. Is verò agit id quod agit, qui id agit, quod, dum agitur, delectat. Et ſic dum agunt omnes, omnes ſeruiunt, licèt ad id animum non aduertant; & dum ſeruiunt ſinguli, ſeruitur ſingulis, & benè eſt vniuerſis.

32. Manifeſtum eſt igitur, non omnem omnium hominum indolem aut genium, communem omnibus eundemque eſſe potuiſſe, vbi tam diuerſa requirebantur officia. Certè alia omnino phantaſmata debentur militi, alia ſanguinis temperies quæ audaciam ad perfringenda mortis pericula, vireſque corpori ſufficiat, ad militiæ labores perferendos: alia ſcientiarum ſtudioſis, inſtitoribus alia, alia tandem ſeruitijs & communi labore victitantium fæci. Niſi fortè aut milites omnes vis eſſe, aut inſtitores omnes; aut certè neminem ſuâ viuere conditione contentum.

33. Hâc ipsâ de cauſsâ mulierum ſexui, humano generi propagando imprimis neceſſario, aliam longè à viris indolem, aliud ſanguinis temperamentum excogitauit Deus. Longè illud deterius, mollius, & ſuauius; non rigidum ſed facile & flexile; non aſperum, ſed ad omnem miſericordiam propenſum. Hinc, ſi inconſtantes, teneriores tamen habent fæminæ affectiones, vt tantô facilius liberorum amore tangãtur & miſericordiâ flectantur; teneritudo autem amoris, ſi humano generi defuiſſet, quantulum Deus bone nunc eſſet humanum genus! quî enim fieri potuiſſet, vt tam incredibiles, in liberis præſertim educandis, labores ſuſtinuiſſent miſeræ, ſed vt ſibi videntur felices matres? tanta tædia, tot vigilias, tot inſomnia, tantam inediam,

Sic muliebrium corporum, & ſanguinis compoſitio alia eſſe debuit, quàm in viris.

tam edaces curas, quô demum animô perfregissent, nisi hæc omnia detersisset liberorum amor, quô delibutæ, non agunt modò quod agunt, sed agendo sic delectantur, vt non id agere, sit eis ipsâ morte molestius? At quô pactô afficientur benè erga infantem, quem nunquam neque viderint antehac, neque cognouerint? interim à quo mala plurima sunt perpessæ; quique sæpè numero nihil habet admodùm pulchritudinis quod delectet, multùm verò deformitatis quod auertat; imò qui modo natus, clamore incondito, lachrymisque importunis, ægram adhuc à partu molestat matrem. Quâ ratione, inquam, amabunt tam infaustum fœtum, nisi amor ille cordi, visceribus, & phantasiæ, ab altiori imprimatur manu, & quodammodo ingeneretur maternæ animæ? Rursus denique si sanguinis cerebrique temperamentum ijs tenerius, molliusque non sit, sic vt facilè impressionem amoris suscipiat, & imbibat; sanè aut difficile admodùm erit, ijs teneriorem hunc affectum indere; aut si indatur, facilè etiam, vt in viris fit, redeunte ad naturalem statum, qui amore motus fuerat, sanguine, species illæ quæ teneram erga liberos affectionem faciunt, obliterabuntur & euanescent, & cum illis maternus amor.

Hinc quidè aliquibus vitiis sunt obnoxiæ, sed quæ viri deberent necessitati condonare.

Fateor quòd eam ob caussam, molliori etiam sunt infirmioreque corpore, cerebro item teneriore, nec ad maiora percipienda aptè attemperato; rursus quòd iræ, tristitiæ, cæterarumque affectionum, præsertim subitarum impetus facillimè patiantur, facilè etiam remittant. Sed quid ages? non omnia possumus omnes; corporis sanguinisque id secum fert constitutio. Eam autem requirebat liberorum progignendorum necessitas, & vt vidimus alendorum amor; qui nisi fuisset tenerrimus, nullus fuisset. Tener autem esse non potest, vbi sanguinis temperatura robusta est & aspera. Hæc si viri secum accuratè perpendant, patientur illi facilè, quibus nimium exacerbantur, vitia in tenero fragilique sexu. Nimirùm excandescentiam modò nimiam, tristitiam modò exorbitantem, sermones quandoque non adeò gratos, & porrò etiam intolerabiles. Fœminam certè cogitent, sic à naturâ constitutam. & licet vitia, ratione corrigenda sint, id tamen admodùm est difficile, vbi vitia natura fert, aut si non fert, facilè suscipit. 34.

Quod quidem etiam

Verùm ne mulierum tantummodo caussam agere videar, vide 35.

de nunc quæ ex hâc doctrinâ consequuntur. Ingeniorum enim, hâc de causâ, sapientissimè, tanta inæqualitas à Deo procurata est, vt paruo contenti nec maiorum capaces, vilioribus se minus acuti & hebetes, læti tamen alacresque impendant obsequijs. Ingenioso enim homini, præcellenti iudicio, cæterisque animi dotibus prædito, manum textrinæ admouere, aut nescio cui à pedibus esse, id sanè foret admodùm intolerabile. Hinc ego rideo nonnunquam, stuporem hebitudinemque in seruis & ancillis, tam ægrè quod ferant tetrici quidam, nimiùmque fastidiosi heri. Stupidos sanè hebetesque oportuit esse, vt serui sint; & vt quod sunt, sine tædio sint. Neque enim si ingenioſi sint, si acuti, ei volent obsequi, cui, si dotes spectas, debuerant imperare. Voluntarium itaque facit esse obsequium ingenij tarditas, quod violentum redderet sola victûs conquirendi necessitas. *In seruorũ vtilis locũ habet.*

36. Deinde, robur viresque corporis inæquales esse, erat prorsus conueniens tantæ muniorum varietati inducendæ. Is enim qui validis est neruis, musculis benè compactis, toto corpore ad labores indurato, validiora arripit onera; maioris quidem lucri spe, arripit tamen ea & perfert, quibus alij sustinendo non sint: item, si tanti non sit ingenij, ea exercet, quæ licet maioris sint moliminis, minoris tamen sint industriæ: is verò, qui debilius sese corpus sortitum videt, facilioribus se impendit, aut ijs quæ plus ingenij requirunt. Sic qui ferrum cudere, cusumque in laminas deducere brachiorum lacertis non valet, digitos acui applicat, aut si industriâ valeat, etiam penicillo. *Ex sanguinis variâ temperie, varium in hominibus robur esse, necesse est.*

37. Tertiò; cùm ad hanc tantam officiorum diuersitatem, tanta temperamentorum distinctio esset necessaria, sanguisque tam variè miscendus, tantam etiam morborum differentiam exoriri erat necesse. Morbi enim cùm nihil aliud sint, quàm temperamenti dissonantia, humorumúe inter se digestorum discrepantia; certè vbi variæ sunt consonantiæ, isthic mutatione aliquâ factâ, dissonantias esse varias oportet. Et sic, alijs videas morbis melancolicos, alijs colericos, alios alijs exerceri; lentis illos, hos acutis, diuturnis aliquos, subitis alios doloribus vrgeri; quæ omnia diuersam corporis humorumque compositionem liquidò consequuntur. *Item alios atque alios morbos.*

38. Deinde, exinde oritur tanta etiam venustatis inæqualitas: oculorum viuacitas, aut obtusio; color roseus aut emortuus; cutis *Aliam denique atq; aliam corporis elegãtiam.*

cutis leniter expansa, aut in rugas contracta; mollities carnis aut scabrities; hispidæ genæ, aut glabræ; vultus denique totus seuerus aut benignus; suauis aspectus & ad amænitatem decorè compositus, aut ferox & ad horrorem factus. Hæc enim omnia variam illam humorum sanguinisq; iam defæcati, seu spirituum quaquauersùs toto corpore peruagantium varietatem, suo quasi iure comitantur. Quod quidem multis demonstrare non mihi foret admodùm difficile, inutile tamen instituto sermoni, vobisque fortasse non gratum. Sufficit id mihi, ostendisse me, quantô Deus sit vsus artificiô, ingentem hanc machinam, tam variis, tamque necessarijs adiumentis vt instrueret. Quod quidem in eo maximè est positum, vt cùm omnes agant diuersissima, omnes tamen ferè agant quæ volunt; & dum singuli, pro suâ libertate, in disparata abeunt, in hôc tamen omnes conueniant, quòd quisque sibi dum laborat, laboret omnibus. Quæ sanè vt haberetur difformitas tam vniformis, incongruè omnino dotes omnes tum fortunæ, tum corporis, tum animi, bonæ bonis omnibus, iniquæ verò solis malis fuissent dispertitæ; sed gratissimâ quâ modo fruimur varietate, promiscuè tradenda fuere tum bonis tum malis, ad totius vniuersitatis, quæ ex vtrôque constat ordine, debitam sustentationem.

Denique quia idem homo ad diuersa debet applicari, idcirco variam habet humorum cõstitutionẽ, & alius est atque alius diuerso tẽpore.

Iam verò facile erit intelligere, cur hæc ipsa humorum temperamentique varietas, non in diuersis modò diuersa, sed & in vnô eodemque prorsus homine variô tempore tam varia reperiatur. stupenda est res, sed ratio in promptu. Cùm enim non vni tantùm officio, aut actioni destinatus esset homo, sed ad varias, plurimumque discretas inter se; sanguinis quoque temperiem, ex quâ animi ad diuersa studia actionesque inclinantur, ijsque exercendis aptantur, variam esse atque diuersam prorsus fuit necessarium. Alia infantes agimus, alia pueri, alia iuuenes: Cùm enim firmari adhuc debeat corporis imbecillitas, & in maiorem molem excrescere; sanè rebus agendis, quæ sint seriæ, impendi non debuit puerorum sanguis, quique ex hoc exsurgunt spiritus. Ij in virili ætate aut filiorum procreationi & educationi, aut studijs aut artibus, alijsque rei aut domesticæ aut etiam publicæ, negotijs impenduntur; quorum omnium fructus in senectute satis malignè dum capimus, diffluente paulatim corpore abimus, alijsque locum damus. Cùm autem imbecillitas 39.

tas noſtra tanta ſit, vt non ſemper liceat arcum tendere, modò negotijs agendis vires intendimus, modò relaxamus; modò laborandum eſt, modò quieſcendum; modò colenda erga Deum Religio, modò erga afflictos pietas; modò noſtra, modò aliena, modò publica, modò priuata, agenda eſt cauſſa; modò in iram inſurgendum eſt, vt malis fortiter nos opponamus; modò in mœſtitiam flectendus animus, vt doloribus medeamur alienis, aut noſtros perferamus. Quæ cùm tam multa ſint, & tam inter ſe diſcreta, benè ſapienterque conſuluit huius fabricæ conſtructor Deus, vt & mutationi ſanguinis & humorum, imò aëris & ætatis, hoc corpus ſubiaceret; aliaſque atque alias tum vires, tum inclinationes, prout res gerendæ ferrent, animo ſubminiſtraret.

40. Neque rurſus aut aduerſam fortunam ſemper pati, aut etiam ſemper proſperâ gaudere homines voluit; nec paupertate incommodiſque vrgeri ſemper, neque etiam diuitijs lautitijſque affluere; nec hilaritate ſemper efferri, nec mœſtitiâ ſemper deprimi, aut omnes prorſus homines aut etiam ſingulos. Verùm hæc omnia promiſcuè diſtribuens diuerſis, & diuerſo tempore etiam ſingulis, iucundiſſimam hanc, ex tam vario concentu, compoſuit harmoniam. Vnus quidem *Baſſum* ſeu muſicæ inferiorem partem intonat, dum alter *ſuperiorem* occinit, ſuperioremúe agit partem; alijs interim medios tonos exprimentibus; & ſic vna fit ex tam diſpari concentu concordia, per quam totius vniuerſitatis ſtat muſica; neque facilè quis partes ſingulas rectè diſtribuet, niſi qui totius auctor eſt harmoniæ. *& aliam atque aliâ patitur fortunam.*

§. V.

Tantam conditionum, fortunæ, ingeniorum, & officiorum mutationem & varietatem, ſaluti noſtræ conducibiliorem eſſe oſtenditur.

41. LIquet igitur varietatem hanc tantam ingeniorum, fortunarumque, & quod inde ſequitur, officiorum, conditionum imò & ſortis, modò euectæ, modò humilis, modò proſperæ, modò aduerſæ, orbis ſuſtentationi imprimis fuiſſe neceſſariam. Verùm *Varietas hæc etiam ſaluti æternæ procurandæ fuit conducibi-*

lior; infelicitati enim perpetuæ succubuisset natura.

si & eam saluti nostræ æternæ maximè conducibilem viderimus, Deus bone quanta nobis hîc sese offeret diuinæ Bonitatis Prouidentiæque admirandæ, & vero etiam laudandæ seges? Id ergo ostendamus modò. Nolo autem eam partem demonstrandam assumere, quâ probandum esset, non debuisse homines semper deprimi, semper affligi, semper laboribus & quidem grauissimis implicari: id enim omnes mihi facilè dabitis, & verò natura pro me stat. non enim ideo natura fuit condita, vt ei semper malè sit; quòd autem iam ei malè sit sæpissimè, id verò naturæ sese deprauantis vitium est, non auctoris.

Felicitatẽ verò perpetuam nõ tulisset, sine Numinis contemptu & oblitione. patuit id in Adamo felice.

Illud præcipuè declarandum est, totam vniuersamque naturam non semper debuisse commodis, felicitateque frui, quod quidem ostendere est perfacile. Nam si deliciis, commodisque corporis omnes, & quidem semper abundassemus; miseros nos! quò tandem deuenissemus? in quam non, Deo rebelles, prorupissemus audaciam? An enim feliciorem, magisque naturæ consonam conditionem sibi quis possit effingere, quàm quæ primis obtigit parentibus? & tamen quid non sunt ausi! quàm citò conditoris reuerentia ex animo nimis fortunato, dolorumque adhuc ignaro effluxit? Diaboli commentum id fuit, inquies. Ita sit, verùm vt acutè Chrysostomus: *fingamus nihil Diabolum consuluisse, nihilque penitus Euæ de ligno locutum fuisse; num sine peccato perstitisset, si id ita non contigisset? Minimè verò; nam cui mulier tam facilè quòd volebat persuasit, ipse, etiam diabolo absente, ex se ipso quamprimùm in peccatum corruisset; quo maiori quoque pœnâ mulctari debuisset.* Id verò pulchrè probat. *Nam qui tam facilè*, inquit, *propinatam sibi ab altero deceptionem suscepit, is profectò & negligentis & laxi affectus fuisse ostenditur.* hinc ei, legem à Deo imponendam, eaque coërcendum fuisse docet. si enim *Adam voluntate & animo tam negligenti, prout fuisse ostenditur, nullum suscipiat mandatum, sed in deliciis & securitate persistat; ex huiusmodi licentiâ, imbecillitas tanta atque negligentia, ad meliorane an ad deteriora prorumpet? liquet profectò illum ad summum fastigium vitiorum euasurum, si absque curâ sit. Nam si necdum de immortalitate securus, eamque spem dubiam pendere non ignoranis, in tantam arrogantiam atque amentiam est elatus, vt Deus fieri speraret: istudque cùm id promittentem (Diabolum) nullâ ex parte fidelem cerneret: si firmam & securam immortalitatem* (nempe

42.

Chrysost. l. 1. de Prouid.

(nempe corporis) *consecutus fuisset, quò non progressus esset arrogantiæ? quid non peccasset? quando ille Deo obtemperasset?* Ita sapientissimè aureum illud os. Infelix fuit Adam, quia nimiùm diu felix; & tamen eheu quàm paucis diebus felix fuit! Quid optabilius amicitiâ & concordiâ? & tamen ea Adamum inter & Euam nimia fuit: ita enim amor ille emolliuerat viri animum, vt vxori ne displiceat, Deum non vereatur offendere. Vtinam importunitate suâ, non nunquam bilem marito Eua concitasset! vtinam iurgiis fuisset turbata pax domestica! certè non adeo timuisset vxorem offendere, offensus ipse aliquando.

43. Verùm an te Adamo sapientiorem futurum fuisse existimas? Tu illo sapientior, Adami infausta proles? liquet hoc profectò in tibi prorsus simili Cainò. Ne patris quidem exemplò doctus sapuit. *in doloribus pariebat filios* infelix mater, & in *sudore vultus sui vescebatur pane* exul pater, sicque sceleris sui pœnas miseri dabant. interim quid non egit impudens filius, vt documenta daret quâ esset origine natus? Iam illud vrgeo cum Chrysostomo. *Quid non fecisset Cain in paradiso degens tantisq; deliciis fruens, quando his omnibus priuatus, patrisq; supplicium ante oculos habens, ne sic quidem emendatus est: in tantumq; ineptiæ prorupit, vt homicidium ipse primus inuenerit, ausuq; nefario impleuerit?* quid ad hæc generis tui prima exempla respondes infelix homo! An tibi aurea pollicenti aut credam ipse, aut tu etiam credes tibi? Adam felicitate suâ spoliatus est, teste Chrysostomo, *quia ex honore sibi præstito deterior effectus esset, si post spretum violatumq; mandatum, immotus ille stabiliq; durasset:* & tute in Dei obsequio perseueraturum credis, si omnia tibi forent fausta & felicia? Longè sanè alia de humano genere, in tertiô Scientiæ conditionalium, quod exposui, volumine legit Deus. idcirco laboribus, ærumnis, indigentiæ, & morbis subiecit hominem, vt spiritus indomitos compesceret; læta tamen intermiscuit, ne illi prorsus opprimantur.

Imò & in infelicissimo Cain.

Gen. 3.

Chrysost. Ibidem.

Ibidem.

Tract. 4. & 5.

44. Interim quid agimus adhuc quotidie? etiam miseri, in Deum tamen intrepidè insurgimus, flagellantis manum non expauescimus: quò demum non impudentiæ prorupturi felices nullius- que opis indigi? Rectè telum hoc intorquet, aureum os, *si enim his addicti*, scilicet labori & dolori, *ne sic quidem peccare desistimus;*

Et quidem patet etiam in nobis ipsis.

Chrysost. Ibidem.

mus; quò scelerum progressa non esset audacia nostra, si nos affluere deliciis & otio constituisset Deus? omnia enim mala docuit otiositas. Quis tunc Deum esse meminisset, cuius iam omnium egentes, infelices, & miseri non recordamur, nisi, quod pessimum est, vt eum offendamus? Felices & supra communes hominum miserias euectos, diuini Numinis contemptores esse videbat, & deplorabat Dauid: atque illico rationem tantæ impudentiæ attexens, *in laboribus*, inquit, *hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur: ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate suâ, prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis, posuerunt in cælum os suum.* Verùm id probi non agerent, inquis. sic est, si probi esse perseuerent. Adam nonne probus erat, cùm felicitatem suam ferre non potuit? sed felicitas diu probum esse non permisit. Et tu ipse, nonne tunc deterior, nonne tunc maximè Dei incurius es peccatisque obnoxius, cùm in labore hominum non es, cùm corpori genioque bene est? Quid hæc disputamus? euidens est experientia quotidiana; deploranda planè res est, non autem reuocanda in dubium. Psal 72.

Et vero an non vides, in terrenas tandem, & cælestium inanes animas, degeneraturos nos, si nihil nisi quod volupe est, nisi quod delectet, hæc terra mortalibus suppeditaret. Quis cælum suspiraret, si hîc sua vota compleri prorsus omnia, homines è terrâ nati persentiscerent? En vt adhuc modò, vbi habitationem habemus tam miseram, & incommodam, ei tenaces mordicùs inhæremus, allecti nescio quâ felicitatis vmbrâ? *O mors! quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis; viro quieto, & cuius viæ directæ sunt in omnibus?* Nihil hîc admodùm dulce est & commodum, quod non felle & quidem amarissimo sit conditum; diuitiæ plenæ curis & sollicitudine; amores zelotypiâ inuidiaque pleni; coniugia plena fastidiis; corporis voluptates plenæ morbis, & doloribus; dignitates plenæ insomniis, suspicionibus plenæ & ipsâ inconstantiâ timendæ: & tamen stulti amaroribus his inhæremus, diuinorum immemores, æternorum gaudiorum prorsus incurij. Quòd si autem ea quæ hîc sunt, peritura quamuis, seseque possessoribus etiam inuitis ereptura gaudia, quietè diu datum fuisset possidere; timeo certè, ne Deo valere iusso habereque res suas, in illas demum impias 45. Eccles 4.

voces

Psal. 113. voces erupturi fuissemus ; *Cælum cæli domino, terram autem dedit filiis hominum* : cælum deinceps habeo, vbi mihi vita cælum est, & terra paradisus. sed satis iam sit.

Optimæ itaque ea diuersitas.

46. Illudque demum concludamus, sapientissimâ sanè ratione, dotes tum corporis, tum animi, tum fortunæ, ex quibus omnis felicitas existit, hominibus tam inæqualiter Deum distribuisse ; quod quidem omnino sic ei faciendum necessariò fuit, vt totum humanum genus, tam in naturæ, quàm in gratiæ statu conseruaret ; neque enim felices, aut omnes aut semper hîc esse poterant homines, æternum felices vt forent.

Diuersitatis inducendæ modus etiam optimus.

47. Secundò, modum etiam quô distributio facta est, esse pulcherrimum ; neque bonis omnibus, & solis danda bona omnia, neque improbis omnino deneganda. Nam præterquam quòd longa felicitas, bonorum fortasse fuisset ingens deprauatio, *Præterea* vt ait acutissime Theodoretus : *apertissimum defensionis campum haberent malitiæ operarij, si in hâc præsenti vitâ, solis iustis diuitiarum thesauros* (& idem est de omni aliâ dote iudicium.) *Iudex ille distribuisset. Eadem enim, quæ ipsorum magister ac doctor* (diabolus) *contra Iobum locutus est, dicerent : quia tu circumuallasti interiora & exteriora domus ipsorum, frumentum & vinum multiplicasti eis. Sed mitte manum tuam, & tange quæcumque habent, nisi in faciem benedixerint tibi.* Quod sanè conuitium Deo sic impactum, foret omnino grauissimum : nec enim id ex Dei honore est, non habere quemquam qui sibi obsequatur, nisi quem quasi mercede conduxerit.

Theod. Orat. 6. de Prou.

Neque iam improbi excusationem habebunt improbitatis suæ siue fœlices fuerint in hâc vitâ siue infelices.

48. Nunc verò, cùm tam bona quàm mala, paupertas & diuitiæ, dignitates humilioraque officia, voluptates & ærumnæ, ingenia, conditiones, omnia denique tum malis, tum bonis promiscuè sint communia ; nemo habet quod conqueratur, nemo quod Deo obijciat. Non enim improbi, quibus aduersæ fuerunt res, paupertatem domesticam, morbos, amicorum odium, coniugis inconditos mores, fortunam denique semper iniquam, sceleribus excusandis iure poterunt prætendere : illico enim innumerabiles existent probi, qui diuini Numinis Majestatem defendant ; vtpote quibus aduersa fortuna, communisque imò & grauior paupertas, ad maioris sanctitatis culmen gradum fecerit. Neque rursus diuitias, dignitatum culmina, voluptatumque illecebras, sibi fraudi imò & oneri fuisse cauſſari poterunt, quasi

si cum illis diuinus cultus non subsisteret & cohæreret : sanè innumeri etiam cum sint viri, probitate omni, nec minùs etiam opibus dignitateque conspicui ; obstruetur illis illico os, docebuntque suo exemplo, non mala fuisse illa, quibus cùm bene vsi sunt, facti sunt boni.

Maneat itaque illud ratum, omnia benè à Deo esse distributa, neque meliùs munera sua distribuere potuisse, tum si suam gloriam, nostramque salutem, tum si totius vniuersitatis humanæ sustentationem spectet. Hoc tandem curemus nos, vt quæ rectè in pondere & mensurâ nobis donata sunt, rectè ijs vtamur, rectèque vtendo boni simus. Illudque identidem omnium benefactori, cùm gratiarum actione occinamus ; *Quàm magnificata sunt opera tua Domine ! Omnia in sapientiâ fecisti : impleta est terra possessione tuâ.* O quando hâc possessione Cælum ipsum tandem implebitur ! Quod bonum est in oculis tuis in cælo & in terra, hoc fiat ; & cum volueris, fiat. 49. Psal. 103.

PARS III.

PARS III.

Ostenditur quomodo omnibus rerum euentibus, acquiescendum sit.

TRACTATVS IX.

Sit nomen Domini benedictum, à sæculo & vsque in sæculum; quia sapientia & fortitudo eius sunt, & ipse mutat tempora, & ætates: transfert regna atque constituit: dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus disciplinam. *Dan.2.*

Agitur quomodo calamitates cladesque publicæ aspiciendæ sint, vt per eas non turbemur.

PROOEMIVM.

OMnia iam vt credo complanata sunt, quæ Diuinæ Prouidentiæ rationes, mirabilesque anfractus & dispositiones, vtcumque scabrosas reddebant & difficiles. Illud enim primò ostendimus, quàm sapienti concinnoque ordine, orbem vniuersum digesserit Deus, finem suum vt consequeretur; suam inquàm gloriam, hominumque vtilitatem & salutem. Deinde quàm sanctè scelera permittantur, ne libero hominis arbitrio Deus officiat, considerauimus, & verò permitti debuisse ipsimet iudicauimus. Denique admirabilem illam tum geniorum, tum etiam fortunarum varietatem, mundo gubernando

nando necessariam prorsus fuisse, ratione conuicti fassi sumus, victique Diuinæ Prouidentiæ manus dedimus. Illud itaque consequens est, vt illi penitùs totique acquiescamus, nullisque rerum euentibus perturbemur. Id quidem generatim est perfacile; ad rem verò cum peruenitur perdifficile. Omnia quæ Diuina statuit Prouidentia, facilè approbamus, præter ea quæ nos concernunt: reliqua quæ toto aguntur mundo, quieti aspicimus; nostra nos perturbant, quia tangunt propiùs. Agite ergo, & hæc quidem quæ generatim de Diuinâ Prouidentiâ dicta sunt, rerum euentibus, quos quotidie intuemur, applicemus posthàc. Ostensuri porrò sumus, quô pactô inter assiduas rerum agitationes, quibus nos ipsi circumuoluimur, quietis tamen tranquillisque esse liceat. Et quia ea quæ nos tangunt mala, in duplici sunt differentiâ; ac primò quidem communia, ea nempe quæ Rempublicam, cuius nos partes sumus, concernunt; deinde priuata quæ nosipsos spectant: illa tantùm modò persequemur, artemque expediemus, quâ non Patriæ tantùm clades & miserias, sed ruinam ipsam & internecionem, sine perturbatione magnâ videamus, inter ruinas ipsas securi, quia quieti.

§. I.

Proponuntur præcipuæ querimoniæ, quibus circa publicarum rerum euentus solent homines inquietari.

Res mortales semper in peius abeunt, etiam cum quietæ sũt.

IN immensum pelagus iam nos immergimus: perturbationum inquam Oceanum ingredimur, nihil præter procellas, furentesque ventos pertractaturi. Felicem tamen exitum mihi polliceor, illo auspice & gubernante qui fecit *pondus ventis*, quique cum exorbitant, *ventis & mari imperat*, & confestim *obediunt ei*. Res mortales omnes, totamque humanæ societatis machinam, mare esse quis negauerit, quod nunquam non mouetur, nunquam placidum est & tranquillum, nisi cum vel ipsa malacia perniciosa est, vel cum tempestas horrenda incubat præforibus, cuius quasi prodromus & prænuntius sit ipsa tranquillitas. Sic est; nunquam cum rebus nostris bene agitur, nisi vt malè confestim sit; numquam quietè fruimur, nisi aut eâ quæ noceat, aut 1.

Iob 28. Luc. 6.

aut quam tumultus miseriæque excipiant longè maximæ. Vix multum optatâ pace frui datur, quin, vti per longam malaciam annona corrumpitur corporaque nauigantium languore deijciuntur, ita & Reipublicæ, cum quieta est, dissoluantur leges & instituta, langueat iustitiæ rigor, ciuium excrescant dissoluti mores, libido imperantium dominetur, virtus affligatur; quæ tandem subsequuntur aut ingentes de cælo immissæ clades; aut certè ex ipsis hominibus sese opprimentibus, felicitatique alienæ imò & suæ inuidentibus, nascuntur seditiones tumultus apertaq; bella, quæ cladibus, ruinis, incendijs orbem miscent vniuersum. Quis hęc satis exponat? quis pro rei acerbitate satis exaggeret? an non satis nos natura fecit miseros, nisi & ipsi in suum exitium insurgant homines, suoque fiant vitio miseriores? iam verò tota cùm quotidie inuertatur imò & subuertatur orbis machina cui demum dabitur esse tranquillo? Cui non lachrymas expriment, communes naturæ clades, communia Reipublicæ mala, quibus dum agitantur omnia, singuli eheu inuoluimur?

2. Heus tu, cui vt video, tranquillitatem nostram lachrymis interturbare est constitutum: age mœroris tui causam expone tutis auribus, pectus expedi, doloris materiam expectora, etiam cum lachrymis si placet querelas effer, illis enim vt rectè diuus Ambrosius ait, *restinguitur ardor animi, & quasi relaxatus euaporat affectus*. *Deplorantur publicæ calamitates.*

Ambr. de morte Satyr.

3. Resumit hic deficientes iam penè spiritus, publicarum rerum censor & curator egregius (tanta est obmurmurandi libido, vt vbi viuere vix licet, libeat tamen esse querulis) & malè consarcinatum erigens manu caput; ah inquit, meas res non ago iam: maioribus interfum rebus; publica sunt quæ me perturbant, publicis angor, hæc mihi nouam semper turbarum, imò lachrymarum dant materiam. Quid enim? quis siccis oculis calamitates illas intueatur, quibus prouinciæ nonnumquam integræ, mortalibus exhauriuntur; dum aut segetes passim vento & grandine prostratæ, aut siccis adustæ solibus, aut vermibus locustisque arrosæ, ipsum humano victui tam necessarium panem denegant? vnde cùm passim fame laboratur, ingens sit hominum strages, pallent omnes, nec ad labores fame enecti expediunt manus. Quod certè si duret diutiùs, quid porrò agant homines, quàm vt sedes mutent, si tamen vires ferant, & vti *Fames & pestilentia.*

nonnumquam factum legimus, in proximas inuolent prouincias, quasi lupi fame rabidi, & desperatione vltimâ furiosi. Adde, quod sæpissime hanc cæli intemperiem pestes, aliique peste haud æquiores morbi consequantur, quibus passim correpti mortales, Deus immortalis, quæ non dant miseriarum exempla! Vacuantur non domus modò, sed vrbes integræ & familiæ, dum funeribus replentur omnia, neque sufficiunt sepeliendis mortuis, viuorum emortuæ fere manus. Amens sim, si vt fidem faciam, ea enarrauero quæ nulla gens ignorat, nulla non pertulit. Quis verò miserijs his inuolutus non exhorrescat, vbi vis naturæ ab ipsâ naturâ infertur? Quis non adhorrendam illam, oculisque assiduè obuersantem mortis imaginem impalleſcat? quis non tremat, cum in excidium hominis, ipsa quæ sustentationi esse debuerant, insurgant elementa? Et tamen hæc patimur, hæc miseri eheu sustinemus.

Bellorum crudelitas.

Quod si verò dum tot vndique malis cingimur, homines ipsos quos natura coniunxit, odia inueterata, rixæque in partes non distraherent; toleranda forent illa, quæ nostris viribus industriâque euitare non possumus. At verò hominem homini lupum esse, id verò prorsus est intolerabile. Neque verò priuatorum lites aut iurgia nunc exagito: illa enim parui momenti sunt, si publica consideres; eaque sunt, quæ aut amicorum interuentu sedari, aut publicâ auctoritate facilè possunt decidi. At prouincias integras turbari, regna regnis infesta esse, vicinasque regiones in armorum societatem quasi contagio tactas confluere; incendijs, vastatione, funeribus misceri omnia, quis non lamentetur? in excidium mutuum arma, igneſque parari, quasi explendo furori manus humanæ non sufficerent; coire ingentes hominum copias, ordines disponi, explicari acies, sic vt campi latissimi compleantur; quasi si funeribus futuris exiguus locus non sufficeret: denique furibundorum in morem, homines & quidem nuper amicos, inter se concurrere, vim inferre, & repellere, mutuis sese vulneribus conficere, donec crudelitatis suę ampla satis dederint documenta; quis, inquam, tantam insaniam non deploret, quam tutò spectare non licet? Quid quòd quasi de re bene actâ victor sibi gratuletur, imò & Numini gratias agat; isque passim glorioſus censeatur, qui plures occiderit, hoc est prout ego intelligo, qui humano generi maius intulerit detrimentum.

Et

5. Et verò insaniant illi quibus insanire est collibitum: bella gerant, pedem conferant, mutuis gladijs pereant, per me licet. Verùm interea innocentes homines, qui suô viuebant pacificè, ijsdem cladibus inuolui, bonis exui, domibus spoliari, ad summam paupertatem pro victoris insolentiâ redigi, imò & vitâ quam innocuam gerebant nullique infestam, promiscue tamen, quasi si arma gestarint, exui; id verò quem non male habeat, imò & pessimè?

Eorum infelix & iniustus exitus.

6. Tamen ferenda res esset vtcumque, si pro bonitate causæ semper staret victoria. Iam tamen id liquidò constat, pessimæ cuique causæ, belli sortem sæpè felicissimam obtingere, pro tyrannide stare victoriam, pro impietate triumphos. Quis enim neget Ottomanni domum nonnisi violentiâ stare, & per tyrannidem dominari? Quis non arma Christo Religionique inferre? & tamen nonne Asiâ totâ victor signa sua explicat hæreditarius Christiani sanguinis inimicus, armaque triumphis necdum satur expedit, quibus Europam concutiat vniuersam? interim sub eius immani tyrannide gemunt Christiani. Et verò, inter Christianos etiam quotidie Hæretici triumphant. quot non occupârunt iam prouincias, exactis veræ fidei cultoribus? Et rursus inter Catholicos, nonne sæpenumerò, subactis legitimis Principibus, ij tandem regna integra obtinuere, quibus nullum ius erat nisi in armis; quod quidem ius summa proculdubio est iniuria. Id verò rursus quem non perturbet?

Origo temeraria bellorum.

7. Et hoc præterea quàm deplorandum est, quòd bella tam crudelia, quæ tota gens patitur, non communi gentis totius, quasi in hoc conspirantis, consensu suscitentur; verùm ex vnius sæpe pendeant arbitrio? Dominandi libidine quòd arderet vnus Alexander, tota in armis stetit Græcia, tota concussa est Asia; diruta tot regna, vnius cupiditatis fuere victimæ. Quid quòd & priuata Regum odia, priuatas iniurias simultatesque, non nisi nationum integrarum sanguine possint expiari? Troia mihi testis erit, cùm ea quæ ad manum suppetunt exempla, quæque in omnium versantur oculis, non multùm ad rem meam interfit referre. *Nihil enim sub sole nouum est*, vt rectè Ecclesiastes, ne scelera quidem: in orbem redeunt, vt perturbetur orbis. *Nec valet quisquam dicere, ecce hoc recens est iam enim præcessit in sæculis quæ fuerunt ante nos.* Eccl. 1.

Publico assidentium ignauia.

Hoc tamẽ inter cætera peſſimè me habet, quòd Reipublicæ, bellorumq; à quibus communis ſalus dependet, adminiſtratio hominibus neſcio quibus demandetur? ij ſanè ſunt, quos non virtus bellica, non fortitudo, non ſapientia commendat; ſed quos vel natalium ſolus ſplendor, vel nimius fauor, vel, quod peſſimum eſt, adulandi vile obſequium, aut etiam pecuniæ emungendæ artes euexerunt. Imbelles ſunt ipſi, alienâ ſtant virtute, interim facinoroſi, aſſentatores, quibus, modò habeant, omne ius faſque deinceps eſt. Quid demum hiſce præfectis agatur bene? quas victorias ſperare poſſumus, iuſtitiâ infractâ, prudentiâ exiguâ, virtute nullâ, offenſo Numine? 8.

Eorum auaritia & inſcitia.

Interim deprædationi non hoſtium modò, ſed harpiarum inter nos de noſtro dominantium, diuitiaſque de publico direptas, quaſi in triumphum publicè deportantium latrociniis patent prouinciæ. Munera, præfecturæ, reliquique Magiſtratus viliſſimo cuique venales proſtant, augentur quotidie vectigalia; ad vrbium clauos ſedent ij, quos aut euexere enumeratæ pecuniæ, aut quibus ad continendos, propugnandoſque contra vim clientes, non ſat eſt animi. Interim dum apud eos abundant omnia, gemit optimus quiſque: imò quod peſſimum eſt, dum ij qui ad publicum ſedent clauum diuites ſunt ſinguli, egenum eſt ærarium: apud priuatos millena ſunt ſeſtertiûm, in publico vix eſt obolus. An hæc quiſquam iure agi ſibi perſuadeat? Et quieto eſſe liceat priuato homini, cum publica ſic turbantur? Certè aut patriam non amet neceſſe eſt, is quiſquis eſt, quem hæc non angunt; aut ſenſu communi careat, qui communi calamitate non perturbetur. 9.

Ærarij inopia.

§. II.

Querelis vt ſatisfiat, oſtenditur imprimis omnes naturæ calamitates, tum etiam Prouinciarum & Regnorum ortus & occaſus à Deo eſſe iudicante id rebus humanis conuenire, quod cuique debet eſſe ſatis, ne turbetur.

Vt querelis his ſatisfiat, ad Deũ

GRauiſſimæ ſunt proculdubio hæ querimoniæ, & huiuſmodi ſunt hæc mala, vt ad primum, intuentium oculos, perturbent 10.

bent aſpectum. Verùm in hôc ſemper miſeri fallimur, euentus rerum prout in ſe ſunt quòd intuemur, neque alias quàm quas ſenſu percipimus, proſtaſes circumſtãtiaſque conſideramus: Dei verò agentis omniaque dirigentis mentem, manumque minimè attendimus. Tranſcurrentes per tranſtra epibatas, modò malos conſcendere, modò ad carinæ ima deſcendere quiſquis ſolùm videt, interim ventos velis toto impetu incumbere, vndas verò nauem tranſcendere, vocibuſque & tumultu miſceri omnia qui conſiderat, turbari eum ſanè neceſſe eſt: neſcit enim quid agatur; nihilque cum ſciat, timet omnia. At verò ſi circumſpicit, nauiſque magiſtrum placido & amæno vultu, nulliuſque rei anxium, cuncta ſic dirigentem videat, vt nihil non eius agatur nutu; certè aut paruam eum de naucleri arte exiſtimationem habere, vt adhuc me dixiſſe memini, aut inter tot tumultus animô ſedatô, omnibus quæ aguntur acquieſcere neceſſe eſt. *recurrendum eſt,*

II. Fateor, tota nonnumquam in humani generis excidium conſpirare videtur orbis machina: tempeſtatibus maria, imò & motibus horrendis terra concutitur; ſubuertuntur vrbes integræ, & diffractis terræ viſceribus cum incolis totæ abſorbentur; fulminibus abſumuntur templa & ædes; quin imò erumpentes perſæpe è terræ cauernis ignes, lato in vicinos agros incendio, fœdum in modum omnia depopulantur. Non rarò tanta eſt cæli intemperies, vt frigore nonnumquam, calore ſæpiſſimè aduranturomnia. hinc fames frugumque inopia, hinc peſtis morborumque violentiâ abſumitur eheu mortale genus. Fateor inquam iſthæc omnia. cuncta miſcentur: cladibus, & incendiis prouinciæ, lachrymis planctuque familiæ, cœmeteria funeribus complentur. At vero quis hæc agit? cuiuſnam ea mala proueniunt arbitriô? caſum ſi putas, turberis per me licet. Verùm ſi in his omnibus Deum agentem video, & quidem eum cui obediunt omnia elementa, quique rerum omnium apices ipſos perſpectos cum habeat, *Attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter*, & quidem tantâ mentis ſuæ tranquillitate, vt immotus cum ſit ipſe, tamen, vt rectè Poëta dicit, *det cuncta mouere*; quid demum hæc me tantopere perturbant mala, quæ tanto auctore eueniunt? Quòd ſi auctor placet, an conſilium tantæ Mentis, ſano homini poterit diſplicere? *euentuum omnium auctorem.*

Sap 8.

12. Et verò hæc naturæ mala rectè dũ conſidero, à nemine niſi à *Quod quidem in na-*

tura malis certissimâ esse demonstratur.

Deo esse, non potest mihi esse dubium. Nam præterquam quòd passim eiusmodi clades in sacris Paginis prænuntiet, & minitetur Deus, illud sanè mihi euidens est, tantam intemperiem quâ orbis modò tempestatibus, modò æstibus, modò fame, modò peste conficitur, non nisi è cælestium corporum variâ inter se conformatione, nubium condensatione, aëris non satis moti corruptione, originem omnem trahere. At verò quis instrumenta tum cælestia, tum sublunaria ita moderatur? Quis nubes agglomerat aut dispergit? quis ventis legem statuit? quis Solis ardoribus modum ponit? Aliam certè manum instrumentis his non admoueri quàm diuinam, cùm non ignorem, superuacaneum est profectò, imò & stultum quærere quo auctore peragantur ea, ad quæ tantâ industriâ video instrumenta omnia adhiberi. Quòd si illud fixum ratumque habeo, Dei consiliò omnia hæc euenire, & quidem omnia agentis *in pondere & mensurâ*, aut Deus ipse displiceat, aut certè placeat consilium, ea sic dirigentis Dei oportet. Neque rationes vllo modo indagare necesse est, vt cuncta rectè fieri decernam. Illud enim iam quasi per antecessum ex præcedentibus *Cognoui Domine, quia æquitas iudicia tua*. Certè his non habeo quæ reponam: neque peste, fame, fulmine, tempestatibus, maria terramque misceri, magis conqueri possum aut improbare, quàm Deum esse, & cùm est, quod vult agere. Psal 118.

Neque minus id verum est, in bellis, & publicâ regnorum ruinâ.

Quæ cum ita sint, neque quæ à naturâ, naturalibusque causis nobis eueniunt mala, negare possimus à Deo directore naturæ, studio consilioque immitti; tamen in ijs quæ bellorum tumultus consequuntur incommodis, id ita dici non videtur posse, cum bella populorumque inter se dissidia, non tam à Deo quàm ab hominum malitiâ, libidine, ferociâ & improbitate oriantur: quæ si desint, certè bella non forent. Non igitur Diuina, inquies, decreta impeto; sed malitiâ humanâ perturbor, quam infausti bellorum euentus, corruptique Reipublicæ turbatæ mores, quasi suo iure consequuntur. Sic quidem tu. Verùm si ipsa quoque bella, omnesque Reipublicæ perturbationes, à Deo orici; infelices præliorum euentus, prouinciarumque deuastationes, ex Dei sic omnia moderantis consilio obuenire; si denique peruersam rei communis administrationem, Principum negligentiam & fatuitatem, Magistratuum socordiam, ciuium dissentiones, 13.

nes, sæpè à Deo de industriâ immitti; numquam non summâ sapientiâ permitti, summâ verò etiam prudentiâ in bonum honorique suo conuenientem semper conuerti finem ostendero; an tandem hisce turbis etiam acquiesces? ita credo facies, ne Deo, dum tibi molestus esse pergis, sis iniurius. Animum itaque si placet aduerte.

14. Illudque imprimis statuendum est, Deum voluisse hominem in commune viuere, vt non sibi solùm, sed & alijs adiumento dum est, ab alijs etiam adiuuetur, vti exposuisse me recordor. Tract. 8. Hinc autem vicos primùm, deinde vrbes natas esse non attinet me dicere, res ipsa loquitur. Deinde ne vrbes rursus mutuo auxilio destitutæ, mutuis etiam diffidijs paterent, quæ super agrorum vicinorum terminis, alijsque iniuriis facilè erant exorituræ: item vt commerciis faciendis expeditior esset commeatus; vrbes plures, vicos, ijsque subiectos agros, in Prouincias, Prouincias in Respublicas aut Regna diuisit: quæ cum auctoritate aliquâ deberent coerceri, ne cuilibet, ad omne nefas licita foret audacia & impunitas; Reges, Principes, Magistratusque Prouincijs præposuit, quos aut populorum consensus aut à Deo ipso data auctoritas commendaret, & aut nascendi priuilegium, aut noua populi electio futuris deinceps sæculis continuaret. Hinc exorta Regnorum amplitudo; hinc etiam extensa Regna & Imperia, aut Prouinciarum ad Prouincias vltroneâ coniunctione, aut Regum contrahentium voluntate, aut connubiorum societate, aut etiam armorum vi.

Imprimis regna & respublicas constituit Deus.

15. Verùm cùm in tertio Sapientiæ suæ volumine, Scientiâ inquam conditionalium, id liquidò comperisset Deus, non priuatam tantum familiarum felicitatem, sed ne publicam quidem Regnorum, Prouinciarumque fortunam diu prosperam, diu amplam, diu magnificam esse posse, quin maxima, in tantâ sortis malaciâ & fortunæ plausu, vitia suborirentur; neque vllam fore legibus tam bene munitam Rempublicam, quam non felicitas ipsa dissolueret; magno sanè Diuinoque consilio statuit humana imperia non esse perpetua, neque eam quam fortunam felicitatemúe vocant homines, vni Prouinciæ affigendam: toto eam circumduci orbe voluit, neque malis imperia summa denegari, neque bonos etiam iis excludi; sed summâ varietate inter hos illosque diuidi, pro locorum temporumque interuallis, quæ diuinis

Merito noluit Regnorum felicitatem esse perpetuam.

Diuinis maximè rationibus visa sunt conducere. Neque enim in Regnorum Imperiorumque opibus, dignitatibus, flore & potentiâ, aliter egisse Deum, quàm in priuatorum discernendis opibus, philosophandum est. Has certè inter bonos malosque promiscuè distribuisse, neque tamen eosdem aut semper felices aut infelices semper esse voluisse, idque summâ sapientiâ & iudicio, priori disceptatione iam vidimus. Illud autem D. Augustini Tract. effatum certissimum mihi est, magnum illud Numen, ita curare singulos prout vniuersum; vniuersum verò prout singulos. Singulorum verò exortus & occasus, amplam modò, modò depressam sortem vti videmus quotidie, ita regnorum origines & excidia, vrbium prouinciarumque crescentem felicitatem, miseras denique ruinas, suo quasque tempore accidisse comperimus. Habent non singuli modò homines, sed & Regna & Imperia, sua incunabula & infantiam, habent iuuentutis florem, viriliſque ætatis robur verùm & habent fatiscentis iam; & in seipsam prolapsæ fortunæ decrepitam senectutem; quâ, etiam non impulsa, suo vitio prolabuntur: præterquàm quòd plurima, in ipso ætatis flore, sæpè ferro demetantur.

Describuntur occasus & exortus varij regnorum.

Quid hâc re clarius, si vel ipsa imperiorum exordia, ab ipsis 16.
Regum primorum Imperatorumque temporibus aspicias? Latissimum fuit totâ Asiâ Assyriorum imperium. Mille quadringenti duo anni, tota tam vasti imperij ætas fuit; consenuit, occidit. Assyrios debellauit Merodach, regnum ad Babylonios transtulit felici sorte, sed tempore duraturum exiguo, annis nempe centum octoginta tribus. Babylonium Baltasarem Cyrus Persa perdidit. Vnicâ nocte tam clarum Imperium, tenebris perpetuis à nullo vmquam sole videndum inuolutum est; & quasi si per iocũ rebus humanis illuderet Deus, inter conuiuij dapes chorearumque plausus periit superba Babylon. Imperium Persa tenuit annos 208. Stetisset in Perside diutius fortuna, nisi effæminatis nimiâ felicitate cum Rege Dario Persis, ab ipsâ inde Græciâ Alexander superuenisset, qui sortem & imperium in Græciam deferret, mox tamen per Scipionis, Pauli Æmilij, aliorumque Imperatorum arma, ad Romæ Senatum Capitoliumque deuehenda. Apud Græcos Imperium stetit annis ducentis viginti octo. Stetit Romæ diutius vaga fors; & sub Consulibus quidem 471. annis, sub Imperatoribus verò 502. totâ Asiâ

Asiâ & Europâ, Africæ quoque parte non modicâ, victrices aquilas circumtulit, Orbis domina: donec tandem mole suâ fatiscens, in varia dissiliit regna tam vastum Imperium, sibi vix nomen retinens, Imperiique vmbram, dum singulæ Imperij tanti partes & ruinæ, potentissima iam sunt, sed à Romano Imperio diuisa regna. Bysantium nauigauit Romana felicitas, rursusque cœpit Græcia efflorescere: mox sub Ottomannicæ domus conceſſit iura, & cuius arma ferre non potuit, iam fert iugum. Græcia Orbis olim magistra, sapientiæ palæstra, omnium artium cultrix, modo barbara est, litterarum expers, omnisque politioris scientiæ ignara; vrbibus destituta, tantùm ruinis nominibusque nobilis. Belgium tunc siluis infame, nullis nisi incultis gentibus habitatum, iam in eam deuenit fortunam, vt & ciuitatum frequentiâ, & ædificiorum præstantiâ, & litterarum cultu, & artificiorum varietate, & mercatorum commerciis, & incolarum indole moribusque, cum cultissimâ quâque toto orbe Prouinciâ conferri possit, & verò etiam plerisque anteferri. At quamdiu durabit hæc felicitas, neque hîc modò in Belgio, sed in ipsâ quæ terrarum omnium cultissima est Europa? Hoc illi cognitum est, qui vt Daniel testatur, *Mutat tempora & ætates, transfert regna atque constituit.* Dan. 2. Nauigarunt certè in Occidentem felicia Regum nostrorum, fortissimaque Hispanorum arma; siluæ olim, iam amœnæ sunt Regiones; plurima isthic modò, cultissimaque sunt regna, barbaris quondam dominata Regibus, & legibus coërcita quæ ferinos potiùs mores, quàm humanitatem vllam saperent. iam verò Peruanum Mexicanumqne regnum barbarie olim infamia, non tam Pluti & diuitiarum, quam artium bonarum facta sunt domicilium. Vtinam non iisdem nauibus, quibus Indicæ diuitiæ & deliciæ in Europam, Europæa felicitas ad Indos deferatur. certè cum homines mutant mores, *Deus mutat tempora & ætates, transfert regna atque constituit.* Verùm de morum corruptelâ, tantarum vicissitudinum causâ, necdum ago: sufficit mihi ostendisse Imperia Regnaque integra, modò huc, huc modò migrare & transferri: & quidem vt Daniel manifestè testatur Deo auspice, Deo figente & circumducente fortunam. sic vt verissimum sit illud Philonis, *Verbum diuinum choreas in orbe ducit, & omnes gentes circumlustrando, nunc his nunc illis Imperia vel tribuit vel adimit. Nihil igitur est* Phil l. quod Deus immutab.

in humanis rebus præter vmbram auramque leuissimam sine morâ præteruolantem : eunt enim vltro citroque velut æstuaria.

Hæc verò ideo à me dicta sunt, vt nemo, qui vel patriæ suæ calamitates, vel etiam occasus prospicit, miretur id iam fieri, quod toto passim orbe, omnibusque retro sæculis fecit Deus. Splendidissimæ olim ciuitates iam aut ruinæ aut meræ voces sunt : siluæ & nemora, modò sunt fortunarum, musarumque domicilia. Integræ olim nationes, iam in chartis tantummodo historijsque sunt conspicuæ ; obscuræ quondam gentes, nunc in ore oculisque sunt omnium. Ita fit, ita agit Deus. Et tamen *Iustus Dominus in omnibus vijs suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* 17. Psal. 14.

§. III.

Per malam rerumpublicarum administrationem regna perdi, regnorumque fortunam transferri ostenditur. Idque quatuor modis.

Bellorum tumultus excitatur, quando regni fortunam aliò transuehere statuit Deus.

HOc itaque Dei consilium, procul dubio sanctum & justum quia Dei est, secum accuratè qui considerat, non mirabitur is, multoque minus indignabitur, tot bellorum tumultibus, tot cladibus, tot ruinis orbem vniuersum concuti & inuolui. An enim quisquam, etiam priuatus homo, ædes mutat supellectilemque aliò transfert, sine strepitu, sine fragore, sine curruum vltro citroque commeantium, bonaque transuehentium tumultu ? an supellex ipsa, lecti, tabulæ, mensæ, imagines, tapetia, & quidquid demum in ædibus deserendis erat ornamenti, deponi & conuasari potest, sine malleorum ictibus, parietumque crebro concussu ? Hæc qui miratur fieri, nescit sanè quid sit ex ædibus in alias transmigrare. Ita prorsus tecum statue. Audis tympana, tubasque perstrepere, hostiles copias in Prouinciam irruere, vastari campos, superari mœnia, spoliari vrbes, omnia clamoribus personare ; & hæc miraris ? Non miror ego. Migrant in aliam regionem Regna integra & Imperia, migrat cum omni supellectile nusquam diu quieta fortuna ; & tantam mutationem vis fieri sine tumultu ? detrahuntur in veteri æde ornamenta, cum 18.

campi

campi ciuitatesque exuuntur bonis, aliò transferenda sunt; hostiles copiæ, baiuli sunt, quorum manibus fortuna, Deo sic volente transuehitur; & quis in tantâ re conficiendâ, allaborantium operi militum inconditas voces, populi clamores, ædiumque deferendarum ruinas mirabitur, cui perspectum est, ingentem magnâque supellectile instructam fortunam, alias terras petere, aliò transmigrare?

19. Ita sanè fit. Regna transferre, aut certè potentiam felicitatemque alicuius Prouinciæ imminuere, nimiumque fastum deprimere iustô iudicio cum constituit æquus Deus; bella imprimis suscitari permittit, idque aut hominum in mimiâ felicitate superbientium vitio, aut alieno inhiantium cupiditate, aut vicinorum Regum inuidiâ, aut iniuriarum vlciscendarum iustâ an iniustâ non disputo, præproperâ tamen & præferuidâ vindictâ. Floret opibus Regnum aliquod; & prout fit, vbi fortunâ turgent Regna, vicinis Prouincijs impotentiùs dominantur; tandem in iras consurgunt contempti populi; fœdera inter se ineunt; exacuitur cupiditas spe prædæ opulentæ, & verò etiam dominandi libidine. Illico denuntiantur bella, fit fragor ad signa conuolantium vndique populorum, expediuntur arma, conscribuntur milites, totaque sub equorum, curruum, tormentorumque pondere tremit tellus. Quid hocce demum rei est inquis? Nihil est planè, nisi quod baiuli aduolent, quorum humeris, aut tota aut magna saltem pars felicitatis, quæ in Republicâ hâc erat nimia, transuehatur.

Quomodo destruatur Respublica.

20. An verò id passura est, inquies, Prouincia tam opulenta? milite abundat, & quidem tot victorijs exercitato quot bellis, opes ad manum sunt, duces habet militiâ consilioque præclarissimos; an non & ipsa, quæ ab hostibus impetitur & fortè contra omne fas, Prouincia manus & arma expediet? Expediet proculdubio, & frustra expediet. Quæso admirabiles sed tamen *iustas vias Domini*, quibus ad destinatum sibi finem tandem peruenit *sanctus Deus*, mecum si placet perpendite. Cùm Regnum aliquod quantumuis opulentum, validissimoque instructum milite, aut planè pessumdare, aut saltem deprimere Numen constituit; vt arma viresque eneruet, consilium priùs, sagacitatem, prudentiamque eorum qui publico inuigilant, aut adimit, aut sopit, aut etiam in transuersum agit & perdit. Et hæc quidem quia

prima sic & maxima est Rerumpublicarum Regnorumque calamitas, & verò etiam ruina. *Frustra enim sunt arma foris, si non est consilium domi.* Libet tamen singulos, per quos in ima descenditur, gradus attentiùs considerare.

Primò per Regum incuriam.

Primò enim, quid bonæ rei sperari potest, vbi Rex ipse populique rectores, iura neque humana neque Diuina perpendunt? non consilio aguntur, sed irâ libidineque dominandi aut imperandi abripiuntur; non prudentiâ sed temeritate bella & indicunt & gerunt; neque recta suadentes audiunt, neque sana consilia admittunt, sed pro libitu agunt omnia, dum ab efferuescente nimiùm spiritu aguntur ipsi? quis huic Reipublicæ non metuat, quam in ipso capite conspicit perturbatam? 21.

Secundò per Magnatũ mala consilia.

Deinde, quid si Regi primores desint, viri litteris, iuris peritiâ, animi moderatione, bonique communis appetentia imprimis conspicui; qui Regnorum leges & expendant & temperent, pro rerum temporumque varietate? Quid si ij ad clauum sedeant, quibus ius fasque in auro est quod passim à prouincialibus emungunt; quibus æs publicum priuati iuris est; quibus Deus & Religio tam diu placet, quamdiu Politiæ seruit; quibus ipsa demum Politia, Regnique salus domesticæ famulatur œconomiæ? Quid si, inquam, eiusmodi colluuies in pretio sit, effæminatique auscultentur assentatores, viri verò ad virtutem æquitatemque facti aut ignoti sint, aut si noscantur sint contemptui; in quas non syrtes impinget, eiusmodi rectoribus gubernata Respublica? Certè non aliam ob causam, distractum est Israëlis Regnum: decemque omnino tribus rebellione abreptas, ab insano sapientissimi Salomonis filio Roboamo recessisse, testantur sacræ paginæ, quòd efferuescentium primo sanguinis calore iuuenum, quibuscum fuerat enutritus, vesaniam consuluerit, contemptis sana suadentium seniorum canis, eorum inquam qui rebus agendis sub Salomone insenuerant. *Dereliquit Roboam consilium senum quod dederant ei, & adhibuit adolescentes qui nutriti fuerat cum eo, & assistebant illi*, inquit sacer textus. Assistebant iuuenes & fatui, illique consiliis dum assistunt, discedunt iusto furore abreptæ tribus decem. luditur ab adolescentibus in senatu, & isthic dum luditur, illuditur Roboamo, & perit Regnum. 22. 3. Reg. 12.

Tertiò per Magistratuum incuriam.

Tertiò, vt iam sana sit Regum mens, communis boni perquam studiosa; 23.

ſtudioſa; vt viros omni peritiâ probitateque commendatos ſanctioribus conſiliis adhibeat; vt hi omnia rerum momenta ſedulò perpendant, decretaque populis militiæque ſaluberrima ſtatuant: quid hæc omnia ad communem incolumitatem conferent, ſi mandata per inferiores magiſtratus in ciuitatibus infringantur, aut executioni non mandentur, aut non ſeriò ſed per ignauiam exigantur, aut certè à plebe per tumultum & ſeditiones concitatâ contemnantur? An non peſſum ire dixeris, his moribus corruptam Rempublicam?

24. Quartò denique, ſi ea quibus Prouincia defendi debet arma, in ignauorum Imperatorum manus tradi conſpicimus; aut ſi viri quidem ſint qui imperant, imbelles tamen ſeditioſoſque, nec diſciplinæ militari aſſuetos milites nanciſcantur: aut ſi fortiſſimi quidem ſint milites, ducum tamen, vt quos effæminatos vident, indignabundi detrectent imperia, nec eorum conſiliis acquieſcant, ac propterea inuiti ſigna quaſi per vim ſequantur; quid demum felicitatis ab hoc exercitu ſperari poteſt? nonne actum dices cum tam perturbatâ republicâ? neque iam opes, aut virtutem bellicam, neque prudentiæ famam, neque relatas olim victorias, neque ſplendorem vrbium, neque armorum copiam quidquam conducere, niſi vt maiori ſint hoſtibus ludibrio, luculentiorique pateant & prædæ & ruinæ? His ſanè modis perdita ſunt quotquot periere imperia; & quæ non periere omnino, his tamen artibus è faſtigio ſunt deiecta, & depreſſa.

Quartò per popularium ignauiam & inobedientiam.

§. IV.

Vt regni felicitatem imminuat Deus, permittit mala conſilia Regum, ignauiam militibus immittit, Præfectorum inſolentiam, populique diſſentiones excitat.

25. AGedum nunc, Reipublicæ fatiſcentis plagas qui conſideras, quo tandem auctore infligi eas arbitraris tu? Certè ſi adiacentes rerum circumſtantias, eaſque quæ rebus agendis proximè adhibentur manus attendimus, ſcio te, cum vulgo, Reges ipſos incuſaturum; Optimatum arrogantiæ, Imperatorum imperitiæ aut ignauiæ, Magiſtratuum ſocordiæ, populi diſſentionibus, publica

Quatuor his modis vtitur Deus, cùm caſtigare vult regna.

publica imputaturum mala. Sed si supra vulgum vis sapere, memento non esse hæc nisi Dei Rempublicam affligentis, fortunamque nimis prosperam educentis, alioque transferentis artificia. De se certè testatur ipse, non nisi suo consilio & industriâ stare Regna quæ stant: consequens igitur est, non nisi eius consilio & occidere. occidunt autem his quos dixi modis. Audi diuinam Salomonis ore, loquentem sapientiam. *Meum est consilium & æquitas; mea est prudentia, mea est fortitudo.* Hinc nemo sibi, siue de prudentiâ regendiue scientiâ, siue de militari gloriâ blandiatur; nam cum hæc omnia mea sint, & à me sint, illud sibi cuncti persuadeant quòd *per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt; per me Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.* Quibus sanè verbis ne idem dici putes, eleganter vt solet noster Salazar, quatuor distincta munia docet contineri, quibus vniuersa stat Respublica: Regum nimirum pro potestate sibi legitimè datâ imperantium; quibus ne temerè agant, nihil adeo necessarium est, quàm *consilium* rectum & probum. His proximi sunt Optimates, primi à Rege, vt vocantur Ministri siue Primicerij, quos rectè *legum conditores* appellat, vt qui altioribus intersunt consilijs; totique Regni statui dum inuigilant, quid sit conueniens bellumne an pax, quæ vectigalia exigenda, quæ leges aut innouandæ aut immutandæ, quæ restringendæ, quæ latius explicandæ, in commune statuunt. His autem vt *iusta decernant*, *Prudentiam* imprimis esse necessariam, in comperto est. Tertium quartumque munus est eorum, quibus regiam voluntatē Optimatum consilio rectè gubernatam, executioni mandare prorsus incumbit. Et hi quidem in Militiâ *Principes* sunt, copijs præpositi, quorum in imperando agendoque intrepidè id quod bono Regum consilio statutum est, *Fortitudo* constantiaque maximè requiritur. Domi denique vt ciuium stet concordia, Regumque & Optimatum inconcussa sit authoritas, *Potentes* hoc est, vt ex Hebræo rectè interpretatur doctissimus Salazar, ciuiles Magistratus probi vt sint iustique necesse est, neque qui partium studio aut ære corrupti venales faciant leges, Regumque decreta pro libitu & fauore, aut emolliant aut nimium premant; sed quibus *æquitas* imprimis cordi sit *vt decernant iustitiam*, eamque tum potentibus, tum etiam miseris & humilibus, ex æquo interpretentur. His quatuor basi-

Prou 8.

ibid.

Salaz. in hunc locū.

bus

bus omnem Rempublicam, incolumis vt ſtet, incumbere neceſſe eſt: vnam qui ſubuertit, luxat omnia.

26. Iam verò intelligite tandem mortales, per quem res humanæ ſtent. Magna ſanè de Regibus veſtris Imperatoribuſque, præſertim ijs qui prima Monarchiæ aut Reipublicæ iecere fundamenta, iactatis elogia. Magni titulum vni affigitis; alter fortis, Iuſtus alter, Magnanimus hic, Prudens ille, quaſi per antonomaſiam à vobis appellatur. Et verò actum benè; vt qui præteritorum Regum memoriam grato animo reſeruatis. Verùm tantâ virtute, tantâque animi moderatione Reges quòd habueritis, qui conſilio & quidem accurato, non verò pro libidine agerent omnia; ecquis id vobis præſtitit, niſi is qui Regno veſtro bene voluit, beneque conſuluit Deus? certè *per me Reges regnant*: & ſi non bene regnatur, niſi vbi conſilium adhibetur rebus; illud certè & adhibere velle, & adhibere cum vis, habere penes te, *non eſt volentis* hominis *ſed miſerentis Dei*. Sanè *meum eſt conſilium*; & ſic *per me Reges* rectè ſapienterque *regnant* ſic vt Regnum floreat. Iſraelis ſtatum diſtrahere in partes cum ſtatuiſſet Deus, præferuidum Roboamum genti præpoſuit, qui feruore nimio abreptus, populi iuſtas querelas, minis flagelliſque compeſcere, ſtulto ſanè conſilio in animo haberet. Gothicum imperium funditus in Hiſpaniâ euertere cùm vellet idem Deus, Roderico regni habenas tradidit, qui luxu delicijſque, & tandem etiam libidine violentâ Gotthicum ſanguinem emolliret, & apud ſuos in inuidiam traheret.

Primò Regibus adimit conſilium.

27. Deinde, ſi præſtantiſſimos habetis viros, qui Regni iura æquitate moderentur, conſilio rerumque experientiâ valeant plurimum; ne id quæſo vobis adſcribite, aut eſſe tales viros aut etiam in conſilium adhiberi: *mea eſt* enim *prudentia* inquit ſagax Deus, quâ & illi iuſta decernunt, & vt decernere poſſint, Regum auribus admouentur. Miraris tu inſaniſſima in ſapientiſſimo Regno dari conſilia, & quidem à viris cæteroquin prudentiſſimis? 2. Reg. 15. *Inſatuauit* certè *Dominus conſilium Achitophel*, id quod optauerat Dauid, Abſalonis inſolentem audaciam vt infringeret. Miraris vtiliſſimas publicæ rei rationes, à magnis beneque Regno volentibus viris excogitatas, aut ſtudio partium, aut Optimatum riſu, aut etiam improbitate quorumdam explodi, reijci, ſubuerti? Subuertit ea Deus, ne regno benè ſit, cui malè

Secundò Magnatibus adimit prudentiã.

vt

vt sit, iam decreuit. Miraris denique præclarissimos viros, omnique exceptione maiores contemni, domi res suas agere; cum ineptorum hominum interim impudentiâ & insciti â, res publicæ perduntur? perdere eas vult Deus, & vt perdat isto vtitur artificio. Neque casu id factum putes, vt fanatici aliquot iuuenes, cerita capita Roboamo de consiliis essent: studio id Deus fecit, Israëlis Imperium vt distraheret. studio autem hanc Regno plagam fuisse incussam, manifestum est. id enim se facturum Salomoni prorsus fuerat minitatus. *Quia .... non custodisti* 3. Reg. 11. *pactum meum, & præcepta mea quæ mandaui tibi, disrumpens scindam Regnum tuum, & dabo illud seruo tuo. Verumtamen in diebus tuis non faciam, propter Dauid patrem tuum: de manu filij tui scindam illud.* & vt scinderet, *infatuauit Dominus consilium* Roboami, neque aliam tanto Regno subuertendo machinam adhibuit Deus.

Tertiò Prouincialibus & militibus eripit fortitudinem.

Quam verò id ridiculum est, in militum robore & ferociâ, 26.
Ducum fortitudine, disciplinâ militari, armorum inclytâ gloriâ, sibi homines quòd tantopere gratulentur; quasi ea aut gentis indoli foret casu congenita, aut proprio marte exercitioque acquisita? Hinc, sua suosque iactantium pleni sunt historicorum libri: Poëtarum etiam si placet phalerata carmina, nescio quid sibi gratum obstrepunt, dum Martem canunt, quem non sequuntur. Interim qui viros Marte inclytos intuemini, qui militum expeditas manus contemplamini, an illum obliuiscimini, cuius imperio non tantùm *plumescit accipiter* teste Iobo, aquilis- Iob 39.
que & alæ succrescunt & vngues, verum etiam diffluunt nonnumquam & eueruantur? Florentem esse Rempublicam cùm vult Deus, animos roburque rebus magnis agendis par, Imperatoribus militibusque sufficit Deus, subuertere cum vult, generosam illam militiæque natam effæminari sinit indolem. Ducum consilia & mentes in discordiam trahit, ignauiam pauoremque immittit, militum masculum robur emollit, omnisque laboris & imperij fiunt impatientes illi humeri, quibus tota quondam Reipublicæ defensio incumbebat. Hinc in omnem licentiam dissoluti vagantur, totâque Prouinciâ non tam arma, quàm timorem vastationemque circumferunt: hostis vultum iam non ferunt, cuius antea ceruicibus incumbere, ludus fuit. Quid miraris, quid obstupescis? Dei hæc machinatio est. *Mea est fortitudo,* inquit,

inquit, & *per me* militiæ *Principes imperant*, rectè cum imperant; per me ſtrenui, per me fortes ſunt. & verò ignaui quod ſunt, imbelles, & ſocordes, meo conſilio meâ deſtinatione id ſunt.

29. Neque verò hæc à me ita dici putetis: certè nihil tantopere inculcant ſacræ paginæ. Iſraëli ni ſibi pareat, ruinam minitari cum vult Deus, præxim edocet quam Reipublicæ ſubuertendæ, quaſi cuniculum admouebit. *Ponam*, inquit, *faciem meam contra vos, & corruetis coram hoſtibus veſtris . . . . fugietis nemine perſequente.* Quod vt clariùs exponatur, ſubiungit, *Et qui de vobis remanſerint, dabo pauorem in cordibus eorum in regionibus hoſtium; terrebit eos ſonitus folij volantis, & ita fugient quaſi gladium: cadent nullo perſequente, & corruent ſinguli ſupra fratres ſuos quaſi bella fugientes, nemo veſtrum inimicis audebit reſiſtere.* Manifeſta res hæc eſt, plurimiſque hiſtoriis confirmata. Quis Romanum Imperium diuturnitate temporis, armorum pondere, victoriarum gloriâ, regnorum amplitudine per mille iam annos confirmatum, non dico conuellere, ſed vel concutere potuiſſet, ſi maſcula ſtetiſſet virtus, ſolituſque in pectore ſanguis? tota Europa ſupplex Romam adorabat, quæ tamen ſub Auguſtulo per partes diſtracta, tandem periit. At per quos? per gentes omnino barbaras, obſcuras origine, & de quorum natali ſolo diſputatur. & tamen, è cauernis ſiluiſque immanes leones immiſſos dixeris, prout tunc trepidare vidiſſes Imperium, hæc ipſa trepidatio hoſtibus audaciam dedit, auxitque frequentiam. Wandali, Gotti, Alani, Teutones, Alemanni, Burgundiones, Franci, Longobardi, Hunni, Nortmanni, incogniti ad eo etiam ſibi ipſis populi, vt ne inter ſucceſſores quidem, ſatis de primâ eorum origine conueniat: illæ inquam obſcuræ gentes, moribus barbaræ, terrorem ſui nominis toto Romano circumtulerunt Imperio, Romanoſque quos in tantum faſtigium bellica virtus euexerat, ſolus debellauit panicus pauor. Quid enim ſilueſtres homines, præuſtæque ſudes poterant aduerſus Romana arma, ſi manus inueniſſent ſolitas quibus geſtarentur? omnes pallebant imminente periculo, nec cuiquam ſat animi qui diſcuteret; vires conſiliumque interturbauerat immiſſus timor. At à quo? ab eo certè qui Romanum Imperium perditum ibat, Deo. hic, quos animos Romanis ademerat, Barbaris præſtabat. Trecentis annis in Hiſpania ſteterat Gottica maieſtas & gloria armis viriſque inclyta;

Quod probatur ex Scripturis.

Leuit. 26. v. 27.

v. 36.

Ex hiſtoriis.

clyta: septem dierum prælio, tota Gottorum gens aut militia, cum Rege Roderico, periit & extincta est; totaque breuissimò temporis tractu, sub Maurorum iugo fere concidit Hispania. Quid? an nulla ergo, in tot bellicosissimis Prouinciis, suppetunt quæ expediantur arma? nullus se, inconditæ potius multitudini Maurorum, quàm bellicæ eorum virtuti opponit? Nullus. omnes tenet pauor, donec Gottica prorsus concideret res, & Regnum: ita Deo, Regnorum euersori & arbitro, visum. At verò vt Hispaniæ misertus, è Maurorum manibus sceptrum eripere, illudque melioribus regibus statuit contradere; ecce Pelagij animos inter Asturiæ montes & cauernas excitat, qui cum mille tantùm viris, & quidem longâ fame obsidioneque enectis, leonis instar Maurorum acies sanè ingentes intrepidus inuolat, prosternit, & quasi imbellia pecora dilacerat. Hoc restitutæ Catholicis Hispaniæ initium. sumunt animos Hispani, quique hactenus nonnisi Gottorum imperio famulari didicerant, ipsi sibî Reges statuunt, regnaque Mauris aut erepta aut eripienda designant. instant Barbari, copias innumerabiles educunt; occurrit cum collectitio tantùm, & ad pugnæ strepitum conuolante inexercitato milite Ramirus Rex; & ecce, totius Hispaniæ domitrices aggreditur copias, nec pauciora quam sexaginta Maurorum millia gladio occumbunt. Non minor poterat esse strages, vt manifestum esset à Deo dari victoriam. Taceo nunc portentosam illam, nullisque fastis memorandam satis cladem, quæ ad Tolosanas Nauas, à nostris eidem genti illata est, quâ ducenta omnino Maurorum millia, & hæc inter, triginta equitum millia, iustæ Dei vindictæ, Hispanorum manibus sunt litata. Taceo innumerabiles exinde victorias. Illud tantùm quæro; vnde in populis iam deuictis, quique numquam arma gestarant (apud Gottos enim solos, omnis Hispaniæ militia steterat) tantus vigor animi, tanta audacia, vt victricem gentem totique Hispaniæ imperantem aggredi non timuerint, quorum impetum tunc, cùm res Hispanicæ florebant, ne oculis quidem ferre sustinuerint? Vnde tantus in armatâ Hispaniâ pauor animorumque defectio, tantus verò in exarmatis populis, omnique subsidiô destitutis armorum ardor, & bellandi appetentia? Insanum certè sit id quærere; cùm satis constet ab eo concitatos, cuius est omnis fortitudo, quique vires animosque militibus etiam inermibus præstat,

Mariana l. 7. c. 1. Hist. Hisp.

ibid c. 4.

stat, cum imperia vult erigere; deiicit vero quantumcumque feroces spiritus, superbientis populi fastum deprimere cum decreuit. Et vt arma, quibus plus æquo, dominantur, Regibus detrahat, magnâ sanè arte, detrahit animos viris, & viros armis. Atque hic quidem tertius est, quo Deus Respublicas euertit, modus,

30. Quartus denique est Magistratuum inferiorum licentia & dissolutio: Præfectorum exactorumque, aut nimia in vitijs tolerandis conniuentia, aut etiam in castigandis, exigendisque aut legibus aut vectigalibus, importuna crudelitas. Nolo huic argumento immorari; non enim quemquam reprehendere, ex instituto rei quam pertracto nunc est. Illud tantùm quod ad rem meam iam facit affero, Præfectorum ineptias vitiaque, tunc maximè Deum permittere, dissoluere cum vult Regna: tunc enim concitatur ferocia populi, iugumque excutitur, quod nimiùm premit. Certè Israëlitarum gentem Ægypto tam vtilem & commodam, ferocienti nimium regi barbaro detrahere cum vellet Deus, Præfectorum incumbentium Israëliticis ceruicibus vesaniam, aut permisit aut procurauit. Impia quidem decreta tulerat Rex Ægyptius; ingemiscebat Israel, sed tamen tacebat. Crudelitatem suam cùm adhibuere Præfecti, etiam præter iussa regia feroces; tum verò *clamauit Israel, propter duritiam eorum qui præsunt operibus.* Imperabantur lateres, quotidie ab Israëlitis tamquam mancipijs, ad dimensum excoquendi. coquebat eos Israel, & tacebat. Negabantur struendo igni paleæ, *dispersusque est populus per omnem terram Ægypti, ad colligendas paleas.* mandatis Regijs paret Israël, & mœstus tacet. At qui Regem immodicè imperantem tulerant, Magistratuum inferiorum insolentiam non tulere. Nam *Præfecti quoque operum instabant dicentes, Complete opus vestrum quotidie, vt prius facere solebatis, cum dabantur vobis paleæ. Flagellatique sunt, qui præerant operibus filiorum Israël, ab exactoribus Pharaonis.* Tantam enim verò insolentiam, non est passus populus quantumuis humilis: & qui tacuerant hactenus, *Venerunt præpositi filiorum Israël, & vociferati sunt ad Pharaonem, dicentes, Cur ita agis contra seruos tuos? Paleæ non dantur nobis & lateres similiter imperantur*, sed quod intolerandum omnino est, *En famuli tui flagellis cædimur, & iniustè agitur contra populum tuum.* At à quibus? ab exactoribus

Quartò Magistratibus inferioribus auferri permittit æquitatem.

Exod 3. ¥ 7.

Exod. 5. ¥ 12.

¥. 13.

Pharaonis. Clamauit populus, seceſſionem fecit, ab omni opere abſtinuit, iugum excuſſit: & patientiam quam mandata Regia, quantumuis dura non extorſerant, Præfectorum licentia penitus labefecit. Nihil habeo quod addam: vetera potius iuuat recenſere exempla, quàm quæ ad manum ſunt hodierna. Illud mirari libet, quod veteribus non ſapiamus malis. Quidquid id ſit, hoc ſanè conſtat, duritiam nimiam imperantium, nimiam quoque in diſſimulando conniuentiam, populos ſubiectos aut exacerbare, aut in nimiam licentiam diſſoluere: cui cùm ſero adhibes medicinam, exacuis malum, mederi cùm vis. Hinc plebis querimoniæ, iuſtæ nonnumquam, iniuſtæ ſæpiſſimè; hinc liberæ voces Regiæque Majeſtati iniuriæ; hinc ſeditiones; hinc tarda, & quaſi violenta obedientia; hinc ſubſidia quæ Regibus præſtantur parca, & non niſi per vim expreſſa; hinc denique magna caput inter & membra diſſentio. Quod cum ſit, ſanè vtrumque perire, aut ſaltem languere neceſſe eſt. Hæc igitur qui videt mala, ita ſecum ſtatuat, Deum Rempublicam aut perdere prorſus velle, aut felicitatem nimiam imminuere.

§. V.

Ne verò quis conqueri de Deo poſſit quod hæc permittat aut immittat, oſtenditur iuſtè ob peccata populi, ab eo Regna fortunamque transferri.

Bene hæc omnia Deus permittit, vt peccata puniat aut iis medeatur.

ITa quidem ſtatuo, inquies; video prorſus, video imminutam 31.
eſſe Regni Majeſtatem, opes abactas, luxatum Reipublicæ ſtatum, depreſſam dignitatem. Et hoc ipſum eſt quod me angit; hîc vlcus latet, eheu nimium animo infixum malum: patriæ gemo, de cuius occaſu malè metuo. Verùm, vtcumque Reipublicæ ſtudioſus ſis, non ſic tamen, vti credo, Patriæ vis eſſe pius, Deo vt ſis impius, aut certè iniurius. Minimè, inquis, itaque, ſi id liquidò oſtenſum eſt, Deo auctore, hæc malorum futurorum initia & quaſi ſeminaria immitti aut permitti, vt Patriæ exorbitantem felicitatem coerceat; an id te meritò angat, quod ſano iuſtoque conſilio ſtatuit Deus? obeſſe is videt, quò nimiùm turges, ſanguinem; quis igitur phlebotomiam venæque ſectionem, egrè

egrè ferat adhiberi, quam sapientissimus præscribit medicus? Quæso ne actum agamus; ostendimus superioribus dissertationibus, nihil non summâ accuratione à Deo fieri; nihil non summâ deliberatione, & consilio decerni: modò, hæc ob quæ gemis mala, à Deo præscripta esse demonstratum est: quid vltra querimur? quid angimur, quasi iniustè hæc mala toleremus? certè felicibus & bonis diu esse, per humanam imbecillitatem & malitiam non datur, vt luculentè pertractauimus. Itaque si felix hactenus fuit Prouincia, si opulenta, si viribus pollens; certè aut malum iam contraxit, aut sanè prope est vt contrahat. Non contraxit, inquies, Religione viget Patria, & Fide, virtus in pretio est. Testantur id sacra & sancta, testantur templa, testatur populorum ad ædes sacras confluxus & frequentia. Audio: id sanè si ita est vt dicis, futuro tempori bene consulitur: felicitatem enim quæ iam in luxum abibat magnis passibus, paulisper Numen temperat, vt diu sani, vt diu boni sitis. Futuro itaque occurrit malo prudens Deus.

Et si scelera non sint manifesta, sunt sanè multa occulta.

32. Verùm, quâ fronte dicere audebimus, nos malum non contraxisse, quod intra viscera Reipublicæ reconditum est? Floreat sanè exterior vultus, sanitatemque præseferant, qui videntur oculi; quid si interea interno calore depascantur viscera, & vlceribus putrefiant, an manum à corpore abstinebit medicus, si toti corpori bene vult? Foris apparet Religio, intus impietas dominatur; in vultu modestia, in animo omnis impudicitia; in plateis homines frugi sunt & Stoici, in domibus Epicuri de grege porci; luce mediâ humani & modesti, in tenebris salaces & in omnem proiecti libidinem; ore non nisi iustitia concrepatur, & nusquam minus quam in eorum conclauibus reperitur; denique foris vultu prætenditur pietas, interea Deo rebellat suis appetitibus immersa mens. Et hæc quidem occulta vitia sunt, & abscondita, non tamen Deo, scelera. Quid verò aperta commemorem, & quæ omnium tenentur manibus oculisque? non tam id iam ago, vt scelera nimium eheu dominari demonstrem, quàm vt ea, Rerumpublicarum depressione, Regnorumque nonnumquam ruinâ, meritò castigari denuntiem.

Scelera ita punire Deũ testatur Scriptura.

33. Vide Deut. c. 26. totum

Neque tamen id à me denuntiari necesse est, quod toties se facturum minatus est, sceleribus irritatus Deus. Plenæ sunt sacræ historiæ, plena Prophetarum oracula, quibus aut peccatis

iræ intentantur, non nisi horrendis cladibus, vrbium subuersionibus, publicâque deuastatione expiandæ; aut etiam in scelerum vindictam, gentium integrarum crudeles omnino internecciones, orbi exemplum futuræ, referuntur. Non est certè quod nos palpemus miseri, & tamen contumaces: Dei id est oraculum. *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos.* & rursus Isaias, *ruit Jerusalem & Judas concidit, quia lingua eorum, & adinuentiones eorum contra Dominum, vt prouocarent oculos Majestatis eius..... Væ impio in malum; retributio enim manuum eius fiet ei.* Iudic. c. 1. v. 14. Ier 5. v. 25. Eccl. 10. Isa. 3.

Ob scelera populi sæpe patiuntur Reges optimi.

Neque profectò aliena incusemus scelera, sed detestemur nostra. Non Regum Principumque peccatis vltrices adhiberi manus conqueramur; plebs enim sæpissimè in omne vitium proiecta est, & quod peccat populus, plectuntur sæpenumero Reges etiam sanctissimi: exuuntur Regnis illi, dum subditorum facinora iustitiam misericordi Deo vel inuito extorquent; pereunt præclarissimi in acie Duces & exercitus, cum nimiâ luxuriâ ciuitates diffluunt. Sanctissimum quis neget fuisse Francorum Regem Ludouicum? quis sanctissimam pro religione, contra Saracenos egisse causam inficiabitur, cum florentissimas ex Europâ copias in Syriam eduxit, Christiano nomini Religionique à barbaris pessumdatæ, consulturus? & tamen tam bonam causam cum agit, morbis grassantibus ita eneruantur copiæ, vt ex triginta duobus fortissimorum militum millibus, vix sex millia supererssent. Fugit itaque Rex, & tandem ipse cum duobus fratribus Alfonso & Carolo, in Barbaras manus incidit, & in tetrum carcerem abducitur sanctus Rex. An sua is peccata luit, qui mortali scelere numquam contaminauerat castam mentem; an verò luxuriantis Regni crimina? Fractus fuit, non tamen infractus planè Ludouici animus. Vires resumit, rursusque piam pro Christo acturus causam, classe validissimâ instructus Tunetanas Saracenorum, etiam tum pyraterio infames, inuadit oras. Exponit milites, castra explicat. Rursus ingenti peste exercitus corripitur, quâ tandem Rex ipse cum Ioanne filio, miserè quidem, sed tamen sanctissimè extinguitur. Eadem, tanto post temporis interuallo, communem Christiani nominis hostem exacturus, tentat littora, inuictissimus & verò etiam piissimus Imperator Carolus Quintus: educit milites, non tam bella quàm victo- 34.

Surius in eius vita.

rias

rias circumferre solitos. Pallet Ottomannorum luna, & iam cornua contrahit; actum est de Algerio. Cùm ecce validissima tempestas incumbit classi; colliduntur rates, & breuissimo temporis tractu, centum quinquaginta naues, cum vectoribus, impedimentis, tormentisque omnibus illico vndis absorbentur, totâ quæ supererat classe fœdissime dilaceratâ. Omnes quotquot erant equi in mare deiecti, vt homines transuehendos reliquiæ classis caperent. Spectat ingentem cladem ex littore, numquam magis quàm iam inuictus Carolus; nullumque gemitum exprimit fortuna tam aduersa, in causâ tamen adeo sanctâ. Illud tantùm, se dignum ingeminat. *Fiat voluntas tua.* Alloquebatur certè maiorem se, se tamen etiam maior Carolus. An verò sanctissimos hosce Principes, sua luisse scelera dixeris, an aliena? *Sandoual in eius vitâ.*

35. Quòd verò non omnes Reges, Ludouicos esse dicis aut Carolos, non paucos esse Heliogabalos & Sardanapalos; fateor, ita est. Sed tales esse Reges, cùm tales sunt, non nisi subditorum sceleribus imputandum est. Castigare eum vult Deus plebis mala, eiusmodi permittit vt sint capita, per quæ toti corpori malè sit. Infausta tu dicis consilia esse, quæ perdunt Rempublicam; fateor id rursus. Sed infausta vt sint, id subditorum merentur scelera. Viros habet præclarissimos Prouincia, eos non audiri clamitas; verùm id populi rursus merentur scelera, quibus castigandis studiô incumbit Deus. Scelera nostra sunt quæ sanis consiliis intercedunt, scelera sunt quæ ea interuertunt, ne sceleribus stet impunitas. *Et si illi mali sunt; eos permittit tales esse Deus ob scelera populi.*

36. Denique ne Ducum insolentiam, militumúe ignauiam tantoperè argue malis publicis causam dare. Enim verò causam dant, sed ignaui quod sint milites, discordes Duces, dissolutus in omnem licentiam exercitus, hoc Prouinciæ, quam pœnas dare vult Deus, effecere scelera. Tandem ab ignauo hoste fortissimi quòd superemur, nostra faciunt vitia. Verissimum est illud Hieronymi, *Peccatis nostris barbari fortes sunt,* & ab ignauis castigari nos vult Deus, vt manifestior sit Dei scelera vindicantis manus. Quod sanè de Hispaniarum olim subuersione præclarè Diuus Saluianus exequitur, etiam id nunc est verissimum; *Numquid non erant in omni terrarum orbe Barbari fortiores, quibus Hispani traderentur? multi absque dubio, imò ni fallor omnes. Sed ideo ille* (Deus) *infirmissimis hostibus cuncta tradidit, vt os ende et scilicet,* *Vti & militum Ducumque ignauiam.*

S. Salu. l. 7. de Prouid.

non vires valere sed causam ; neque tunc ignauissimorum hostium fortitudine obrui , sed sola vitiorum impuritate superari. Vt verè in nos venerit dictum illud , quod ait ad Judæos Dominus : secundum immunditias suas & secundum iniquitates suas feci illis, & auerti faciem meam ab eis. Et rursus. *Nec illos naturale robur fecit vincere , nec nos naturæ infirmitas vinci. Nemo sibi aliud persuadeat, nemo aliud arbitretur : sola nos morum nostrorum vitia vicerunt.*

Scelera vitiorum hostium, suo tempore castigabit Deus.

Neque verò iam mihi quisquam tritum illud obiiciat , etiam 37.
apud hostes esse flagitia & scelera, multò etiam magis detestanda : contra omne fas mouere bellum, Hæreticos esse, Mahumetanos esse, Fidei Religionique rebelles. Sint sanè ; sed hoc nostrum non est inquirere. Iustè interim quæ patimur toleramus: si non ab hostibus stet iustitia, à Deo certè stat. Suam is causam agit, per iniusta hostium arma. Impij erant Amorrhæi, idololatræ Philistæi , & tamen eorum manibus castigandus datus est Israël. Interim vti rectè Augustinus *Non læteris impie vel Tyranne, quoniam virga vel flagellum efficeris. Nouit enim prudens Doctor, nec ignorat pius Pater, post castigationem promouere discipulum, & post debitam emendationem paternæ hæreditati præficere filium, flagellum verò siue virgam , incendio flammarum comburere.* Interim, inquies, florent impij , viget hæresis, scelesti dominantur. Cur non illorum insolentiæ frænum iniicitur ? Ah miser ! an igitur , vt rectè Augustinus *Diebus tuis paucis vis impleri omnia? Quæ omnia ? vt damnentur omnes impij, & coronentur omnes pij? impleat ea Deus in tempore suo* ; nouit ille tempora & momenta, nouit mensuram scelerum ; habet quod reponat. Emarcescent sine dubio, quæ modò florent virgæ, exemplum suâ clade daturæ orbi, quæ modò in castigandis iustis, exempla faciunt.

Augustin. ser. 19 de ver. Dom.

Aug in Psal. 19.

§. VI.

Itaque publicis malis acquiesce. quod vt facias, non clades ipsas, sed Deum auctorem, & peccata, causam impellentem aspice.

HOc itaque, si mente moueri non vis, inter tot tumultus, va- 38.
rietatesque rerum imprimis age, vt in eas oculos non detorqueas, obtutumque figas. Si quis rotam, quæ super axe celerrimè circum-

circumagitur, oculis diu aſpiciat, oculorum aciem rotatione tam celeri turbari ſentiet, imo & dimoueri cerebrum. Nimis magna eſt ſortis fortunæque modò proſperæ, modò fugientis variatio, quàm vt eam immotus aſpicias: turbaberis proculdubio, ſi patriæ calamitates, clades, & occaſus conſideras: mouentur omnia, moueberis & tu. Verùm vt inter tot ſortis alternationes imperterritus ſis, & immotus concuſſo orbe, axem conſpice, Deum inquam immotum ſemper, & qui nihilominus
Horat. *dat cuncta moueri. Hinc omne principium, huc refer exitum.* Peſtem immittit ille, calamitates ingerit, cladibus Rempublicam eneruat, conſilia diſſipat, animos eripit: deprimere nos prorſus vult; deprimamur ſanè: perire nos etiam vult; pereamus profectò, numquam futuri ſecuriores, quàm cum ſic perimus: feramus, ferre quæ nos vult Deus, ſed non queramur. Atque hoc intereſt inter Dei cultores, Ethnicoſque aut impios, inquit D. Cyprianus, quod dum ijſdem cladibus inuoluimur, aliter eadem atque aliter feramus. *Putatis* inquit *nos aduerſa vobiſcum*
Cypria. ad Demetrianum *æqualiter perpeti, cum eadem aduerſa videatis à nobis & vobis æqualiter ſuſtineri? Apud vos, impatientia clamoſa ſemper & querula eſt..... Non ergo idcirco compares vobis & æquales ſumus, quia in iſto adhuc mundo & carne hâc conſtituti, mundi & carnis incommoda vobiſcum pariter ſuſtinemus: nam cum in doloris ſenſu ſit omne quod punit; manifeſtum eſt eum non eſſe participem pœnæ tuæ, quem tecum videas non dolere.* Lamententur itaque alij, quibus Dei artes perſpectæ non ſunt, patriæ ruinas & clades; tu Chriſtiane oculum in Deo figens, illud identidem cum gratia-
Daniel. 2. rum actione in gemina: *ſit nomen Domini benedictum à ſæculo & vſque in ſæculum. Quia Sapientia, & Fortitudo, eius ſunt, & ipſe mutat tempora & ætates, & transfert regna atque conſtituit. Dat ſapientiam ſapientibus, & ſcientiam, intelligentibus diſciplinam.* Sic nempe quieta erit, quia ſemper in Deum grata patientia.

39. Deinde ne cladium quos credis auctores propiùs contemplare; non Ducum ignorantiam, militum ignauiam, Regum imperitiam, Magiſtratuum perturbationem, ſed ſcelera Reipublicæ, omnis mali fontem & originem intuere: illudque tandem
Pſal. 65. ſupplex cum Dauide confitere. *Poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro, poſuiſti homines ſuper capita noſtra,* ſed eos quos peccata noAugu. in illũ locũ Pſal. 65. ſtra merebantur. *Bonum eſt,* inquit Auguſtinus, *vt conſideremus*

nos peccatores esse, & sic toleremus impositos super capita nostra, vt & nos Deo confiteamur, quia digna patimur. Quid enim indignè pateris quod facit qui iustus est? ..... Sæuire videtur Deus cum ista facit: ne metuas, numquam sic sæuit, vt perdat. Quando male viuis, si parcit, plus irascitur: omnes istæ tribulationes, flagella sunt corrigentis, ne sit sententia punientis.

Hîc igitur obtutum fige, Deum aspice cuncta inuertentem: deinde peccata, quæ non hæc modò, sed & plura etiam mereantur: & sic cunctas sortis vices perturbationesque, immotus ipse, imperturbatusque aspicies: & si non patria modò corruat, sed

Si fractus illabatur Orbis,
Impauidum ferient ruinæ. Horat.



TRACTA-

TRACTATVS X.

Vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius vero ſic, 1. Cor. 7. v. 7. vnumquemque ſicut vocauit Deus, ita ambulet, & ſicut in omnibus Eccleſiis doceo *v.* 17.

Oſtenditur, vt quietus quis ſit, eum ſtatu ſuo contentum imprimis debere viuere: nec debere velle aliud eſſe quàm quod eſt.

PROOEMIVM.

AD nos ipſos, noſtraque propiùs iam accedimus; opus aggredimur imprimis difficile. hîc perturbationum omnium ſcaturigo eſt, imò & ſentina; denique hîc vlcus latet: leni ſanè pertractandum eſt manu. Maxima mœroris querelarumque cauſſa, ſumus ipſimet nobis. Quid mirum, cuncta nobis quòd diſpliceant, ſi nobis ipſi non placemus? quid mirum, ſi alia ſemper atque alia volumus, ſi nos ipſi alij atque alij ſemper eſſe deſideramus, & nunquam arrideat id quod ſumus? Tam ſumus miſeri mortales, imò vt quod res eſt fateamur, impudentes, vt licèt omnia Dei opera generatim comprobemus, omniaque bene feciſſe iudicemus, in nobis tamen rectè effingendis, conſtituendiſque, erraſſe arbitremur illam, quam credimus eſſe ſapientiam infinitam. Hinc maxima in nobis oritur perturbatio, quòd nemo fere vnus ſe ipſo contentus viuat, nemini ſtatus, quem occupat, arrideat; omnes viuunt queruli, ideoque miſeri. Et verò, vt tumultus hos animorum ſedem, doceamque deinceps quantâ tranquillitate caſus omnes excipiendi ſint, qui non communem tantùm rem, ſed priuatam quoque concernunt; illud nunc conficiendum primò eſt, vt quiſque conditioni

ditioni suæ acquiescat, statuque, quem in hâc vitâ occupat, contentus viuat. Hoc vt consequar, illud secundò demonstrandum est, optimum, vnumquemque habere à Deo statum; commodissimum, inquam & aptissimum, quo quisque saluti suæ, diuinoque honori possit consulere.

§. I.

Vt quisque contentus sit esse id quod est, id sibi persuadeat, à Deo sic se in orbe constitutum, sicuti est.

PLenum æquor tenuimus adhuc; contrahamus si placet vela,& ex alto descendentes, legamus posthâc littora; imò terram subeuntes, fluminum crepidines & æstuaria conscendamus. Immensum inquam Diuinæ Prouidentiæ pelagus vtcumque permeauimus, industriamque,quam orbis vniuersitati regendæ adhibet prudens Deus, quantùm humanarum ratiocinationum fert imbecillitas conspeximus: tempus est vt tandem ad singula particulatim spectanda descendamus, sic vt ingentem illam Scientiam Dei, non tantùm in toto terrarum orbe digerendo & dirigendo impensam admiremur, verùm etiam cum summâ animi demissione & stupore, illud cum Dauide dicamus *mirabilis facta est scientia tua ex me.* Tu igitur attende ô homo,& Deum obstupesce. 1. Psal 138.

Tantam curam gerit Deus vniuscuiusque hominis,quantã vniuersi.

Quod quidem ordine vt faciamus,hoc certum ratumque nobis esse debet, eandem prorsus curam de minimâ re Deum gerere, quàm de maximâ; neque minùs mendicabulo attendere, quàm Regi potentissimo; denique vt verbo absoluam, non minori stare studiô hominis vnius, quàm totius vniuersi gubernationem. Dei oraculum est, illud Sapientis, *Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est illi cura de omnibus.* Quid enim? certè si vt ante à me demonstratum est, 1. omnia & singula *verbo virtutis* eius sint condita: 2. si ab eius ore, id est, sanctissimâ voluntate, adhuc modò per singula momenta dependeant. 3. si omnia eiusdem sint pretij Deo comparata; nam vt rectè Isaias. *Omnes gentes quasi non sint coram te, & tanquam nihilum & inane reputati sunt*: 4. si singuli, quotquot sumus, Diuino honori, quem 2. Sap. 6. Isa. 40.

quem sibi in omni opere præfixum habet Deus, promouendo possumus subseruire: 5. cum æquè facilè ei sit totam disponere vniuersitatem rerum, quàm quæ ad vnum dumtaxat spectant hominem conformare: 6. si æquè magnâ industriâ opus sit, vt de vnico homine decernat, quàm de vniuerso: 7. Denique, si ipsa totius vniuersitatis recta dispositio, ab vnius hominis concinnâ rectâque ordinatione dependeat, quæ quidem omnia præcedentibus tractatibus fusiùs sumus executi: hæc, inquam, omnia si verâ sunt, vt sunt verissima; sane nulli posthâc dubiũ esse potest, quin eadem de minimâ re, quæ de omnibus, Diuinæ Menti sit curatio. *Imò & eandem.* Eadem dico, non æqualis tantùm: cùm hæc curare non possit aut disponere, nisi & de illis iudicium ferat, & decernat. Sic nempe ideam, de præclarâ quam mente concipit picturâ, figurare sibi non potest pictor, nisi omnium quas penicillo producturus est imaginum, locum, situm magnitudinemque conceperit, & designarit. Neque cum manum admouet tabulæ. minùs ei curandum est de minimâ rei effigie, ne nimis exilis sit, nimisúe humilis, ne obscura nimis diluteque expressa, quàm de præclarissimarum, quasque oculis maximè vult patere, imaginum formis & figuris. vna enim effigies, etiam obscuritate suâ, splendorem dat toti operi, & proportionem tribuit perspectiuæ.

3. Illud itaque cùm sic mecum statui, tum verò oculos mentis ad me reflecto; illudque accuratè peruoluo, quid tandem de me ipso possim conqueri? aut quid velle possim esse, præter id quod sum? aut quem tandem alium in hoc mundo situm, statumúe, præter eum quem mihi natura dedit, sapienter & ratione possim exoptare? sapienter inquam; nam stultè præterque rationem, nihil non optamus. Antiquum id est naturæ vitium, nunquam se ipsâ contentam viuere, sibique per vota nunquam complenda, præsentis vitæ delectationem inuidere, imò & eripere. *Itaque ne velis esse aliud, quàm quod es.*

4. Verùm vt sapienter statuamus de tantâ re, sic mecum ago. An ego cœcus homo plus Deò sapio? minimè. Non igitur mihi magis perspectum est, è re meâ quid sit, quàm illi cui perspicere omnia, ipsissima est natura. id quidem verissimum est. Rursus, nonne quantus quantus sum, Dei magis sum quàm meus? quis dubitet? Nonne ex me, & per me honori suo consulit, & saluti meæ? Nil verius. Denique vt finem sibi præfixum consequatur, credibile est eum vias inire certissimas & securissimas. non credibile *Quia omnia bene fecit, fecit & te bene.*

dibile id tantum est, sed & ipsa veritas. Quod si hæc ita sint, sic mecum rationem instituo. An ergo in me solo rectè disponendo, à Sapientissimo Numine erratum sit, qui quæ extra me sunt omnia præclarissimè ordinarit? magna illa & sublimia cælorum corpora ex arte sciuit disponere; solem, lunam, cæterosque planetas & stellas suo quasque loco aptissimè collocauit; terræ, mari, imò & leuissimo aëri ventisque, tribuit quidquid, naturæ vt bene esset, poterant exigere; non metas tantum præfixit, sed & pondus ventis dedit, ne quidquam illis deesset, vti egregiè aduertit Iob *Qui fecit ventis pondus*, hoc est, vti ego iam intelligo, Iob 18. quasi æquus minimeque parcus propola, mensurâ plenâ & confertâ, sua dona admensus est, creaturisque iusto pondere distribuit, quidquid ad naturæ statum commodum, conuenientemque situm visum est conducere: & is qui omnia potuit suis locis, temporibus, & naturæ coaptare, & ad amussim mensuramque componere, is inquam de me solo, in tanto opere aptè non potuit quidquam statuere; aut si potuit, credibilene est noluisse?

Quid dicam? quid cogitem? an cælos fortasse solemque & 5.
lunam, nobiliores esse creaturas, quàm vt ijs possim comparari, easque idcirco maiori curâ dignas, me verò non tantâ? Id verò longè est falsissimum. Infinito certè interuallo, à dignitate nobilitateque naturæ meæ distant, vt qui corpus habeo longè maiori artificio compositum & intertextum; animâ præterea, præditus sum, cuius natura est ratio; & quod summum est nobilitatis decus, pro quâ mortem subire non dedignatus est Filius Dei. Quid tantæ dignitati opponere possunt, quamtumuis magna cælorum corpora? mihi certè seruiunt, nec aliam ob causam sunt. Quis ergo mihi persuaserit seruorum mancipiorumque curam geri, & quidem magnam, & quidem accuratam, Dominos autem negligi & haberi contemptui? hoc certè præter omnem rationem cùm sit, in Deum, qui est ipsa ratio, cadere non posse, fit illico manifestum. Hinc rursus liquidò conficio, vt minimùm æquale studium, æqualemque industriam contulisse Diuinum artificem, vt de aptô mihi locô, statu, conditioneque in hâc vniuersi tabulâ prospiceret ad Diuinam eius voluntatem commodè exequendam, & sic consulendum honori suo; quàm Soli, Lunæ, Cælis, atque adeò, absit verbo inuidia, ipsis Angelis.

Imò maiorem sui rationem habet, quam cælestium corporum quâ tamen fecit valde bona.

Acquiesce ergo tanto

Tantam ergo curam mei cum gesserit is, qui in rem deducere 6.
potest

potest quidquid vult, is cuius voluntati nullus error potest irrepere; clarissimè conuincor acquiescere debere me, idque firmissimè iudicare, optimum id esse de me quod statuit; & conuenientiorem aut locum aut statum, in hoc vniuerso habere non potuisse, nec Diuino honori promouendo, nec saluti meæ procurandæ, quàm eum quem nunc occupo ex Dei decreto. Aut sanè dicendum est, præ Deo me in meâ causâ sapere, in quâ tamen nemo non cœcutit; aut certè Deum quòd conuenientiùs mihi sciuit præstare noluisse; quæ quidem horrenda est blasphemia: cùm nihil ita certum sit, quàm quod *voluntas Dei sit sanctificatio nostra*, adeoque præstare omnia quæ ad eam liquidò conducunt. *& tam accurato artifici.* 1 Thessal. 4.

§. II.

Quia verò Deum status sui auctorem esse nemo considerat, ideo nemo suâ conditione contentus est. Ostenditur autem, quàm id contra rationem sit.

7. TAm clara & euidens est mihi hæc demonstratio, vt eâ probè perspectâ, facillimè cogitationibus omnibus possim occurrere, quæ nos dementant quotidie, magnamque obijciunt animo perturbationem, doloriſque materiam. Ea enim vulgaris, maximèque obuia est dolendi causa, quòd numquam nobis placeat id quod sumus; neque corpore hoc quo fruimur contenti sumus, neque ingenio, animique dotibus, neque valetudine, neque adeo ijs, quæ naturam superant, gratiæ donis. Vtcumque ea omnia à Deo nobis præstita fateamur, semper tamen conquerimur de defectu; aut non sat multa nobis exhibita ingrati, aut alijs meliora præstantioraque fuisse concessa inuidi querulique causamur. Verùm vt de alienæ felicitatis inuidentiâ non agamus modò, quæso identidem mecum perpendite, quàm latè pateant toto orbe contra Deum diffusæ querimoniæ, etiam eorum qui Diuini nominis nec sunt, nec haberi volunt contemptores: sed vt fit, murmurationis familiaritas, conquerendique consuetudo, pudorem vitio infamiamque detraxit. *Turbamur passim, quia nemo suâ conditione contentus est.*

8. Etenim quid vulgare magis tritumue, quàm cùm negotiis mora *Et semper præferimus alienam*

morâ inijcitur, aut aliter quàm volebamus res euẽniunt (tunc enim potiſſimùm in querimonias abripimur) illico in ſtatum noſtrum inuehi, conditionẽmque deteſtari nos, per quam factum fuerit, vt his quæ patimur, expoſiti eſſemus malis? Ah ſi Angeli eſſemus, qui nullâ vrgentur corporis curâ, exclamat is qui domeſticâ re premitur, operique, lucri causâ, dies noctesque non ſine faſtidio inſudat. O ſi viri eſſemus, ingeminat mulier partus doloribus iam exhauſta. Si ſtudijs vacare potuiſſem inquit indoctus, quàm facilis mihi pateret ad commodè viuendum via!

O fortunatum Mercatorem grauis annis
Miles ait, fractus iam longo membra labore! Horat.
Contra Mercator, nauim iactantibus Auſtris, fat. 1.
Militia eſt potior: quid enim? concurritur; horæ
Momento, aut cita mors venit, aut victoria læta.

Qui matrimonio conſtrictus eſt, eo ſe vinculo conſtringi non debuiſſe clamitat; & ſanè ſi iungi debebat, non huic tamen fœminæ in manus conuenire; non huic illa viro ſeſe nubere, niſi perperam oportuiſſe. Rurſus ij ipſi qui caſtitatis legibus conſtricti, perfectioris vitæ tenent inſtitutum, etiam de ſuo ſtatu liberè obmurmurant; non illi ſe religioni dare, non illam vitæ formam inire ẽre ſuâ fuiſſe; alias eſſe ſemitas, aliam viuendi methodum, quâ facilius certiuſque perfectionis apicem fuerant conſecuturi.

Bone Deus! quid non de te querelarum vbique eſt! arbitrabar ego, nihil non ab illâ ſapientiſſimâ Prouidentiâ ordine, ritè & ſanctè ordinatum; & ecce video turbata omnia, nihil non peſſimô collocatum & locô & modô. Qui humili ſtatutus eſt in gradu, nimis is humilis, nimis is depreſſus eſt: qui altiori euectus faſtigio, nimiùm eleuatus dicitur: qui nuſquam rebus admouetur ob exiguas animi ingenijque dotes, nihil ſe agendum quod habeat, ingemiſcit: qui dotes eas eſt conſecutus, vt opera eius paſſim expetatur; miſerrimum ſe exclamat, cuique ne ad neceſſariam quidem quietem quidquam detur otij: Eccleſiaſticorum ſtatus nimis commodus videtur multis; ſæcularium nimis implicitus & intricatus, quàm vt Dei obſequio ſeſe dedicent, debitoque faciant ſatis. Sic paſſim queruntur homines. Adeò vt manifeſtum ſit, aut Deum huius conſtitutionis auctorem deſignatoremque primum erraſſe grauiter, aut verò turpiſſimè errare 9.

rare nos. Illud autem fieri non potest; alterum itaque est verissimum. in nobis erratum non est, verùm à nobis erratur grauissimè, dum tam perperam iudicamus. Et quod pessimum est nostro erramus damno; nam peruersum hoc iudicium, maximarum in nobis perturbationum est origo. Istud penitus animo euellendum est & corrigendum, vt sis quietus: frustraque te in hâc miserâ vitâ turbari conquereris, si ipsam primam mali causam in sinu fers, & verò etiam foues.

10. At quô pactô iudicium illud corrigam inquies? certè non corriges disputando ipsemet tecum; verùm vti iam à principio edicebam, ingentem illam præcelsamque de Deo opinionem excitando, quâ humanæ & ex tuo tantùm commodo enatæ proterantur ratiunculæ, & phantasiæ sic abigantur, vt ne obstrepere quidem audeant. Illud semper obuersetur animo, maximè cùm malis incipit succumbere, totam huius ingentis machinæ constitutionem, & veluti tabulam, Dei designationem esse. Totius autem, te esse partem; parua sis an magna, parùm interest, dum pars es. *pusillum enim & magnum ipse fecit*, non aliter quàm pictor egregius, minimas etiam, quæque casu proiectæ videntur imagines, hominumque velut vmbras, non nisi ex ideâ, quam studio figurauit, secundùm perspectiuæ leges, educit accuratè.

Obmurmuramus, quia non consideramus, it a nos à Deo in hac mũdi tabulâ collocatos esse.

Sap. 6.

11. Iam verò, quod nemo nisi artis imperitus mihi negauerit, vti omnis picturæ decor & symmetria ex eo existit, vt singula quæ exponuntur corpora, debitam seruent inter se proportionem, pro loci in quo constituuntur distantia; atque adeo alterum altero eminentius locari debet, alterum obscurius adumbrari, lætioribus fucis & coloribus educi alterum, prout ars exigit & symmetria, à quâ prorsus pictoris gloria & fama dependet: ita profectò tibi omnino persuadeas, vniuersi exactam perfectionem, ab eo dependere statu, non quem tu tibi singis, sed quem tibi effinxit Deus. Sanè is omnia dum in Ideis suis statuit & figurat, suo tempore & loco producenda in lucem; sic concepit omnia, vt in omnibus te conceperit; nec rursus te concepit, nisi conciperet simul ordinaretque omnia. Et si artificis gloria ex rectâ figurarum constitutione pendet, certè iam Diuinæ Prouidentiæ bona fama ex te quòd vir sis, ex te quòd imbecillis fœmina; ex te quòd Rex sis, ex te quòd vile mancipium; ex te quòd hebes ingeniô, ex te quòd merum mendicabulum, liquidissimè dependet.

vnusquisque enim vt Diuinus ait Paulus *proprium donum habet ex Deo, vnus quidem sic, alius vero sic.* Debitam autem gloriam 1.Cor.7.
Deo das, eamque promoues tu quisquis es, ô homo, si statum eum, quem summus artifex magno & prudenti consilio tibi selegit, gratanter acceptes, & lætus dicas; O summe rerum moderator Deus, à te sum id quod sum, neque aliud esse desidero quam quod sum; quia id sum quod ille desiderat esse me, qui à se solus est.

Exponitur murmurationis huius indignitas per comparationem picturæ.

Et verò, si tam sancto prudentique consilio refragaris, næ tu 12.
profectò tantæ Menti es iniurius, qui totam operis, propter te, perdi vis symmetriam. Hoc eminuero tædij leuandi causâ, lepidiùs exponamus. An non picturam illam perditum iri dixeris, si obscuriores illæ imagines, & homuncionum dilutę vmbræ quæ in vltima picturæ, perspectiuæque regione collocatæ vix comparent, inter se iunctis animis obmurmurare incipiant, deque suo statu conqueri? nolle profectò, nolle se tantopere ablegari, & in angulum detrudi; maiores esse cupere; neque eos esse, sic abscondi qui debeant & latêre inter vmbras; conspici se velle; sat diu se primorum tergoribus obtectos, & hominum oculis ereptos; sat diu se sola summa capita tantùm extendisse; ora efferre se velle posthâc, pectus ostendere, quin imò & manus. Quis ad hæc non excandescat? quis non illico sapiens iis id dicat: Inanes masculi, vacua cerebella, aut vestro, quem vobis ars præfixit, state loco, nec gressum mouete, aut illico totâ picturâ vnico penicillo obducta proscribemini. habetis quod vestrum est, quod res, quod ars, quod locus exigit; refragandi non est licentia; aut si est, non erit impunita. Quod si verò audacior ex illis quis, præ se stantes effigies incipiat vi protrudere & loco dimouere, illudque quasi per contemptum indignabundus tamen dicat; Quid sibi vult coloratus hic gigas, cur mihi anteponitur? an aliud quidquam est quàm ego sum? si coloribus constat, & ego colores meos habeo; meminerit sanè & me eodem sub lapide fuisse & se contritum, cum essemus colores meri. Quid ergo hic se toto conspicuus ostentat corpore, vbi ego tantùm humeros aut capitis partem exiguam possum prodere? abeat sanè ille, nec mihi officiat; & videbit orbis vniuersus pigmæum me non esse, nec eum qui in lucem claram non potuerim promoueri. Quid faciet ad hasce voces irritatus pictor? certè vmbraticas istas lites non facilè

cilè componet, nisi altiùs originem suam illis ingerendo, clarè dicat: Insani masculi, superbi pygmæi, homunciones vmbratici, meræ vmbræ; ingenij mei solius fœtus estis vos: quòd sitis, hoc meum est; illo loco quòd sitis, hoc etiam meum est; imò murmurare quòd possitis, hoc quoque debetis mihi. Rationes meas ne clamoribus vestris interturbate: tales quòd sitis, id exigit ars mea, imò & res vestra. Itaque situm seruate quem dedi, estote quod volui esse vos; sin aliud esse vultis, nec aliud eritis, nec verò aliud esse voletis impune. Hæc verò si pictor, pro sua authoritate, seuerus diceret, confestim credo pygmæos omnes, quibus sua bilis fuit, retracturos auriculas, magnôque silentiô occupaturos locum, quem turbati deseruerant; & præ pudore obuelaturos & vultum & os, reuerituri posthâc artificem à cuius ingenio & manu sunt, id quod sunt.

Applicatur hominibus comparatio.

13. Homunciones miseri! miseri inquam quia semper queruli; quid tantopere taciti obmurmuramus conditioni nostræ? modò nos humiles & obscuros, modò nimis hominum oculis expositos nos causamur, nunquam placet id quod sumus. Impudentes verò nos & stolidos! An non id satis est, è Dei æternâ Mente eductos nos esse, & in hanc mundi tabulam exporrectos, præ infinitis alijs creaturis, quæ eodem iure quô nos condi potuissent? & quia tibi tantum beneficium præstatur, aliquid te habere iuris existimas, vt hoc vel hoc modo, isto vel isto tempore, hoc vel alio statu, in mundi scenam educaris? Quòd si nullum planè ius potes prætendere, nec beneficium tamen vis agnoscere, saltem nullam tibi fieri iniuriam fatearis necesse est. Quòd si nulla sit iniuria, iniusta sanè tua querimonia est, adeoque Deo iniuria.

A cuiusuis hominis particulari statu depẽdet Dei gloria.

14. Adde, quod certè Dei cultoribus summo debet esse solatio, tuo situ & conditione æquè Artificem diuinum honorari, quantumuis esses miserum pædoreque fœdum mendicabulum, quàm si in cælis solem ageres, aut in terris Regem. Nam *pusillum & magnum ipse fecit*, hoc semper attendite; & si bene fecit, ipsius ea est gloria; sin malè, ignominia. Et ignominiosum sibi quid, facere voluisse Deum, credemus nos?

Neque omnes in mũdi tabulâ, perfecta vt sit, æquales esse possunt.

15. Denique, an omnes poterant Reges esse, an omnes dominari, an imperare omnes, an omnes esse diuites, an ingenioſi omnes, an omnes coniugio implicari, an omnes esse Ecclesiastici, an mares

mares omnes, an omnes fæminæ? Id quidem euicimus vniuersitati rerum non conducere ; & verò totus decor pulcherrimæ, quam intuemur, mundi tabulæ periret illico, omnes, quæ effinguntur proponunturque imagines, eiusdem magnitudinis si sint, eiusdem coloris & situs. Quæ demum isthæc esset proportio? sanè nulla, vt tute fateris ipsemet. Quòd si verò æqualitas illa seruari nec potuit nec verò etiam debuit, quô tu quæso iure hoc quod tu vis, esse debuisti potiùs, quàm alius quilibet, qui tibi naturâ æqualis est, & iure non inferior? cur tibi eminentior debebatur locus, excluso illo qui non minor te est? cur tibi debebatur sceptrum, vbi ligo & aratrum in manus dantur non ignobiliores tuis? an quidquam Deo dedisti forsitan, an occulta quędam contulisti merita, cùm adhuc in rerum naturâ non eras, vt id fieres, esse quod modo vis? nulla planè. Quid ergo conquereris?

Nec vllus ius habet, vt hoc potiùs sit quã illud.

Et magnatum excellentia, à solâ Dei illos extollẽtis voluntate est.

At nec Reges ipsi vllo modo meriti sunt, vt ad dignitatem tantam eucherentur. Fateor; sed sunt, id quod Deus eos esse voluit; & præter hanc sanctissimam Dei voluntatem, nihil in eis præclarum est, nihil magnum, nihil quod reuerear. Sic sanè & in maioribus, quæ in picturâ prominent, imaginibus, nihil magnopere admirandum est nisi ars pictoris, artisque sola constitutio: reliqua toti tabulæ sunt communia. Hanc igitur voluntatem Dei in omnibus circumspice, hanc venerare, hanc adora, neque in creatis omnibus quidquam obstupesce nisi hanc. Hâc certè solâ es, quidquid es; huic igitur acquiesce; pro hâc, totâ animi contentione & submissione Artifici gratias age, à quo habes gratus, ingratusue esse quòd possis. Hoc confitere, & sic gloriam Dei extendis & auges, non minùs per tuam conditionem quantumuis humilem, quàm Reges Imperatoresque summi, per eam quam præ se ferunt dignitatem. Hæc enim laus Dei est, omnia sic esse ordinata, vt totum parti correspondeat, & pars toti vitium non faciat. Primum, Dei omnia rectè aptantis est industria: secundum, tua est, ô Homo, virtus, disciplina, & Religio. *Hoc enim* vt præclarè commentator Epicteti, *disciplinam omnem continet, se coniungere cum vniuerso & vnum cum eo esse velle.* qui verò sponte suâ vniuerso se coniungit, cum eoque se vnum facit, is profectò vniuersi Conditori Deo coniungitur, & cùm eo vnus est: & in hac coniunctione cum eo qui mutari non potest,

16.

Simplic. in Epict. c.18.

potest, tota hominis consistit quies & perfectio. Verùm hoc vltimum persequi aliquantulùm fortasse non erit absre, vt paruæ, quæ supereſt, querimoniæ fiat satis.

§. III.

Ostenditur quòd statu suo contentum non esse, sit totius vniuersi tranquillitati & ordini se opponere: quod sanè absurdum est.

17. PVlchrè hæc dicuntur, inquies, neque sine caussâ, si magna pars hominum, ob eas, quæ obuoluuntur querelas de statu dimoueri, & in ampliorem extendi, aut in humiliorem deberent contrahi: certum est rebus humanis tantam mutationem plurimùm offecturam. Verùm quid inde aut Deo aut vniuersitati orbis nascetur incommodi, si ego solus statum mutem; & qui modò pauper sum, subitò diues fiam; aut qui modò propola cum sim merces vendo, cras iudex in subsellijs feram sententiam? Ain verò? Quid ni pari iure, quæ modò es fæmina, cras etiam vir sis? Hoc volo, inquies; & quid exinde quæso cæteris omnibus mali accidet, mihi vni quòd sit melius? Næ tu sanè commodis tuis studes in paucis, & causæ tam ridiculæ patrocinaris egregiè! Quid si ergo cum de muliere in marem transieris, postridiè te status iterum pœniteat, & in mentem veniat Angelum esse debuisse te; an iterum in eum etiam statum transmutanda es, vt Diuinæ ordinationi acquiescas? Et quid si ne tunc quidem è genio tuo sis, alia efformanda Deo erit rerum vniuersitas, cui tu pro tuo libitu & commodo inserare? Ridiculum id quidem est, imo insanum, vt egregiè Epicteti commentator, Simp. ibi. *Vniuerso repugnare, & velle vt vniuersum partem tam vilem sequatur,* vnicam tantùm ob causam, quia pars vult esse id quod non est.

At inquies, quid id noceat vniuerso si solus ego alius sum, quàm iam sum?

18. Age verò, tu qui tuis commodis tantopere insudas. Rogas me quid tandem incommodi subositurum sit, si tibi statum mutare detur pro tuo consilio, & lubentia? Illud sanè; quòd cùm omnes mortales eodem hâc in parte tecum sint iure, hoc est, nullo, idem à Deo priuilegium postulaturi meritò sint, quod tibi viderint

Refutatur hæc obiectio, eo quod omnes homines eodē iure quo tu volēt gaudere.

viderint esse concessum. Aut fortè cæteros omnes ab eo excludi vis, tibique vni præ cunctis dari? vide sis, ne felicissimus esse cum vis, mortalium omnium fias miserrimus. Totum enim mortale genus in te concitabis hôc modô, vt quem videant felicitatem eam alijs inuidere, quam tibi soli à Deo postulas assignari. Quòd si ergo alios excluseris, omnium in odio futurus idcirco cum sis omniumque indignationi exponendus, hominum omnium in quocumque, quem delegeris statu, eris miserrimus.

Hinc si homines id fiant quod esse volunt, nihil fiet in toto vniuerso.

19. Quòd si verò mortales omnes eodem tecum priuilegio gaudere vis, vt de conditione suâ statuque possint decernere, eumque eligere pro libitu, qui placuerit; tum verò perturbatus erit pulcherrimus rerum qui nunc est ordo, omnia tumultibus resonabunt, & abibunt in antiquum chaos: & hoc quidem demonstrare non erit difficile. Primò enim, quòd si ab ipso creationis suæ exordio, cuilibet homini conditionem quam volet eligendi detur potestas; iam certè in eorum arbitrio positum erit, vt quilibet mas esse velit, nemo mulier; item vt quilibet Regis appetat dignitatem, nemo subditi demissionem. Appetant ergo omnes, appetere eos quod est possibile, imò quod appetituros planè est credibile, cùm nemo sibi non velit quod præstantius: en quantum turbarum in ipsis creaturarum in lucem prodeuntium primordiis exorietur illico: decertabitur vndique de natalibus, omnes mares esse cupient, omnes Reges, nemo non sibi patrem seliget potentem, aut principem, aut Regem: isthic de loco natiuitatis grauis orietur disputatio; aliis de tempore non conueniet, hæc enim omnia conditioni futuræ conducunt. Denique si omnium desideriis debeat satisfieri, nihil prorsus æternitate totâ fiet; nunquam enim inter hominum producendorum tam diuersa consilia voluntatesque, fieri poterit, vt quisque prout vult prodeat amicâ concordiâ.

Et vt aliquid fiat, nulla erit in vniuerso, rerum stabilitas & ordo.

20. Deinde concordia inter homines vt fiat, singulique nanciscantur quam elegerint conditionem, tamen diuturna illa pax vt sit, fieri non potest. Si enim eo pergant vti priuilegio iam pro suo libitu nati homines, vt semper possint esse quod voluerint; certè non millies, sed infinitis vicibus anno vnico, totam rerum machinam ordinemque mutari necesse fuerit. Non enim ab aliis dissentimus tantùm, sed quod pessimum, nobis ipsis non constamus; ipsa desideria nostra nos oppugnant, nobiscum bella gerimus.

mus, quod heri placebat, hodie displicet; quodque apertis brachiis amplectebamur, fastidiosi iam reiicimus: imò horâ vnicâ idem tibi status horrori est & oneri, qui modò fuerat in deliciis. Matrimonio tibi videtur nihil optabilius, paulò post nihil tanto onere molestius, idque præsertim cum rixarum aliquid intercurrit. Ambis magno studio munus in Republicâ; onus cum sentis quod sponte susceperis, priuati conditionem eligis, & suspiras. Modò Ecclesiasticus, modò sæcularis arridet status: alter altero melior est, cùm tibi id videtur. Itaque cùm tam instabiles sint appetitus hominum, sanè si iis se semper accommodet cuncta vt disponat Deus, infinita nascetur confestim rerum diuersitas & vicissitudo; nullusque iam erit in orbe status, vbi semper & vbique mutantur omnia; & verò mutari necesse est, quia tu id vis. Nullum igitur in orbe munus erit stabile, nullum matrimonium constans, nullum imperium diuturnum, nullus status fixus, nulla conditio posthâc firma: quod si ita est, totus totius tabulæ decor ordo & symmetria euanescet: vno verbo, orbis perit.

Itaque tu vniuerso accõmoda, & tuo contentus sis.

21. Simplic. in comm. Epict. c. 78. Quid ergo consilij, inquies, quid facto opus incommoda tanta vt euadamus? vnicum illud Simplicij, *coniungere se cum vniuerso*, eumque situm aut conditionem constanter tenere, quam tibi summus ille artifex accuratò delegit consiliò, iam tum cùm ex Ideis quas ab ipsâ æternitate conformauerat, te condendo euocauit; ibique perstes, vbi stare te voluit, Diuinæ destinationi reuerenter modestèque acquiescens. Multis magnoque molimine, tanquam summi momenti religionisque rem, id inculcat magnus Paulus, id sibi quisque penitus, inquit, persuadeat quod iam dico. 1. Cor. 7. *Vnusquisque proprium donum habet à Deo; alius quidem sic, alius verò sic. Vnusquisque autem sicut eum vocauit Deus, ita ambulet, & sicut in omnibus Ecclesiis doceo. Vnusquisque in quâ vocatione vocatus est, in eâ permaneat. seruus vocatus es, non sit tibi curæ; sed etsi potes fieri liber, magis vtere* (statu serui, pro vt cum Chrysostomo & communi interpretatur Estius) *qui enim in Domino vocatus est seruus, libertus est Domini: similiter qui libertus vocatus est, seruus est Christi. vnusquisque in quo vocatus est, maneat.* En quam disertis verbis idem non semel, sed sæpius etiam repetat magnus Apostolus, nouerat enim quantum felicitati nostræ interfit, id semel imbibisse, animoque penitus, & non superficie tenus solummodò & quasi cursum infixisse.

Verùm

Quia Deus ita te in vniuerso cõstituit.

Verùm, si placet, hunc Pauli locum ad mentem meam quam nuper expoſui explicemus. Meminiſtis credo docuiſſe me, creationem nihil aliud eſſe quàm loquelam Dei; ſingulas verò creaturas, ſingula eſſe verba Diuino ore prolata. *Dixit* enim *& facta ſunt. Dixit Deus fiat lux, & facta eſt lux*, ſiue *& erat lux*. Item *ignis, grando, nix, ſpiritus procellarum, qui faciunt*, hoc eſt conſtituunt, *verbum eius*; quæ quidem tunc fuſiùs ſumus exequti: Quid verò nunc Paulus? Attende, inquit, quomodo te Deus fuerit elocutus, in quam vocem te efformarit. Cùm enim adhuc in primâ Scientiâ Dei, ſeu ſimplicis intelligentiæ volumine verſareris, inter poſſibiles tantùm creaturas conſtitutus, quâ voce te legit Deus, elegitque vt eſſes? quomodo te euocauit, & quaſi proclamauit vt prodires? ſeruus euocatus es, mas, mulier, Rex, mancipium, an libertus? *non ſit tibi curæ. Vnuſquiſque in quâ vocatione vocatus eſt* & euocatus, *in eâ permaneat*. Ita te Mens Dei tulit, ita Dei vox te protulit, nec verbo Dei, quod tu ipſe es, verbum oppone ſi ſapis; ex arte conſtitutus es in mundi tabulâ, pictoris ordinem ne interpella. Si manus tantùm & brachia, in hâc tabulâ voluit exerere te; ſanè manus exere, labora & incumbe operi: ſi pectus; pectus oſtende, animique fortitudinem: ſi caput; caput exere, ſtudijs operam da, cerebrique dotibus orbi proſis, manibus alij dum laborant; ſi facie vales, ſpecieque corporis es haud indecorâ, faciem oſtendas licet, ſed pudicam, dummodo frontem non perfrices. *Vnuſquiſque prout eum vocauit Deus, ita ambulet*, ita ſedeat, ita ſtet; hoc eſt, ita ſit. Neque eſt quòd quiſquam de ſuo ſtatu aut efferatur, aut etiam conqueratur, inquit Paulus; nam ſi in humili depreſſoque tibi videris conſtitutus loco, in Dei tamen Mente magnus es, cuius arte paruus es. Quod ſi magnus tibi videris altiori quòd ſtas loco, crede mihi in Dei mente cæteris æqualis es, Deo verò comparatus, omnino nullus es. Si mancipium es in tabulâ, in Dei tamen arte nulli cedis, aut nobilitare naturæ, aut artis te effingentis præſtantiâ. Si potentis Regis Majeſtatem præfers, mancipium certè, imo pluſquam mancipium Dei es, à cuius arte ſolâ es quod es, futuruſque ſemper id quod eris. Hæc laus eſt Dei, hæc gloria conditoris: *omnia quæcumque voluit fecit in cælo & in terra*, & quod laudem omnem exſuperat, *omnia bene fecit*.

22. Tract. §. 2.

Pſal 113.

Hoc

23. Hoc tantùm à te exigitur, ô homo, vt cum cætera omnia id sint quod ea esse voluit tantus Deus artifexque, tu eius gloriæ vitium ne facias; sed quantùm in te est, gloriam augeas conditoris. Augebis autem, si dum statu tuo contentus es, benè prudenterq; te in hanc mundi tabulamne dicam, an fabulam fuisse eductum, re ipsâ fateare. Nemo certè sibi de magnis dignitatibus, munijsque gratuletur: nemo sibi de viliori fortunâ indignetur. Si tabulam hactenus dixi mundum hunc, fabulam tamen meritò etiam dixerim. Personata enim hîc sunt omnia, scenam subimus dum viuimus: vnusquisque vitæ suæ actor est. Quapropter vt præclarè admonet Epictetus *Actorem esse fabulæ talis, qualis magistro probata fuerit te memento. Si breuis, breuis; si longa, longæ; si mendicum te agere voluit, fac eam personam ingeniosè quoque repræsentes; ita si claudum, si principem, si plebeium. Hoc enim tuum est, datam personam bene effingere; eam autem eligere, alterius.* Inuertimus nos rem, & sic omnia euertimus. Eligere personam agendam volumus, magis solliciti quid agamus, quàm vt benè. Eligere autem cùm volumus, malè eligimus; & quod pessimum est, hoc ipsum quod eligimus si obtingat, acturi pessimè. Qui modò plebeium, priuatumque hominem agere recusat, Princeps prout vult si fiat, Principis partes aget fœdissimè. Itaque conticescant posthâc querulæ hæ voces; Vtinam diues forem aut mas, aut à matrimonij vinculo liber! vtinam Ecclesiastici vitam agere liceret mihi! futiles sunt eiusmodi voces & vota. Non quid agas, sed quomodo, Dei interest. Pauperis partes age, si pauperem te Deus voluit; verùm ingeniosè age, hoc est, vt pauperem agere vult Deus. Si mulier es, mulieris, sed modestæ vultum præ te fer: coniugio si astrictus, id age vt matrimonij leges accuratè expleas; & sic partes omnes, numerosque compleueris, quos à te Diuini Numinis destinatio exigit, eiusque quam dere benè actâ, ex te deposcit nominis sui laus & gloria.

Et hæc est Dei gloria, partes tuas ingeniosè agere te.

Epict. in enchir. c. 23.

§. IV.

Occurritur obiectionibus. Ac primò ostenditur quòd quiuis in suo statu possit Deo perfectè seruire.

Obiicies, quod in tuo statu tempus non habeas seruiēdi Deo.

INcipis tandem & dictis & conditioni tuæ acquiescere, mur- 24.
murator improuide? Aliquousque, inquies, verùm nondum planè. nam quantumcumque meo statu contentus sim, tamen alios meliores esse comperio. Quos verò meliores vocas tu? eos sanè repones illico, in quibus maior & Deo obsequendi & salutem æternam accurandi est commoditas, Itaque vt video, commodum tuum quæris, non Dei Gloriam. Minimè, inquies, non volo mihi esse commodè, nisi vt commodiùs Deo obsequar, plusque mihi ad id sit otij & temporis. Longiorem itaque vitam tibi postulas? Non postulo, inquis. Non postulas? at ego quid sit habere plus otij & temporis ad obsequendum Deo, & non habere plus vitæ, id prorsus non intelligo: vnum si vis, alterum vis. Etenim, an Religiosi, aut ij ad quorum conditionem anhelas, plures, quàm viginti quatuor horas habent diebus singulis? minimè id quidem, inquies; sed inter totidem horas, plures habent, quas orationi diuinoque impendant obsequio, quàm ego. certè mihi, rebus agendis, operique cui affigor astricto, vix superest, quod Deo dem, momentum vnicum.

Refutatur hæc obiectio. quia nunquam melius seruitur Deo, quàm præstando obsequia quæ ipse petit.

En vt ex ipsâ Dei gloriâ promouendâ, diuinique obsequij stu- 25.
diô, murmurationibus suis quantumcumque insulsis, excusationem petant prætexantque nunquam quieturi mortales. Enimuerò vt commodis suis inhient, de diuino obsequio & cultu sunt solliciti. Verùm quis tibi id persuasit miselle homuncio, orando tantùm seruire Deo nos, nisi sola vulgi opinio, & ea quam quæris commodè, vt tute tibi fingis, viuendi ratio? An non Deo obsequi, est voluntatem Dei exequi, officioque quod ab eo exigitur, facere satis? id quidem credo ego. Itaque si Religiosi orent, Deique laudes decantent per plures horas, faciunt id, quod eos facere voluit Deus: tu verò si manuum labori insistis cùm sis plebeius, si causas agis cùm sis causidicus, si domui inuigilas cùm sis paterfamilias, certè id facis, quod vt faceres, esse te voluit

luit Deus id quod es. An ergo Deo non obsequeris? an illi laudi non es? Quod si ita est, & vtrobique Deo præstetur obsequium; quid id tuâ refert quô pactô id sibi præstari voluerit à te, modò Diuinæ voluntati sit factum satis? Ad picturam rursus animum aduertite. An non masculus is, qui ligna summo nisu & conatu findit; æquè pictoris arti & voluntati, vt sic dicam, obsequitur, ac is qui brachiis decussatis, toto corpore erectus, astra contemplans cælos aspicit? non est dubium.

26. Quid igitur falsa nobis imaginamur & imponimus? sudas tu die toto, fornaci assides ferrumque effingis; fingere id te vult Deus. Infantem tu fers vtero summâ cum molestiâ; mox nato & vbera, & lac, & curam, & diem omnem impendis, impendere te quia vult Deus. Ecquis igitur mihi persuadeat, minus te seruire Deo, quàm is qui si status id exigit, orando dies cum nocte coniungit? Quæ demum est ista sentiendi peruersitas? an non is seruit, Domini sui voluntatem qui exequitur? procul dubio. At verò, is non perfectè seruit, qui cum ab hero forte horto fodiendo curandoque adhibetur, os vultumque contrahit, & malle se mensæ ministrandæ operam dare, tacitus sibi queruluſque obmurmurat. Neque hic mihi reponas, actiones illas operaque & munia, necessitate tibi imposita, iis te victum parare, & familiæ prospicere; quasi verò necessitas excludat obsequium Dei. Quinimo necessitas illa euidentissimum est voluntatis Diuinæ indicium: hanc tibi imposuit, vt is esses, qui manuum labore curisque implicitus vitam ageres. Vitam ergo si sic agis, & si libenter agis, quia id tibi oneris à Deo est impositum, cui sanæ menti dubium esse potest, quin Deo seruias & quidem accuratissimè?

Ea autem obsequia petit Deus, quæ statui tuo sunt propria.

27. Quæso ne id importunè reuocemus in dubium. Existimo enim nulli magis perspectum fuisse quid sit seruire Deo, quàm Christo, qui id de seipso fert testimonium aut potius elogium, Ioan. 5. *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me,* & quidem semper & vbique. Iam verò, hunc ipsum perfectionis omnis apicem & exemplar, video seruili insudare operæ annos plurimos, malleis & dolabræ manus eas impendere, quas denique pro mortali genere deprecaturus in cælum sustulit, & verò etiam in cruce figendas dedit moriturus. An ergo voluntati Diuinæ non obsequebatur, cum iuuenis in maternâ domo totos dies carpentariam exerceret? imò verò magis crediderim, laborando

Patet in Christo.

rando tunc Patri feciſſe ſatis, gratiuſque obſequium præſtitiſſe, quàm ſi tunc temporis opere manuali deſerto, ſe totum precibus aut etiam formandis hominum moribus impendiſſet. id gratum Deo fuit cùm exigebatur; ingratum haud dubiè futurum, ſi præter tempus fuerat exhibendum.

In exhibēdis autem bene operibus ſtatui proprius, perfectio vniuſcuiuſq; conſiſtit. Hinc quiuis in ſuo ſtatu poteſt eſſe perfectus.

Itaque ne bonitatem ſtatûs incuſa vel extolle. ſtatus ſanè nec bonitatem nec malitiam operibus tuis, obſequioque confert: verum id conferunt opera, quæ conditio ſtatuſque exigunt. Atque id his tandem præcipuum eſt bonitatis, malitiæúe fundamentum, & vero etiam apex. 28.

Neque ſtatum vllum eſſe ſcias quantumuis humilem, quantumuis curis implicitum, in quo non tam perfectè vitam poſſis agere, quàm in alio quouis: ſiquidem perfectio tota in hoc conſiſtit, vt id agas accuratè, quod in tuo ſtatu exigit Deus, non verò quod exigit in alieno. In eo autem erramus grauiſſimè: boni omnes eſſe cupimus; ſed bonitate alienâ non noſtrâ; & ſic, nec illam conſequimur, nec noſtram vnquam exhibemus. Neque verò matrimonio iunctis neceſſe eſt perfectos religioſos eſſe, perfecti ipſi vt ſint; habent ſua quique officia. Neque vt perfectum pauperem agas, diuitis & potentis virtutes vt exerceas, vllo modò requiritur: eleemoſynas erogent illi, tu egeſtatem feràs. Neque plebeium hominem Verbo Dei diſſeminando vacare oportet, vt perfectus ſit opificio dum incumbit: quiſque, quod exigitur à Deo, id agat: quiſque quia exigitur à Deo, id agat; denique quiſque ſicut à Deo exigitur pro ſuâ conditione & ſtatu id exequatur, & vnuſquiſque tum perfectionis apicem eſt adeptus; gratus Deo eſt, & hoc ſufficit. Nam vt grauiſſimè affirmat D. Petrus. *In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus: ſed in omni gente, qui timet eum & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi.* 29. Act. 10.

§. V.

Oſtenditur neminem iudicare poſſe, quòd in alio ſtatu perfectiorem vitam fuiſſet acturus.

ADhuc tamen, vti ſuſpicor, querimoniæ tuæ non eſt factum ſatis. nam licet in quocumque demum ſtatu perfectè Dei voluntatem 30.

luntatem exequi quemuis posse fateare; tamen id semper animo obuoluitur, commodiùs longè te Deo obsequi potuisse, pluraque agere ex re cultuque Numinis quæ sint, si diuitiis affluueres, quàm modò, cùm victui necessario comparando omnis exigitur ætas, & impenduntur curæ, alia longè præclarioraque facturum te, in Ecclesiastico statu constitutum, aut alteri meliorique iunctum coniugi. Quid enim hocce meum matrimonium est, inquies, nisi rixarum mœrorisque perpetuum stabileque seminarium? Parce verbis quæso, scio quò tendas, mihique si placet aures accommoda. Vin vt os occludam tibi, omniaque mentis dissidia, hâc in parte, penitus vt componam?

31. Illud ergo primò interrogo, quâ tu tandem ratione possis decernere, alio in statu acturus quid sis, cum tibi nullo pacto constare possit, quæ tibi tunc futura sit mens? quid scis, quas tibi tunc tricas, quas tentationes, quas animi molestias obuoluturus fuisset Dæmon, aut ea quam circumgestas, animo rebellis caro? Quis nouit quod in consortium, quos inquam in scopulos impingendus, quos habiturus tibi superiores quibus subdâre, quos subditos quibus imperes? Quâ tunc animi constitutione, quo genio, læto an tristi, qua mente, facili an difficili futurum te iudicas, alio planè in rerum conditionisque statu; qui ne iam quidem quo genio post horam futurus sis, satis aptè potes discernere? Rides modò, flebis fortasse tunc; nunc animo tranquillo es, mox fortasse rixæ & iurgia tempestates excitabunt longè grauissimas. Tu verò qui matrimonium aliud à tuo iudicas rebus tuis futurum conuenientius, quâ quæso id ratione tutò potes discernere, & absque errandi manifestissimo periculo? hunc sanè de quo modò conquereris coniugem arbitratu tuo selegisti, optimumque tum rebaris fortasse omnium quos ferebat tellus. Erraui inquies. Credo equidem: at qui credam ego, iam non etiam errare te? optimum dum olim vt putas eligis, elegisti vt iam fateris, pessimum. Minimè, inquies, optimus erat, illi cum nupsi; verùm suo vitio peruersus est deinde. Ita sanè sit: sed quo pacto constat tibi non peruertendum fuisse cum, quem tibi mente designas, quemque futurum tibi arbitraris tam beneuolum? alios sanè vultus præferunt proci, alios voti compotes facti iam mariti. Quidquid sit, inquies, peior certè hôc, quò nunc vexor coniuge, esse non poterat, non moribus asperior, non animo

Nemo potest decernere an in alio statu non fuisset habiturus plures molestias.

vultuque ferocior. Hoc quidem effutis tu, vt reliqua omnia: sed quem virtutis, quam tibi in alio fingis, futuræ habes sponsorem? quis pro eius humanitate tibi impendendâ, fidem facit? multorũ enim vocibus circumfertur, te per nimiam impudentiam, effræmemque dicacitatem, omnis dissidij domestici causam esse; non tulisset ne tam diu quidem fortasse, is quem tibi tam beneuolum depingis, importunam sibique proteruè imperantem fæminam: & sic quem affabilem nunc esse dicis, triplo fortassis asperiorem, quam quem excutere vis maritum, tua fecisset garrulitas. Itaque nihil hic certi potes statuere; coniecturâ ageris. Eas autem sequi, quid id est aliud, quam se in errorum barathrum coniecturando conijcere?

Malo etiã felitur gratiis à Deo in alio statu dandis.

Insuper, an florentiorem illum, illum commodiorem, melioremúe quem tibi animo formas vitæ statum, rebus cælestibus consequendis, animæque tuæ saluti comparandæ conducibiliorem futurum existimas? an satis tibi roboris futurum fuisse credis, quo difficultates, quas status ille secum fert, potuisses perrumpere; eaque exequi omnia munia, quæ aut in Religione, aut in dignitate tali constituto imponuntur, meritoque ab eo exiguntur? An animæ tuæ prospexisses tum, in tam ancipiti loco, tantis periculis expositus? Prospexissem, inquies. Verùm quam fidem exhibes, tibi vt credam, aut etiam tute vt tibi? Contulisset, reponis, gratiam suam Deus misericors, sine qua vti nihil, ita cum eâ, nihil non possumus. Præclarè admodum de Deo sentis: sed ego de te, tibique timeo. 32.

Illud certè non satis capio, quâ fronte tibi gratiam à Deo dandam polliceris, vt ea quæ in statu illo, quem tibi effingis & seligis, occurrunt mala perrumpas; sanctéque viuas; neque tamen id tibi persuadeas, liberaliorem profectò longè futurum tam beneuolum Deum, vt tibi de gratijs omnibus munificè prospiciat, quibus conditionis quam ipse tibi elegit & designauit incommoda, viriliferas animo, & quæ ab eo exiguntur, commodè exequaris. Magine ergo allaboraturum Deum credis, vt faueat electioni tuæ, quàm destinationi suæ? Omnia tibi videris perrupturus mala, ad omnia onera perferenda suffecturos tibi animos polliceris; submissum, patientem, liberalem, affabilem futurum te asseris, modò id quod optas sis, semperque Dei fauore tibi impendendo niti te clamitas. Sed non vi- 33.

deo,

deo, quâ gratiâ, gratiam tibi impendi vis, pro eo dandam ſtatu quem tibi contra Dei mentem ſeligis, neque illi gratiæ fidas modò, quam pro hôc, quem tibi dedit, ſtatu rectè exigendo liberaliſſime dat quotidie. Hanc ſi tu reijcis ingratus, præſidens ſanè illam temerariuſque expectas.

34. Inuolucra ſunt tantum infirmitatis noſtræ, velaque quæ voluntati ſtolidæ, nunquamque ſibi benè conſtanti obducimus, iſthæc dicta dicere: ô ſi Religionem ingredi licuiſſet mihi, ſi magis tranquillam negotijſque minùs obnoxiam vitam agere fuiſſet datum! quid non obſequij contuliſſem Deo, quot merita bonis operibus mihi non accumulaſſem! Hoc ſanè ſi ex animo ſincerè pronuntias, id ſaltem age, quod potes modò, eaſque quæ nunc ſuppetunt dotes, quàm potes optimè, Dei obſequio ſtudioſéque impende. Impendes autem, ſi nullâ re gratioſiorem Auctori tuo futurum te perſuaſeris, quàm ſi tu quidem ligone, tu malleo, calamo tu, tu armis, tu ingenio, manibus laborando tu, tu Eccleſiaſticis incumbendo penſis, tu verò liberis rectè educandis operam dando, munus impoſitum ritè expleas, aliudque omnino nolis eſſe modò, quàm quod modò ex Deo es. Fruſtra verò mihi perſuadere conaberis, obſequium Deo debitum tunc rectè executurum te, qui modò tam negligenter proiectèque agis; ſemper ingratus Deo, ſemper querulus. Ceſſarent, inquies, tunc omnes querimoniæ. Quod ſi ita ſit, certè ceſſent iam; eriſque modò quod tunc futurum te exiſtimas: verus nempe ſinceruſque ſeruus, tuam operam pro ſuâ ſanctâ voluntate exigentis Dei.

Hinc male ad alium ſuſpiratur ſtatum.

35. Maneat id igitur, non eſſe quod quis iudicet, quo in ſtatu accuratiùs exacturus fuiſſet vitam: illud enim certum eſt, ignorare nos ſuperuentura quid ætas allatura ſit, quâ indole, quo genio futuri deinceps, quâ valetudine corporis, quâ fortitudine animi, quibus immiſcendi difficultatibus, quas à Dæmone moleſtias ſubituri, quibus iungendi comitibus: denique nulla nobis circumſtantia futura, nunc comperta eſt, ex infinitis, quarum ſingulæ, rem totam variant, alterantque ſtatus malitiam & bonitatem. Quid ergo de re tam incognitâ cœci iudicamus, quid improuidi decernimus?

§. VI.

§. VI.

Ostenditur tandem ideo tibi statum quem habes selegisse Deum, quia tibi saluti consequendæ futurus erat aptior.

In nullo statu eris perfectior, quã in tuo què Deus tib. assignauit.

VErùm vt scrupulum omnem turbationemque animo euellam, non tantùm dico quod de alio quem tibi fingis statu, iudicare non possis, meliorne tibi futurus sit an deterior: illud secundò assero, vt plenè acquiescas, alium statum non suppetere, in quo perfectiùs vitam acturus sis, quàm hunc, ob quem gaudere cùm deberes, ingemiscis. Posses quidem in alio esse perfectior, verùm posses & in tuo: in illo autem licet posses, nego tamen meliorem futurum te. Hoc si rectè demonstrare potuero, exorata est causa Dei. Id verò, menti Diuinarum rerum superioribus Tractatibus explicaturum cognitione imbutæ persuadere non erit admodum difficile. 36.

Eum enim tibi statum selegit Deus, in quo te scivit futurũ optimum, sibique magis honorificum.

Hoc enim imprimis certum est, Deum vniuersi auctorem non minori studio accurare singula, quàm omnia. Illud æquè certum, non casu me in lucem hanc productum, sed summâ industriâ attendisse eximium Artificem, quo situ, quò loco, quo tempore, quâ conditione, quo statu me in hac vniuersitatis tabulâ exponeret, non tantùm gloriæ suæ, sed & salutis meæ rationibus, accuratè expensis. Quid enim? nec folium vento abripitur, nec capillus in terram decidit, vt Christus ipse testatur, cuius exactam rationem non habeat Deus: adeo vt ne folij quidem casus casu incidat, sed destinato Dei sic statuentis arbitrio: & quisquam mihi persuaserit, eum accuratissimam rationem non habuisse præstantissimæ creaturæ ratione nobilissimâ præditæ, quamque ita adamarit, vt ad cælestis gloriæ hæreditatem erexerit, Diuinitatis iam capacem, postquam Diuino Sanguini est inserta? Quòd si itaque statui meo procurando maximam gesserit curam optimus sapientissimusque Deus, dubitare non possum quin eum selegerit, quem suæ gloriæ meisque rationibus maximè conducere iudicabat. Potuit enim id agere si voluit; voluisse autem non est dubium, eum, qui vult quod est optimum. Hinc illud certò tecum statue, quòd licet in alio statu, faci- 37.

faciliores forsitan commodioresque sint ad virtutem salutemque viæ, eas tamen tibi commodiores facilioresque minimè futuras, ob ea quæ tu quidem nescis, Deo autem liquidò sunt perspecta.

38. Auditores, hæc vna cogitatio, cogitationem mihi omnem adimit; nec habeo quod dicam, nisi Dauidicum illud, *Mirabilis facta est scientia tua ex me*, id est, ex me solo statusque mei consideratione, admirabilis planè existet, si paululùm expendatur Deus. An non enim admirationem id omnem superat, status omnes habere quos potuisti (potuisti autem nanciscì infinitos) omnes, inquam, perlustrasse eum Diuinæ Mentis acumine, antequam te, quod es & prout es, condere decerneret, eamque tibi constitutionem daret quæ libero tuo arbitrio, ad bene viuendum impendendo, maximè deseruiret? Deus immortalis quantô hîc studiô opus fuit! & quis huic operi suffecisset, præter hunc immortalem Deum! Id enim statuere nullo pacto potuit, nisi infinitâ suâ conditionalium, quam exposui, scientiâ, omnes quotquot possibiles sunt conditiones casusque, qui singulis possunt obtingere, complexus sit & penetrarit. hos autem infinitos esse liquidò patet. Illud itaque sciuit quid acturus fuisses, si mas, si fœmina, si Rex, si plebeius, si diues, si pauper, si bono, si hebeti ingenio fuisses; rursus si in Indiâ natus, si in Belgio, si in Hispaniâ, quid quoque loco euenturum fuisset tibi; & ne in re infinitâ numquamque exhauriendâ infinitus sim, particulatim etiam sciuit quid in quouis cum quâcumque matrimonio, quid in quâuis religione, quouis tempore, quouis loco, quibusuis Præfectis, commilitonibus, & circumstantiis infinities variatis, tibi fuisset animi, quid virtutis, quid spei, quid rei.

Exponitur quomodo id sciuerit & selegerit Deus.

Psal 138.

Tract. 3. & 4.

39. Omnem illam Scientiam tibi, rectè in hâc mundi serie collocando, impendit; circumstantiasque ex infinitis, eas selegit, in quibus perspexit libero arbitrio aut optimè, aut certè minimè malè fuisse vsurum te, vt sic saluti tuæ optimè consuleret. Et verò eandem prorsus scientiam & industriam, in omnium hominum conuenienti ordinatione exhibendâ, applicare debuit magnus artifex, solummodò tibi mihique vt rectè prouideret. Quo pacto enim de me quidquam poterat decernere, nisi simul & de parentibus meis certi quid statueret? de his autem nihil poterat ordinare, nisi totam ab Adamo futuram hominum seriem, omnesque rerum circumstantias in suos ordines distribuerit.

Itaque infinitis, vt dixi, rerum differentiis, hominum, locorum, temporum, dignitatum, geniorumque circumstantiis probè expensis, cum illæ sese offerrent, in quibus dubio procul, libertate te tuâ maloque arbitrij vsu condemnandum vidit quem amabat; illis omnibus circumstantiis quæ statum hunc faciunt, reiectis, eas selegit, quas saluti acquirendæ, tibi maximè profuturas liquidò cognoscebat. 40.

Damnãdus verò credibile est eum statum prouidisse, in quo minus haberent damnationis.

Quid verò de damnandis statuit, inquies ? Dicam, quod Misericordiam Dei sedulò expendenti, & in damnatis quoque admiranti mihi in mentem venit. Certissimum id verò est, fideique articulus, neminem à misericorde Deo ad æterna destinari creandum supplicia, vt impiè de tam immensâ Bonitate garriunt Sectarij. *Perditio tua Israël, tantummodo in me auxilium tuum.* Verùm ita piè censeo, Deum cum in tertiô Scientiæ suæ quam de rebus conditionalibus habet volumine, perspexit hominem hunc quem creare decernit non tamen damnare, libero nihilominus arbitrio ita vsurum, vt nec in Religionis statu, nec in sæculari, nec in dignitate constitutus, nec ad paupertatem deiectus, nec ægro nec valenti corpore, nec mas nec fæmina, salutis æternæ consequendæ rationem habiturus sit : tunc inquam plànè mihi persuadeo, tantam esse Diuinam pietatem & Misericordiam, vt ex omnibus iis statibus, in quibus cognoscit hominem pro suâ libertate & malitiâ damnandum, eum adhuc eligat, in quo, secundùm communem Gratiarum cursum, scit minimè saltem malè, libertate suâ abusurum hominem, minoremque propterea sibi damnationem pariturum : aut certè eum deligit, in quo grauissima etiam scelera permittere, ingentem aliquam Deo sit gloriam allaturum ; pro vt de Tyrannorum immanitate philosophati sumus, quorum sæuitia, tantam Martyrum multitudinem Deo, gloriamque cumulauit. 41. Osee 13. Tract. 6.

Itaq; Prouidentiæ Diuinæ in tuo statu acquiesce.

Pluribus id probare nunc supersedeo ; quamquam mihi certum sit, quod sicut teste Apostolo *Dei voluntas est Sanctificatio vestra*, ita voluntas eius sit minimè offendi velle, & in damnatis minimum velle reperire quod castiget. Illud modò vrgeo, eam esse Dei mentem ô Homo, te illo in statu constituere, qui maximè saluti tuæ conducturus est ; aut si tu salutis curam habere non vis, saltem minimè obfuturus. Adde, quòd is sit status tuus, in quo sanctiorem te, quàm in quouis alio futurum, omnibus ritè inspectis, 42. 1. Thess. 4. vide Tract 15. num. 35. & 36.

inſpectis, proſpexit Deus. Quod ſi ita eſt, ſi tantus in me collocando impenſus labor, tantum adhibitum eſt ſtudium, tot tamque grauia impenſa conſilia & expenſa; quid ego de rebus meis ſtatuere, quid conqueri poſſum homo minimæ mentis, cœcus & rerum omnium ignarum caput? quin igitur tanto Numini acquieſco? cur tantæ ſapientiæ ſtatuitatem meam temerarius & impudens non ſubiicio?

43. Hanc ſanè diſponentis cuncta Dei ſapientiam ob oculos habe identidem, ſi tuo ſtatu contentus viuere deſideras. Teque cùm conſideras quid modò ſis, illud cum Pſalmiſta admirabundus exclama. *Domine probaſti me*, id eſt ſcrutatus es me meaque omnia, *& cognouiſti me. Tu cognouiſti ſeſſionem meam & reſurrectionem meam, intellexiſti cogitationes meas à longè, ſemitam meam & funiculum meum inueſtigaſti, & omnes vias meas præuidiſti.* Sic eſt Dauid. quid verò tu ad hæc? Mirari, inquit, poſſum, eloqui non poſſum, *non eſt ſermo in linguâ meâ.* Nam verè *Tu cognouiſti omnia*: omnibuſque cognitis & expenſis, tandem *Formaſti me.* per te ſum id quod ſum. quid dicam? ſane hoc vnicum, *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, & non potero ad eam.*

Eam ſemper habe præ oculis, vt tuo ſtatui ſis.

Pſal. 138.

44. Nonne mirabile id eſt & ſtupendum, tantâ cognitionum congerie, tantâ ſcientiâ, tanto ſtudio opus quòd fuerit, vt Dauid formaretur paſtor futurus & ex paſtore Rex? Et hoc nonne æquè ſtupendum eſt, eadem omnia quæ Dauidi ſtudia tibi quoque impendiſſe Deum, antequam te in hanc lucem euocauit; antequam decerneret an in matrimonio collocandus, an huic cõiungendus vir vxori, aut ſi vxor, viro; an huic vel illi admouẽdus operi aut dignitati? Tanto opere, vt ſic dicam, Deo ſtetit plebeium deſignare te, te propolam, te militem, Religioſum te, te marem, fœminam te, te denique vile mendicabulum, te verò Regem? Quid, quòd decreto hoc de te formato tum tandem de parentibus tibi aſſignandis, de loco vbi naſcereris, de amicis qui ſubſidio eſſent, de omnibus denique circumſtantiis ſigillatim cogitarit, per quas, in eum quem mente deſignarat ſtatum, infallibili euentu deuolueris? Certè hæc cum conſidero, obmuteſco; *Nec eſt ſermo in linguâ meâ*, nimis enim *profundæ cogitationes tuæ* ô Deus, & nimis etiam *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me.*

Admirare ſtudium Dei in ſeligendo tibi tuo ſtatu adhibitũ.

45. Hoc ſolum poſſum dicere cum Auguſtino, *Conſtanter, ô homo, te Deo crede, eique te totum committe quantùm potes.* Acquieſce tandem

Et Diuinæ tandẽ Prouidentiæ gratias age.

Aug. in Soliloq. in fine.

tandem aliquando tam ſancto Dei conſilio, nam verè *Reſtum iudicium eius & cogitationes hominum timidæ, & incertæ omne prouidentiæ noſtræ.* Sap. 9. Interim gratias tibi maximas & immortales Æterna Mens, eum me quòd condideris qui ſum, hôc locô, hôc tempore, hôc ſtatu eſſe me quòd decreueris: aliud eſſe nolo, ſed alius; hoc eſt melior & non melius. Quid formaueris, id quidem tu probè ſcis: hoc ſcio ego, *quia æquitas iudicia tua,* & mea ſalus. Pſal. 118. Tuum eſt, quam quiſque perſonam in hâc mundi ſcenâ exhibere debeat, ſeligere; noſtrum agere. ſelegiſti iam tu, & quidem ratione optimâ; meæ nunc ſunt partes, eam quàm optimè perfectiſſimeque exequi. Talem me habebis poſthac, qualem me condidiſti, & qualem me conditum eſſe voluiſti. An tibi ſufficit id quod ſum Maieſtas infinita? ſufficit tibi miſellus homuncio, terræque viliſſimum pondus Immenſe Deus, Prouidentia æterna, Sapientia inexhauſta? O me felicem, felicitatem tantam ſi intelligo! ô me fortunatum ſi me quid ſim, & à quo id ſim, rectè percipio! Sic age tandem, & quieſces. *Sufficis tu Deo,* vt rectè Cyprianus, verùm vt tranquillo ſemper ſis animo *ſufficiat tibi* tandem *Deus. Et homo cuius Deus eſt, quid amplius quærit?* D. Cypr. de Aſcēſ. Domini.

TRACTA-

TRACTATVS XI.

Vnuſquiſque donum proprium habet à Deo, alius quidem ſic, alius vero ſic, 1. ad Cor. 7. v. 7. vnumquemque ſicut vocauit Deus, ita ambulet. v. 17.

Oſtenditur vnumquemque, vt ſuo ſtatu contentus ſit, etiam debere acquieſcere omnibus quæ præceſſerunt euentibus, quibuſque ad eum ſtatum eſt perductus.

PROOEMIVM.

Tract. 10. SI fundamentum quod iam poſui bene firmiterque fuerit collocatum, & illud quiſque ſibi perſuaſerit, ſtatu conditioneue ſuâ contentum eſſe debere ſe, optimus quòd ſit qui ſibi potuiſſet obtingere; præcipuam rem peregimus. Facilè enim turbationem omnem ſedabimus, tumultuſque componemus, qui ſolent ſuboriri animo tum præterita, tum præſentia, tum etiam futura nimis anxiè cogitanti. Ac primò quidem video turbari plurimos, ob ea quæ licet præterita iam ſint, tamen approbare facta non poſſunt, optarentque proinde aliter accidiſſe. In duplici ea ſunt differentiâ; quædam quæ circa nos ſunt, extra nos tamen poſita; vti parentes, natalia, amicorum mors, filiorum mores, coniugij ratio ſerò vel malè inita, atque his ſimiles euentus rerum. Alia in nobis ſunt, eaque innata; vt genius, ingenium, mentis perſpicacia, percipiendi vis. Multam ſanè turbarum hæc ſuppetunt materiam: diſplicet enim non paucis aut eos habuiſſe ſe parentes, aut nimis citò ereptos, aut alios ſe non eſſe nactos filios, aliam coniugem; ingenium item perſpicacius, indolemque ad maiora natam. Hinc in alijs ea cùm perſpiciunt, frendent inuidiâ, &

triſtis paulatim exedit mentem liuor. Magnus hic latet ſcopulus. Vitandus eſt; & vt vitetur exponendus palam. Illud itaque propoſitum mihi nunc eſt oſtendere, ſi verè tuo ſtatu contentus ſis, conſequens id eſſe, vt etiam ea arrideant, quæ ad eum te ſtatum, viuendique quam tenes rationem perduxere. Ac proinde primò omnibus quæ circa te iam præteriere euentibus; Secundò etiam internis doribus debere acquieſcere; Tertiò tandem, inſanum id eſſe, alteri quòd inuideas. Hæc inquam omnia, ex eo ſolum capite, quòd tuo ſtatu contentus ſis, tanquam principio deducenda & explananda ſunt. Ante omnia tamen, quid ſtatus nomine veniat, & quoſnam in ſtatu eſſe intelligam, liquidò eſt declarandum.

§. I.

Quid propriè ſit ſtatus, & quomodo ad eum à Deo, & per quæ adiumenta perducamur; & quando in eo ſit perſeuerandum. Deducitur id per aliquot caſus.

Quid ſit ſtatus & an mutari poſſit.

ILlud tametſi rectè perceperimus, ſuâ ſorte contentum viuere debere eum, qui inter haſce vitæ miſerias felicitate frui deſiderat, ſic vt ex Apoſtoli conſilio *Vnuſquiſque in quâ vocatione vocatus eſt, in hâc permaneat*: aliquod nihilominus dubium ſupereſt, diffuſiùs explicandum. Non enim iſtud adhuc liquidò intelligitur, quid ſtatûs nomine veniat, aut quæ propria dicatur vniuſcuiuſq; conditio. Rurſus ſi ſua cuique ſufficere debet ſors, certè mutari non poteſt pro arbitrio; & quemque in eo quem occupat ſtatu perſeuerare conſtanter, neceſſe eſt. Hoc ſi ita ſit, nemo ſanè è cœlibatu ad matrimonium poteſt contendere, ne cœlibatûs ſtatum mutet: imo ne Religionem quidem inire rectè quis poſſet, ne à ſæculari ſtatu, quem priùs occupabat benè, in alium fiat mutatio. Quid, quòd ne in munijs quidem dignitatibuſque vlla rectè quæreretur viciſſitudo? neque paupertatem quis cum diuitijs rectè commutauerit, neque ignobili loco natus ad illuſtria adhiberi, neque propola mercatorem agere, neque cauſidicus ad Iudicis ſplendorem euehi à quoquam poſſet; imò ne æger quidem valetudinem exoptare, ne ſtatum mutet is, qui

1.

1. Cor. 7

qui suâ sorte contentus debet viuere. Huic obiectationi quæ sanè præclara est, remque omnem exponi sibi postulat, plenè
Tract 14. suo loco satisfaciam. Id nunc agamus, exponamusque quid status nomine intelligatur.

2. Statum itaque duplicem esse dico; & primum quidem voco *Rationabilem viuendi rationem & methodum, à quâ sine peccato & scelere non licet discedere.* Et hic quidem status est firmissimus. Alter est *Rationabilis viuendi ratio, à quâ licet sine peccato detur recedere, non tamen sine grauissimo incommodo, præterque rationem subeundo.* Vtrumque, si placet exponamus. *Duplex genus status.*

3. Primò igitur, quicumque Matrimonio constricti sunt, aut se Deo per Vota Castitatis, aut etiam Sacramento operam suam Regi Reipublicæque deuinxerunt, quamdiu voto Sacramentoque tenentur, eos ego in statu esse intelligo; cum constare sibi voluntas debeat, neque eam suo arbitrio quisquam possit, in his casibus, nisi contra fas scelerate retractare. Matrimonium autem, status omnium firmissimus est; si quidem fidem datam dissoluendi, nulla inter homines est potestas legitima, aut auctoritas. Cœlibatus itaque hac ratione consideratus, status non est; si quidem voluntatem suam, viuendique propositum quod tenent modò, sine vllo scelere vlliusque iniuriâ possunt deponere, aliudque velle quàm velint modò. *Primus, à quo sine scelere non licet recedere.*

4. Iam verò, si in statu eiusmodi nunc es, eumque sine vllo prorsus scelere es consecutus; illud certò tecum statue, adminicula omnia quæ huic statui tibi procurando intercessere, à Deo sic studio fuisse disposita, vt tandem in eo, in quo nunc es, statu collocaret. Magni plane momenti est hæc assertio, Auditores, beneque expendenda, vt multorum anxietatibus fiat satis. Plurimi enim sunt, quos non parum ea vexat cura, an verè ea viuendi quam tenent ratio, status is sit, quem sibi saluti procurandæ designauit Deus. Nescio enim inquiunt, quô pactô matrimonium inierim, aut Deo vota conceperim. Vix agnoscebam quid agerem in tenerâ adhuc, aut adolescentiæ ætate constitutus; parentum interceſſit reuerentia, amicorumue mihi aut sibi consulentium ingestæ rationes; nescio sanè an ex Dei mente & sententiâ. Verùm, vt motus hos omnes componam & sedem, antequam in animo maior tempestas, vt sæpè fit, ex his nubibus oriatur, *Ad hunc aliquando sine scelere quidem, sed tamen per meras humanas rationes & adminicula peruenitur.*

Constanter

Nihilominus dico eã vocationẽ à Deo esse.

Constanter assero, quòd quamuis non exactè aut Matrimonij aut Castitatis deuotæ onera perceperis; quamuis etiam pro aliorum arbitratu aut consilio (à quo tamen omne scelus abfuit) mentem tuam isti, quem tenes, statui adieceris; tamen id nullo modo casu factum, verùm ea omnia destinato consilio sic Deum disposuisse, vt tandem in eam te viuendi induceret rationem, quam tibi optimam futuram iudicabat. Rem quæso mecum, paucis exemplis proponendam, expendite. 5.

Probatur in vocatione Saulis ad regnũ.

Quis non mero casu accidisse credat, vt asinæ Cis (Saulis is erat pater) nescio quo œstro abreptæ, in deuios montes syluasque aufugerent, vti sacræ narrant paginæ? & tamen fugam illam ita disposuit Deus, vt Saul quærendis iumentis à patre missus, ad Samuelem tanquam ad Vatem, asinarumque perditarum futurum indicem conuolaret; quærebat asinas Saul, eoque consilio Vatem dum consulit, Deus hunc, ad Samuelem, Saulis accessum ita digesserat, vt clam omnibus in Regem à Samuele inungeretur nihil horum præscius Saul. Nihil hâc re manifestius; Deus enim cuncta Samueli euentura prædixerat. *Dominus autem reuelauerat auriculam Samuelis, ante vnam diem quàm veniret Saul, dicens: hâc ipsâ horâ quæ nunc est, cras mittam virum ad te de terrâ Beniamin, & vnges eum ducem super populum meum Israël.* Quid clarius? ire ad Samuelem suâ sponte cùm se putat Saul, à Deo mittitur, & ignorans paret. At quâ voce se Saulem mittere indicauit Deus? non aliâ quàm asinarum fugâ, patrisque Saulem ad conquirendas asinas mittentis imperiô. En vt quem casum diceres, consilium sit ad regium statum, Saulem euocantis Dei. 6. 1. Reg 9.

Et matrimonii Isaaci & Rebeccæ.

Rursus nemo non, si quæ gesta sunt solummodò spectet, casum ita tulisse arbitrabitur, vt Abrahæ œconomus in Mesopotamiam ablegatus, Isaaco vxorem selecturus, de viâ iam oppidò lassus, secus puteum cum camelis multo labore æstuque fatigatis, corpus iumentaque curaturus, consederit: casus videtur quod nulla ad manum esset vrna, hauriendæ, quæ nimirùm depressa erat, aquæ necessaria: casum dicas, quod Rebecca genere quamuis facieque conspicua, prout tunc ferebat candidior & simplicior ætas, aquam domesticis vsibus delatura, è ciuitate propinquâ, alijs iuncta virginibus puteum hunc adiret: casum dicas, quod œconomo vrnam petenti, vt sitim extingueret, Rebecca 7. Gen. 24.

becca vti inter alias formosissima, ita omnium humanissima, non tantùm bibituro aquam propinarit, sed & liberalissimè canales omnes, camelis adaquandis, non tamen sine labore repleuerit. Casum hæc ita tulisse credes tu, & tamen vrbanitas illa virginis, indicium fuit à Deo datum œconomo, quo prorsus intelligeret, illam & non aliam Isaaco coniugem, tanti generis futuram matrem, à Deo destinari.

Applicatur id Matrimonijs & vocationibus ad Religionem, quæ casu videntur fieri.

8. Ita fit quotidie, casu videntur coire Matrimonia. Conspiciunt se duo aut in conuiuio aut etiam in plateâ, quorum alter alteri ne in mentem quidem venit vmquam: aut pater, iuuenis cuiusdam moribus & industriâ oblectatus, eum filiæ suæ futurum coniugem, oculis menteque designat: virgini rem proponit: assentitur demum illa paternæ reuerentiæ gratiâ, vt quem credit, non nisi bene sibi velle & consulere: interim quid secum ferant Matrimonij leges, vt virginem pudicam decet, satis ignara. Rursus, aut alieno amici exemplo, aut concionantis permotus voce, aut aliâ inductus ratione etiam humanâ, nec è diuinis petitâ rebus, castitatem Deo quis deuouet, aut Religionis sese legibus obstringit. Casum hic intercessisse dicat qui volet; ego verò asserò conspectum illum quem tu fortuitum credis, patris erga iuuenem beneuolentiam, filiæ erga patrem reuerentiam, Matrimonialium legum rudem scientiam, & fere ignorantiam, circumstantias denique omnes quæ Matrimonio dedêre causam, siquidem innocentes sunt nulloque imbutæ crimine, non casu euenisse; sed disertè expresséque à Deo sic dispositas constitutasque, vt futuris coniugibus hunc statum daret.

Circũstantias omnes tali casu, voluit expresse Deus, & per eas te ad illũ statum vocauit.

9. Idem sanè eodemque iure affirmo, de paupertate, de corporis imbecillitate, aliisque, vt videntur, casibus, qui statui capessendo, causam præbent. Matrimonio iungeris, quòd dos tibi desit adeundo cœnobio necessaria, aut quòd corporis inualetudine secundùm leges excludaris. Tu verò in Religionis claustra te abdis, aut quòd forma, nescio quo morbo aut etiam ætate deperdita cum esset, aut quòd infamia inusta familiæ omnes à te auerteret, nemoque te in coniugium dignum tè, dignaretur asciscere. Hæc si tu casu obtigisse existimas, erras sanè quàm grauissimè. Hæc omnia efficaci planè voluntate disposuit Deus, dotem denegauit, valetudinem corporis abstulit, vultus amænitatem decoremque deformauit, vt in eum te statum, tibi quem vi-

derat conuenientissimum, quasi manu duceret, in eoque collocaret. Neque hâc in parte cuiquam potest esse dubium, cùm illud sit certissimum, eum qui finem vult consequi, etiam ea velle adiumenta quæ fini assequendo conducunt. iam verò vti præcedenti Tractatu demonstrauimus, Deum scimus statuum quotquot sunt omnium auctorem, & ab eo esse, cuius conditionis quisque sit: fateamur ergo, & ab ipso esse adminicula quæcumque & adiumenta, modò crimen absit, quibus ad eum statum aliquando tandem est peruentum. Tract. 10.

Circũstantias vero peccaminosas permisit atque direxit.

Quid verò, si circumstantiis illis immixta sunt scelera, inquies? certum est enim, & verò etiam deplorandum, plurima committi peccata, quæ causam futuro matrimonio dent sæpissime, imò & necessitate extorqueant. An hæc etiam voluit Deus, matrimonium vt induceret? Minimè gentium; peccata numquam voluit; sed ne libertati humanæ obicem poneret, ea permisit tacitus; cumque te viæ tam distortæ, sceleribus inquam impudicitiisque videret insistere; his tanquam adminiculis vsus est, vt per ea ad meliorem frugem te conuerteret; in eoque statu collocaret, quem tibi in illis circumstantiis constituto, vitiisque forte nimium deprauato, optimum commodissimumque saluti parandæ iudicabat. 10.

Deus vult vt in statu illo indissolubili ad quem per peccata peruenisti, perseueres: eoque contentus sis, ac si absque peccato eli fuisses consecutus.

Iam verò, cùm in eo verseris statu, ad quem licet per scelera deueneris, tamen è quo iam sine nouo scelere extricari non potes; mens Dei est firmaque sententia, in eo vt constanter perseueres: ad quem licèt noluerit te per scelera viam facere, tamen res acta cùm iam sit, nec sine crimine dissolui possit, id etiam planè vult (quod sedulò animaduertendum est) vt eâdem prorsus ratione, eò statu quem tibi crimina pepererunt, contentus iam sis, nec minùs ille tibi arrideat, quàm si innocenter & sine vllo peccato, eundem adiisses. Perseuerare quòd te velit, manifestum est. Nulla enim scelera cùm velit Deus, certè non vult rescindi à te, quod sine crimine non potest violari. Arridere verò tibi quod velit, id quod ipsi iam arridet, nemo mirabitur, qui nostram in eo perfectionem positam esse intelligit, vt affectionum nostrarum Diuina voluntas sit prototypon & exemplar, extypon vero nostra: hoc est vt planiùs loquar, vt velimus quod vult Deus, delectetque quod Deum delectat. illi autem licèt via ineundi matrimonij non placuerit, placet tamen eò tandem 11.

dem te peruenisse: Atque hæc de primo status genere.

12. De secundô vt pauca dicamus, illum aio in statu etiam esse ex mente designationeque Dei, qui aliquam vitæ rationem iniit, ex quâ non nisi per adiumenta præter ordinem communem danda, aut certè non nisi per multa incommoda laboresque datur euadere; quos quidem adhibere, nulla aut non magna exigit ratio aut necessitas. Hâc ratione plebeium hominem, in opificis statu à Deo collocatum esse assero. nam licet contingere planè posset, in Senatorem, Militiæúe principem vt euaderet, si studiis opificinâ desertâ sese immergeret, aut Martis signa secuturus militiæ nomen daret; tamen quod præter ordinem communem sit, eiusmodi homines magna agere vt ad magna euehantur; rursus quod nimio staret labore hebetem sese hominem studiis dare, impensas item victui necessarias conquirere; & denique quia nulla singularis, ad tanta incommoda sustinenda, vrget ratio; statum ego eiusmodi opificem, à Deo sibi destinatum habere prorsus iudico.

In secundo genere status, vult etiam ordinarie Deus vt perseueres.

13. Atque adeo, licet se ad studia impelli nonnumquam sentiat, desideriisque vrgeri vt litteris instructus, Diuino sese cultui, proximorumque saluti impendat; sciat nihilominus, id præter Dei mentem esse, si quidquam mutationis rebus suis afferat. Quin imò, nisi manifesta admodùm sit claraq; Dei vocantis reuelatio, qualem è militiâ ad sua castra vt transferret, S. Ignatio exhibuit Deus, technis diabolicis eiusmodi desideria quantumuis sancta & pia irretiri, quisque sibi habeat persuasissimum. contra mentem enim Dei agere cum vis, è Dæmonis mente ageris, & agis. Dei autem mentem ex circumstantiis liquidò cognosces: quæ quia sunt eiusmodi, vt non nisi per adiumenta maxima, præterque communem ordinem conquirenda possunt superari; manifestum est eas Deum superari nolle, qui communem rerum ordinem & præstat & sequitur; nisi aliud fortè reuelarit. reuelatum verò sibi quid, quod præter communem est seriem, nemo persuadeat, nisi magnis auctoribus grauissimisque in consilium adhibitis viris, liquidissimè teneatur res.

Dæmonis technæ sint, eiusmodi homines ad statû mutandû permouere.

14. Circumstantiæ verò quibus statum cuique suum sigillatim Deus determinat, sunt ipsa corporis constitutio, vires, valetudo, ætas; item animi dotes, parentum conditio, opes, amicorum potentia, aut etiam indigentia: denique longum esset re-

Suo semper acquiescẽdum est, tanquam sibi à Deo designato.

ferre omnia. Ex harum circumstantiarum positione, non ineptè conijcies, an ille quem sentis ad statum assumendum impetus feruorque animi, à Deo, voluntatem suam indicante, immittantur; an verò à dæmone mentisque inconstantiâ, vt vulgo fit, ortum sumant. Nam si non es eâ corporis habitudine, vt labores statûs, quem tibi vt sanctum imaginaris, perferas; si opes desint vt necessaria statui acquirendo fiant impendia; si parentibus curandis obstrictus, aut alijs es obligatus, quibus in eo quem appetis statu constitutus, satisfacere non possis, cum tamen si non omnino, aliquousque tamen debeas; quis id dubitet, Dei eam mentem esse, quam tibi tam claræ circumstantiæ eloquuntur, vt ita dicam, & manifestant? Quòd si igitur mœrore conficeris, eo quòd ad optatum tibi statum peruenire non detur, certè iam mœstus es, voluntas Dei cursum suum quòd teneat, illique quòd nequeas intercedere; quòd quàm abs re sit, nimis est euidens, quàm vt pluribus exponam.

Resoluitur casus particularis, sed tamen notandus,

Illud tamen non pigebit dicere, non paucis magno futurum vsui & leuamento; quod si circumstantijs quibusdam positis, statum aliquem viuendique rationem assumpseris, qui tamen absque scelere mutari potest; varienturque deinceps circumstantiæ, quibus in eum statum es inductus; non illico mutandum statum, etiamsi alium mente tibi præfixum aliquando habueris. Veluti, si quis ad Religionem sese impelli sentiat, nihilominus parentum, ætate grandium pietate ductus & obstrictus, Ecclesiasticum statum & dignitatem assumit, parentumque consulit egestati; is sanè illis iam morte extinctis statum mutare non debet, Religionique se addicere. Primæ enim circumstantiæ rem omnem, quæ in medio posita, videbatur dubia, determinarunt; edixeruntq; quam vitæ conditionem tibi destinasset Deus; quam tibi iam deponere liberum vt sit, non tamen est commodum, neque vlla procurandæ salutis vrget ratio. Atque hæc quidem de ordinariâ Dei ad statum vocatione intelligenda sunt. 15.

§. II.

§. II.

Qui suo statu contentus est, etiam illum adiumentis omnibus euentibusque qui extrinsecùs eum ad hunc statum perduxerunt, contentum esse necesse est.

16. ATque hinc præclarissima elicitur doctrina, quâ plurimos animi angores perturbationesque, si rectè percipiatur, facilè componemus. Et hæc in eo est posita, vt si statui tuo acquiescas, acquiescas illico etiam omnibus quæ ad eum te statum perduxere. Varia ea sunt; ac primùm quidem extrinsecus aduenientia quædam, vt nascendi conditio, parentum mores, educationis genus, ad studia diuersa applicatio conueniens, & his similia. Alia sunt ab ipsomet homine; corporis compositio, animi vigor, ingenij acumen, dijudicandi prudentia, memoria, genius, lepor, cæteræque animi affectiones, in singulis semper aliæ atque aliæ. Alia denique supernaturalia sunt dona gratiæ, orationis, lachrymarum, miraculorum nonnumquam etiam, Prophetiæ, raptuum & extaseon. Hæc autem omnia & singula, ea esse dico, pro quibus primò summæ agendæ sunt Deo gratiæ tanquam omnium auctori bonorum, si affuerint; sic tamen secundò, vt si absint, non multùm angaris aut labores; neque demum tertio cuiquam vt inuideas & succenseas, quem videris hisce dotibus longè præ te luculentiùs abundare. O quantâ tranquillitate fruemur, quotque tempestates animi commotionesque dabitur euadere, hoc si documentum altè infigamus animo! quod quidem ex eis quæ iam diximus, facilè erit comprehendere. *Varia sunt per quæ nos Deus in statu nobis conuenitte collocat.*

17. Murmuramus enim nonnumquam, conquerimurque, exempli gratiâ, (vt ex vno discamus de omnibus ferre iudicium) de natiuitate nostrâ nascendiue infelicitate; eos scilicet obtigisse nobis parentes, qui si alij fuissent, alios profectò viros futuros nos; alia enim præ oculis exempla habituros, educationem aliam: eos fuisse, qui bona omnia abligurirent, neque quid filij agerent, quibusúe applicarent animum studijs, multum pensi habuisse; vili opificio applicuisse te, idiotæ cum essent ipsi, ne- *De iis conquerimur,*

que præclari quidquam tibi inſtillaſſe, aut ad maiora feciſſe animos, quos tamen habere videris tibi ad non parua natos, niſi cultura defuiſſet. Infinita ſunt eiuſmodi, quæ nobis præterita attendentibus, non rectè eueniſſe videntur; meliuſque futurum nobis iudicamus, aliter ſi accidiſſent res. Alijs enim paterna mors intempeſtiua fuit; vt qui iam maioribus dignitatibus proximè admouendus, filiorum rationibus longè meliùs erat conſulturus: alijs ſera nimis accidit; vt qui rerum ſuarum decoctor nimius, aut qui longiorem vitam trahens ſpem tibi matrimonij ſplendidiſſimi olim, auaritiâ ſuâ intercluſerit. Huius farinæ, infinitæ ſunt querimoniæ.

Sed iniuſtè.

Verùm vt hæc componam verbo vno, animum arrige. An illud rectè percepiſti, quod præcedenti ſermocinatione exegimus, tuum quo nunc frueris ſtatum, optimum tibi eſſe, & vt talem, præ alijs infinitis, à Deo aſſignatum? Hoc ſi animo tuo perſuaſeris acquieſcaſque, cur non approbas etiam ea, quæ ſapientiſſima Mens, ad eum vt te ſtatum leni manu conduceret, adhibuit adiumenta? Plebeius enim cùm iam ſis, ſtatuerat iam id certè ab ipsâ æternitate Deus, eum ſtatum honori ſuo promouendo, imo & tuæ ſaluti fore conducibiliorem. Decretum verò vt exequatur, de pauperibus tibi humilibuſque parentibus proſpexit Deus. Caſum hunc fuiſſe putas? imo verò ſapientiæ maximæ, tibique ſummopere conſulentis, decretum id fuit. Si quidem ſi è nobili ſtemmate clariſque parentibus ortum duxiſſes, quâ tandem ratione ad Plebeium ſtatum, quem tibi Deus neceſſarium iudicabat, fuiſſes detrudendus? quantæ & quot reuolutiones fortunæ implicare te, non ſine ſummo tuo incommodo debuiſſent, vt ad tam humilem deuoluereris conditionem? Omnibus his malis vt occurrat Deus, ab ipſo exordio ita rem diſpoſuit, vt per ſolos parentes eſſes, id quod ſummo molimine eſſe nihilominus debebas poſtea. Imo ſi rectè tecum reputas, ſummum beneficium tibi Deus præſtitit, pares futuræ vitæ, hoc eſt humiles tibi quod voluerit eſſe natales; intolerabilior enim fuiſſet hæc ſortis viciſſitudo, animum ad delicias factum, manuſque otio aſſuetas, laboribus deinceps applicare; quod tamen modò, paterno inductus exemplo, & operi ab ipsâ iam indè pueritiâ innutritus, exequeris non grauatè imo & hilarè. 18. Tract. 10.

Si placet tibi ſi ais, pla-

At verò inquies, ſtudijs vitam impendiſſem, aut militiæ adieciſſem 19.

ciſſem animum, & aliquam viuendi rationem inueniſſem meliorem meâ, commodioremque rebus meis. Quæſo ne iam diſceptemus quod præcedenti Tractatu peregimus : neque mihi poſthàc oggeras, meliorem tibi ſtatum dari potuiſſe. Commodior fortaſſe inueniri potuit, & vt vulgus loquitur fortunatior, at melior, id quidem pernego. Studijs enim aut militiâ, æternam animæ tuæ damnationem conſciuiſſes, aut certè non ad eum virtutis gratiæque apicem aſcendiſſes : neque hoc reuocemus in dubium, quod prudenti trutinâ examinaſſe, & demum ſtatuiſſe Deum, iam conceſſimus, plebeium nempe eſſe debuiſſe te. Hoc autem ſi ita eſt, tum certè plebeius vt eſſes, conuenientiſſimè plebeis rudibuſque parentibus natum te eſſe vt confitearis neceſſe eſt : alius eſſe ſi debuiſſes, de alijs longè natalibus tibi proſpecturus erat Deus. Quid ergo obmurmuras maleſane, quid conquereris ? Age quin imò gratias, quantùm potes, maximas Conditori tuo, de parentum ignobilitate & ignauiâ, omniaque quòd tam ſapienter & ſine tuâ moleſtiâ aut incommodo digeſſerit. Denique plebeius eſſe cum debebas, nonne id longè conuenientiùs, vt ne primis quidem labris ſtudia, vel militiæ aulæúe artes deguſtaueris, vt totâ animi propenſione, in eam cui incumbis artem ferare, ſtatuſque tui munia gnauiter obeas & ſtudiosè ? Quin igitur acquieſcimus euentibus illis, quorum finem approbamus ?

ceant & media neceſſe eſt.

20. Quæ verò de opifice & plebeio dicta ſunt, hæc alijs quibuſcumque euentibus applicate ; infirmitati nimirum corporis, vultus deformitati, fortunarum euerſioni, amicorum occaſui, cæteriſque quæ referre longum ſit. Vt verò applicetis rectè, primum illud, tanquam baſim firmiſſimam ſtatuite, veſtrum vobis ſtatum, & quidem ſolum illum, maximè conuenire ; & illico rebus omnibus quæ tibi hactenus euenerunt, tanquam adminiculis ſtatui tuo procurandò neceſſarijs, acquieſces. Huic cogitationi aliquando per otium inſiſte ; & ſummo animi gaudio ea te afficient, quæ olim cùm acciderent ſummopere affligebant ; affligebaris autem Dei artes *adinuentioneſque* quòd non caperes. Cepit eas diuinus Pſaltes, nam ijs meditandis adiecit animum, Pſal. 78. Et *meditabor*, inquit, *in omnibus operibus tuis, & in adinuentionibus tuis exercebor.* Et quod tandem omnibus rite pertractatis fert iudicium ? *Deus ; in ſancto via tua. Quis Deus magnus ſicut Deus*

Agnoſces id, ſi adinuentiones Dei in te ad ſtatum tuum ordinando attenderis.

Deus noster? Tu es Deus qui facis mirabilia. Notam fecisti in populis virtutem tuam.

Id iucundissimè facies, si in statu amplo & felici te collocatum videas.

Quid enim? adinuentiones eas scire desideras? Status certè 21.
si fortunatus tibi modò sit; si domus bene composita, opes honestæ, vxor placida & commoda, animo denique corporique si sit benè; hæc inquam vitæ ratio quam iam instituis si arridet; mente totam vitæ tuæ seriem meditatò pertexe, idque tecum expende, quæ tandem non præcesserint, qui casus, quæ rerum reuolutiones non obtigerint, antequam ea tibi conditio obueniret: quos parentes nactus fueris; quâ illi fortunâ iactati locum patriamue mutarint, vt ambo in manus conuenirent; quô modô mortui & quô tempore; quô pactô eorum aut mors aut vita, rebus tuis obfuerit profueritúe: quô pactô inuidia tibi amicos pepererit, idque res tuas extulerit, deprimere eas quòd vellet infestus quis; istud tibi ad honores viam vt patefecerit, officere quod videbatur maximè, tibique Dauidis sortem obtigisse, cui Saulis iræ, & inuidiæ innatus dolor, ad Regni fastigium gradus fuit. Hæc inquam sedulò expende, omnemque vitæ transactæ decursum mente relege; & illud liquidò & summâ animi cum delectatione comperies, *adinuentiones* præclarissimas fuisse, & quasi viæ compendia, quæ ad statum, qui tibi tantopere arridet, tandem aliquando deducerent.

Aliter iudicamus quãdo status est humilior.

At verò non ita te dimitto vir fortunatissime. Aliud habeo 22.
quod suggeram. Audi. Enimuero, idcirco quia nunc ad votum fluunt omnia, quia tua tibi arridet conditio, *adinuentiones* Dei agnoscis, & verò etiam placent. Iam certè haud grauatè gratias ages Deo, iis ortus quòd sis parentibus, sine quorum adminiculo neutiquam quod es fores: iam obitum aut patris aut amici & propinqui iudicas oportunissimum fuisse rebus tuis, hæreditatique tunc capiendæ, cum matrimonio ineundo id maximè conducebat: iam gaudes fortunam illam tibi tam aduersam obtigisse, maleuolas inuidorum linguas te tuaque admomordisse, quæ tibi maioris nominis acquirendi prima fuit occasio: iam denique probas omnia, quæ te ad hunc statum deuexere: iam Dei machinationes consiliaque laudas, quæ tamen non exiguam dedêre & dolendi & conquerendi materiam, cum Dei artem non perpenderes, neque quò hæc vergerent, satis intelligeres. Numquid ita se res habet? ita planissimè. Ideo nempe iam placet

cet Deus, quia placet quod dedit Deus: ideo iam placent vitæ & adminicula, quia placet finis: alioquin vt rectè Tertullianus, *si Deus homini non placuerit, Deus non erit*; ita inter mortales agitur. Optimè de diuinis rebus iudicamus cum nobis bene est, nam *apud vos*, inquit Tertullianus, *humano arbitratu diuinitas pensitatur.*

Tertul in Apolog.

Verùm idē iudiciū de aduuētionibus Dei, omni statui conuenit.

23. Verùm age, iudicio te tuo, quod modò rectè tulisti teneo; praximque quam omni conditioni applices, expedio. Eodem certè modo quò de statu qui arridet, de quocumque alio philosophare, & rem confecimus. Id certò tecum statue, non amplum & potentem, non commodum & laboris expertem, sed pauperem, sed plebeium, sed labori obnoxium, sed otij omnis deliciarumque expertem, sed quemcumque demum qui tibi obtigit, tuum esse statum tibique competentem: statimque illud penitus perspicies, omnia quæ te circumstetere aut bona aut mala, aut læta aut tristia, viam strauisse, quâ ad hunc quem obtines statum deuenires. Itaque si finis placet, tuaque tibi sufficit arridetque qualiscumque sit conditio, gaudebis confestim parentes tibi puero quòd erepti sint, egeni quòd fuerint & ignobiles, fortunâ aduersâ quòd deiecti sint; gratiasque quinimo ages Deo, quòd nec opulentus fueris puer, nec studiis applicitus, nec generosiori admotus educationi, imò quod scientiarum omnium hebes sis modò. An hæc, inquies, gratiarum agendarum est materia? maxima enimuero; nisi fortè ne de statu quidem vniuerso, vllas tibi gratias Deo referendas esse existimas.

Et applicãdum omnibus euentibus extrinsecùs aduenientibus.

24. Demonstratio sanè hæc mihi quidem videtur euidens, cuique opponi admodùm nihil possit. Quòd si statum hunc meum mihi optimum esse iudico (iudicare sanè quod debeo) certè & illam tempestatem, & illam iniuriam & illam amici parentisue mortem, æquè ac pari ratione arbitrari debeo mihi conuenire (licèt exiguæ humilisque conditionis meæ fuerit origo) ac is illa sibi arbitratur conuenire qui per ea ipsa aut etiam alia adminicula, ad amplissimam fortunam est euectus; rectè quidem iudicare si volumus. Verùm id semper malum est, quòd iudicium quantumcumque sanum insanus plerumque interpellet affectus.

25. Hanc verò cogitationem, Auditores, ad omnia quæ vobis extrinsecùs obueniunt animumque perturbant, magno animi emolumento poteritis extendere. Quidquid enim accidet, scito-

te id à Deo vobis immitti, aut ad continendos vos in eo quem obtinetis statu, quemque perperam forte vultis extendere, aut etiam vt te à pristino, quem tibi obfuturum posthâc videt, dimoueat & deiiciat; aut denique, si id è suâ gloriâ futurum est, vt hunc quem geris statum ampliùs euehat & extollat. Externa omnia, Dei instrumenta sunt, quibus pro sua Prouidentiâ vtitur industriè; circumstantiasque omnes ita attemperat, vt finem suum absque vllo aberrandi periculo consequatur. Finis autem ille, semper est bonum tuum: siquidem illud Augustini est verissimum, *Nihil tibi euenire permittet, nisi quod tibi prosit etiam si nescias*; si nempe *vtilissimi Domini te seruum profiteare.* Itaque cùm abeuntem à te fortunam videris, cùm maritum spem tuam demeti, cùm amicos diffluere, emori; immoto id conspicies vultu, si statum tuum per hæc immutantem Deum aspexeris. Neque iam rebus hominibusue succensebis, quos statûs non ampliùs posthac tibi conducturi, & in alium melioremque conuertendi, noueris esse instrumenta. Aug in 8 in fine.

§. III.

Qui suo statu contentus est, etiam internis quas habet animi dotibus contentus vt sit necesse est.

Etiam suis quisque animi dotibus debet esse contentus.

VErùm ad alios adhuc sedandos motus, vti cœpit, decurrat oratio. Cùm enim hominis efformando statui, non externis tantùm adminiculis vtatur Deus, sed internâ etiam hominis constitutione, vti probauimus; quæ quidem in animi dotibus, ingeniò videlicet, retinendi & imaginandi potentiâ, indole, genio, affectionumque bonâ difficiliue temperie, maximè est posita: illud iam agendum est, & ex iis quæ iam dicta sunt conficiendum, vt suo quisque ingenio aut hebetudini, iudicandi acumini aut turditati, imaginationis vi aut impotentiæ, bene vel malè attemperato cerebro, quin & omnibus tum à naturâ, tum à gratiâ collatis donis penitus acquiescat, nec ad alia multum solliciteue suspiret. 26. Tract. 8.

Quanquâ plerique mortales

An ergo de ingenio, inquies, iudiciiue sui improbitate quisquam est querulus? an alicui non ad abundantiam admensus 27.

est

est Deus? mihi certè videor ingenij habere satis, nec habeo hâc in parte quod conquerar. Gratias certè oppidò maximas, aliquid saltem bene feciſſe Deum quòd existimas. Neque ego, vt fateat quod res est, multas aut graues de hâc re querelas inaudij. Nihil sanè feliciùs magisque ad hominis gustum distribuit Deus, quam duo quæ sunt præstantissima, Ingenium & Iudicium; & inter fœminas tertium fortasse, formam & speciem. Sed de corporis dotibus nunc non ago. Nemo fere vnus est, qui quidquam sibi aut ingenij aut iudicij abesse fatebitur, nemo non dicet eas dotes suppetere sibi affatim, nemo sibi hâc in materiâ non gratulatur. Quid, quòd non pauci sibi abblandiantur adeò, vt neminem, aut certè rarum esse autument, qui sibi aut ingenio, aut discernendi acumine possit comparari? Hinc sanè iudicij nostri peruicacia; nolumus enim id, quod iudicamus esse præstantius, exiliori subiicere; nullius autem iudicium præ nostro nobis placet: hinc etiam ortum habet vsitata passim illa omnibus obtrectandi detrahendique libido. Videas enim eiusmodi ingenia, quæ nullum in Republicâ ingenium bonum esse patiantur, ne suo videlicet quidquam existimationis decedat, omnes ignaros appellant, omnes hebetes, omnes rerum insçios, nec eo esse ingenio, res magnas comprehendere qui valeant, nisi tardè & tenuiter. De se verò quis id dicet? inter viros id rarò audies: inter fœminas id quidem vsitatissimum est, ingenio se non valere quòd dictitent, præsertim vbi grauiora incumbunt negotia: & quidem facilè ipsis credi posset. Verùm hoc habet facilitas illa incommodi, quod credi sibi tam facilè, in re grauissimâ homines passim indignentur. Rarò enim sese hebetes, sese ignorantes, sese ingenio exiguo esse dicunt, nisi vt laudentur: aut saltem hæc sibi ornamenta verbis tantùm detrahunt, fide datâ clanculum & acceptâ, sibi minimè esse credendum. Quod sanè patet; non enim credunt ipsimet sibi quod rursus manifestum est; nam si alius hoc ipsis enuntiet, irascentur illico, falsumque esse clamitabunt quod obiicitur. Tamen id quod verum est semper est verum, quocumque demum edicatur ore, nec interest maris sit an fœminæ.

suo ingenio & iudicio tanquam optimo, facile acquiescant, omnibusque præferant.

28. Iam verò de iudiciorum tam bonâ distributione quid dicam? certè nemo conqueritur de suo, nemo illud vellet alieno commutare; adeo suô contentus est quisque, vt suum cuiuis etiam

Sed hoc superbia est, paruique iudicij indicium.

præferat quantumuis magno, modò alienum sit. Illud mihi sæpius cogitanti, quî tandem id fiat vt hominibus, qui de nullâ non re conqueruntur, in hâc parte à Deo tam præclarè sit factum satis, ea tandem duplici ex capite occurrit ratio: Superbia, inquam, ingenita mortalibus; quâ fit vt quisque ea parte qua maximè homo est, maximè etiam velit esse spectabilis: Hebetudo deinde, cæcitas mentis, seu ingenij stupiditas; quæ in eiusmodi hominibus passim tanta est, vt satis ingenij perspicacitatisque iis non sit, aliena vt ingenia queant perspicere, & de illis iudicium suum ferre. Verùm id modò non ago.

Tantùm quibusdam modestè frugaliterque de se sentientibus 29.
satisfaciendum mihi est, qui quod res est satis perspiciunt; non admodum præclaris nempe sese dotibus exornatos, non eâ esse perspicacitate ingenij quâ pollent plurimi, nec cæteris tum naturæ tum gratiæ dotibus, nisi leuiter admodum, si alijs comparentur, instructos. Et quamuis hoc de se posse iudicare, sit bonæ mentis defæcatique iudicij ingens indicium, quô acuti perspicaceſque homines destituuntur sæpissimè; tamen anguntur non rarò, Dæmoneque materiam suggerente, conqueruntur secum taciti, rationemque exquirunt, cur non eo quo alij non pauci polleant ingeniô, cur non ad litteras reconditiores capessendas æquè ac illi idonei? videas sanè, inquiunt, quosdam scire omnia, me verò fere nihil: alijs magnâ eloquentiâ verborumque illecebris sua diuenditantibus, ego instar piscis obmutesco, ne inscitiam malè dum loquor, peiùs prodam: quin imo si de rebus diuinis sermo intercurrerit, alta sapiunt alij, eaque proferunt de sacris mysterijs cælestique gloriâ, quasi si cum D. Paulo tertij vt minimùm cæli adita penetrassent: ego interim in terris repo. Denique, alios video tantos à Deo fauores consequi, tantâ perfundi gratiâ, vt toti in Deum abrepti, suauissima inter suspiria gemitusque, orationi diuturnæ insistant; vbi ego præ mentis imbecillitate, ne salutationem quidem Angelicam, sine maximis euagationibus animi queo recitare. Nullus sum ego, nullius frugi, nullius pretij, aut rei. Ain verò, nullius frugi? id certè non arridet; corrigendus es, id si ita sit. Verùm an non id perspicis, ea quæ attulisti, adiaphora esse pleraque, id est, neque mala neque bona? Erras enimuerò, erras grauissimè: & vt iudicio valeas optimo, perperam tamen modò iudicas. Ah Auditores, si

salutis

salutis nostræ negotium ingeniô perageretur & sciendi peritiâ; quàm rectè conquereremur, ingenio scientiâque nos destitui! si voce & præclarè loquendo, dicendique volubilitate & eloquentiâ, æterna salus comparari posset; quàm multi cælestem gloriam obtinerent modò, quibus minimè profuit eloquentes fuisse & disertos!

30. Verùm vt scrupulos hos omnino complanem aut eximam: an non id, ex ijs quæ modò dicta sunt, clarè perspicis, illas naturæ dotes, ingenium tardum aut ad percipiendum facile, ratiocionandi industriam, eloquendi leporem & elegantiam, imo & è cælo immissos præter ordinem nonnumquam fauores, aut etiam præter morem communem denegatos, vias esse quibus à Deo ad statum tibi proprium deduceris; instrumenta denique esse & adiumenta quæ Deus cuilibet in manus dat, statui suo benè debitèque procurando? Illud enim iam liquidò demonstrauimus, quod pro futurâ conditione vitæ, variàs varijs hominibus affectiones, propensionesque in diuersa studia, diuersas admodùm indiderit, ingeniumque futuris statibus attemperarit. Nihilominus de tuo ingenio tu conquereris. An ergo diuinum tibi vis ingenium esse, Deoque par? Non tantum inquies. Quantum ergo postulas, quietus vt sis & contentus tuô? Nescio sanè inquis. Nescis? neque ego profectò scio scire quî possis, quantum rectè possis velle. Quid ergo conquereris?

Hæ quas habes dotes conducunt ad tuum statum.

Tract. 8.

31. Age vt rem hanc confeciam; in ipso creationis tuæ exordio, concipe non nisi solam voluntatem animæ infusam tuæ; ingenium verò necdum esse distributum: quidquid igitur adhuc es, solùm *Voluntas* es: Quod si voluntati tuæ sic constitutæ, omnium quotquot sunt ingeniorum daretur optio & electio, an tibi videris esse is, accommodum tibi ingenium qui seligeres? Quid ni inquies! ego sanè Salomonis vt minimum ingenium animique dotes, ijs meliùs vsurus postulassem. Næ tu profecto magni fueris ingenij, tum cum etiam nullum prorsus habuisses. An non id dixi, quòd nihil adhuc sis, nisi mera & sola voluntas? quô pactô igitur voluntas sola, potest iudicare quid de Salomonis ingenio aut scientiâ dicendum sit, cum intellectus ingeniumque quo hæc percipiat, voluntati necdum vllum sit assignatum? Quô pactô, inquam, voluntas rectè potest eligere, cùm *Eligere*, actus sit eligenda cognoscentis intellectûs; intellectu verò omni

Neque si daretur optio, alia seligere potuisses.

voluntas adhuc sit penitus destituta ? Vides sanè quàm id sit ridiculum.

Saltem tibi conducibiliora quoi probatur.

Video inquies, primum ingenium dari mihi debuisse, nec à me potuisse designari aut eligi. Verùm, aliquo cùm iam sim præditus, satis mihi perspicaciæ est vt videam, alios maiori pollere ingenio, præstantioribusque præ me dotibus exornatos. Credo sanè. Verùm an id etiam vides, aliena ingenia, & dotes animi, tuo statui magis conuenire, aut tibi pro tuâ conditione magis conducere ? id sanè nullus credo, videt. Longe aliud est, præstantius tuô ingenium dari aliquod; aliud verò, tibi quod sit melius. Gladius certè acu præstat aut malleo ; an ideo sartori aut fabro gladius præ acu aut malleo, arti quam profitentur exercendæ, est conducibilior ? Sed ne dicta repetam, clarissimè id euinco non conducere tibi dotes alias ; idque hâc vnicâ ratione. Quòd si iam vbi ingenio es hebeti & ferè nullo, adhuc tamen tuo statu contentus non es, tibique plura deberi existimas ; quid tandem de te statuisses, præstantioribus animi dotibus conspicuus ? Quod si iam rudis & stupidus, Dei consilia examinas, imo & condemnas, in quam non perspicacitate ingenij præfidens, audaciam assurrexisses ? si iam tam humilis & depressa videatur status tui conditio, si onus tam graue quod illi annexum est, procul dubio ingeniosiori fuisset omnino intolerabile. Rursus cùm sermone tam inficeto iam & insulso, nulloque qui lepore conditur, nusquam tamen te non ingeris, facundiam quâ non vales, ad fastidium vsque putidè ostentas, omnia contemnis, de nemine non obmurmuras ; Deus bone, quo non prosilijsses impudentiæ, facundum tibi si fuisset os, & verò etiam gratiosum ! Enimuerò non tibi perferendo tellus ipsa fuisset par. 32.

Crede mihi ; & dotibus quas natura Deusque contulit, contentus viue. Sufficiunt illæ tibi, vt pro conditione tuâ modestè vitam transigas. Destinato consilio, non alias tibi dedit is in cuius manus erat dare, vt statu tuo continearis, eóque contentus sis : neque verò si maiores habeas, is es, vti ijs rectè qui possis : profuturum quod putas, oneri erit & impedimento. Ingenij sanè habes satis, vt rectè sapias : sapiès autem, si munus tuum officiumque prout debes, rectè expleas. Vt autem hoc ritè facias, non est quod scientiam maiorem expetas, sed virtutem ; 33.

non

non ingenium acutiùs, sed constantiorem voluntatem. Itaque tuo contentus viue, & tum demum viues, & viues placidè.

§. IV.

Denique vt dotibus tuis contentus sis, eas cum alienis ne compara; nec si maiores tuis in alio compereris, illi inuide.

34. VErùm, quod maximum in hac parte mortalibus negotium facessit, nec suo viuere contentos sinit, est quod alienam felicitatem inuidiâ liuoreque infectis aspiciamus oculis. Vnde tunc nostra nobis incipiunt displicere, dum quod magis placet, in alio comperimus. Placet plebeio homini modica quâ viuit res, donec opes in vicinâ domo conspicit: suum cuique ingenium scientiaque sufficit, dum alienum non attendit; vt autem attendit, turbatur animus, fluctuat mens, tempestas oritur illico maxima. *Nostras dotes alienis semper cõparamus.*

35. At, quàm id præter rationem est, si mentem aduertas? nonne iam id planè confecimus, fassique sumus, *Vnumquemque proprium donum habere à Deo, vnum quidem sic alium verò sic*? An non tibi ad dimensum liberaliter elargitus est Deus, quidquid ratione bonâ dandum censuit? An non is, qui etiam *ventis fecit pondus*, deditque quæcumque naturæ competebant, benè vt illi foret, tibi non benè pro tua conditione exactèque admensus est? quid ergo obmurmuras? Obmurmuras verò, alienis rebus curiosè nimis quod intendas oculos, & quod pessimum est, tuis compares. *Sed male.* 1. ad Cor. 7.

36. Hoc itaque, si magnâ cum tranquillitate viuere desideras, primum tibi præceptum scias, vt numquam te aliosque inter comparationem instituas: nec si quas habes animi dotes, si quas opes, si quam agendi industriam, si quos supernaturales fauores, si quam virtutem aut leporem, si quam agendi elegantiam, vmquam illa conferas alienis. Verùm vt tibi tecum benè sit, munificoque pro ijs largitori Deo sis gratus, neminē in rerum naturâ esse cogita, præter Deum beneficum, & te beneficij debitorem. Si nulli præterquam tibi valetudo bona, aut illud qualecumque ingenium, doteque quantumuis tenues concessæ fuissent, *Hinc fit vt pro nostrũ, Deo simus ingrati.*

sent, quanta te teneret rerum à te possessarum delectatio! vt gratus esses, alijs omnibus præpositus & prælatus! Iam verò ingratum te facit comparatio, displicetque beneficium, quod non tibi soli Deus videatur fuisse beneficus: quasi verò tibi detractum sit, quod alijs pro diuinâ munificentiâ liberaliter est concessum.

Sed si tua comparare vis cum alienis, compara omnia cum omnibus,

At verò, si nihilominus præfractè comparationem vis instituere, institue per me licet. Sed omnia æquâ lance ponderentur. Ac primò quidem non ea solum quæ tibi desunt cum alienâ abundantiâ trutines, sed & quod illum deficit, cum eo quod tibi abundantiori manu collatum est, etiam confer: & tum, si potes, querelas depone; dic sanè defraudatum te. In hôc enim nos fallimus, iniquique trutinatores alienæ felicitatis deprehendimur, quòd mala nostra cum alieno bono conferentes, ex aduerso etiam, nostram felicitatem alienis malis comparatam, non expendimus. Vtrumque igitur appende; & ne Deo sis iniurius, tibique permolestus, etiam atque etiam expende. 37.

Et nõ partem cum parte: hoc est tua mala cum alienis bonis.

Deinde, vt hoc sedulò exequaris, non partem conditionis tuæ cum parte, sed totum tuum statum, cum eo quem alter habet vniuersim compares velim, benè vt fiat comparatio. Id namque solum, quod tibi in vicini tui statu & conditione vehementer arridet, arripis; illudque cum eo, quod in tuâ viuendi ratione est molestissimum, ineptè confers. Interim difficultates eas quæ alterius statum prægrauant, non consideras; minimèque tuis, quæ tua tibi fert conditio, commodis æquiparas aut componis? Quid igitur mirum si turbetur trutina vbi res tota malè expenditur, nec lances æquâ ratione prægrauantur? Trutinas tu defectum tuum, quodque tibi deest expendis alienę oppositum abundantiæ & felicitati: non mirum certè hæc apud te quod præponderet. Sed vicissim id, quo tu superas, eidem impone lanci quâ defectum tuum examinas; alienæ verò felicitati, etiam ea quæ secum fert incommoda, iustus trutinator oppone; & vide sis, an libræ examine hinc & hinc eunte & redeunte, tandem ad justum æquilibrium accuratumque momentum deueniendum non sit. 39.

Nõ omnia bona aut mala omnibus dedit Deus.

Sic res aguntur, Mortales. Nemini vni Deus dedit omnia: liberalis vt fuerit, omnia tamen distribuit cum alicuius rei defectu. Et verò ita distributa esse omnia oportuit, vt ante demon- 38. Tract.

strauimus:

ſtrauimus : varietas rerum & munerum , humano generi tam neceſſaria, id exigebat. Attende igitur, donorum à Deo cuique impenſorum, in ſingulis varietatem & differentiam. Illi cui inuides, aut quem tibi prælatum quereris, ingenium magnum dedit Deus, valetudinem verò corporis admodum exiguam ; diuitias ingentes , ſed caput infirmum ; ſapientiam non vulgarem, ſed vxorem inſaniſſimam ; copioſam domum , ſed filios impudentes , familiæque futuros opprobrium ; dignitatem conſpicuam, ſed ſummos qui dignitatibus annexi ſunt labores ; hæreditatem ampliſſimam, ſed litibus vndique impeditam ; donum orationis, ſed ſcrupulorum vexas ingentes, tricaſque intolerabiles ; plurimum gratiæ , ſed & perturbationum haud adeo multò minus. Hæc alijs ſic ſunt diſtributa. Tibi verò minùs quidem ingenij datum eſt, ſed quietis longè plus ; minor quidem de diuinis myſterijs cognitio & ſcientia , ſed maior erga diuinas res teneritudo & pietas ſincerior ; minor eſt familia, ſed filij ad virtutem facti ; exigua domus , ſed vxor placida moribuſque tuis accommoda ; dignitas non ampla, ſed nulla faſtidia ; conditio humilis , ſed valetudo conſtans ; clientum raritas , ſed ſomni tranquilli ; menſa non opipara , ſed quam fames condiat benè conſtituti ſtomachi ; denique pauper es, ſed lætus, ſed tranquillus , ſed curis vacuus. Hæc inquam omnia ſimul cum alienâ conditione confer , ſimul expende , & ſi potes deinceps adhuc conquerere. Quod ſi tamen pergis moleſtior eſſe & tibi & mihi.

Nolles totũ tuum ſtatũ cum alieno commutare, aut malè velles.

Cur ergo partem cũ parte mutare vis?

40. Dic ergo , an vniuerſim conditionem integram quam habes deſerere vis, eamque cum alienâ , prout eſt , integrâ commutare ? an tuo derelicto ſtatu , in alterum quantus quantus eſt , vis demigrare ; ſic vt bona malaque omnia quæ ſecum is fert, nullo reiecto ſuſcipias ? Quid deliberas ? Quid caput obuertis ? Quin annuis ? Nolles ſat ſcio : neque etiam id velle potes ex condicto : illud enim ſtatuimus, quemque ſuo ſtatu contentũ eſſe oportere ; & ſuum cuique eſſe optimum. Quod ſi igitur ſtatum integrum commutare neque vis, neque verò etiam potes, cur quædam ex alieno vis decerpere, & quidem illa, alienam conditionem quæ componunt, tuæque non conueniunt ? Ita ſanè eſt. Aliena ſuſpicor nos contemplari , vt ingrati ſimus , & ne de acceptis videamur Deo gratias debere tantopere, tanta cum aſpicimus nobis

bis adhuc deesse. Nam vt præclarè D. Saluianus, alienis mente oculisque inhæremus, *Non quia si eligendi facultas esset, semper illa mallemus; sed quia vsitatum est hoc humanæ menti, cum intueatur illa semper quæ desunt.* Desunt autem ad plenam felicitatem omnibus, quàm plurima. D. Salu. l. 7. de Prou.

Nec D. Paulo quos habuit à Deo fauores inuides, cur inuides victo?

Verùm, vt rem hanc penitiùs vrgeam; dic sodes, an dotes tuas statumque cum Diui Pauli conditione commutare vis? an Euangelium toto orbe disseminare, an ab hostibus vrgeri, an detrudi in carceres, an tertiò publicis flagellis excipi, an naufragus toto iactari ponto, an denique capitis condemnari? vellem, inquis, si statûs id mei ferret conditio. Verùm neque pro concione dicere meæ sunt partes; neque adeò litteris sufficienter imbutus sum, hæc vt audeam: neque ingenium suppetit, studia tanta vt aggrediar. Bene est, sic tecum iudico. Verùm, cur Paulo id quod in suâ conditione felicitatis habuit inuides tu? cur non pateris eum in tertium cælum rapi, isthinc ad labores tam ingentes, animos etiam delaturum. pares? cur non pateris eum qui tanta subiturus est mala, deliciis nonnumquam frui? Patior, inquis; Paulo certè non malè volo, ei non inuideo, neque adeò de illo conqueror. etenim id scio, alia ipsi adiumenta danda, alias dotes, alios longè fauores impendendos esse, vt conditionis suæ partes omnes expleat, quibus ego, vt mihi viuam, non indigeo. 41.

Et si vicino inuides, certè præter rationem id facis.

Rectè tulisti sententiam. at verò, hîc te iam teneo. Cur igitur vicini tui commodis inuides & obgannis, cùm ille non minùs *Proprium donum suum à Deo habeat*, quàm Paulus suum? Cùm tecum tacitus loqueris, illud semper occurrit, diuitem esse illum, magno ingenio, litteris excellentem, res ei bene succedere, felicem esse præte. Verùm id etiam cogita, ideo datam esse ei hanc fortunam, has delicias, hæc commoda, vt labores, qui statui eius intercurrunt leniantur & ferendo sint: ideo ingestas opes, potentiam, dignitates, ingenium, eloquentiamque concessam, vt partes suas agat, & verò agat bene. An ergo si in scenam pro decoro inducendæ sunt personæ, rusticas vestes Regem vis induere, senatorias militem, militares vero Senatorem? Aut tu rusticum agere cùm debeas, tuâque parte contentus sis, nihilominus Regia ornamenta, Regem acturo vis detrahere? amens sanè sis, hoc si vis, aut illi si succenseas. Quemque suas partes agere, 42.

agere, & parti agendæ conuenientes dotes habere, vt ſapias, permitte. Neque quomodo ſuum munus expleat curioſus quære; tibi id non ſit curæ, tuâ quod non intereſt. Si benè res ſuas agat, ideo fortunare illi vitam ſcias Deum, vt bene agere perſeueret: ſin verò perperam agit & peruersè; vt per beneficia rebellem ſibi demolliat; aut certè vt quædam, quæ rectè malus cùm ſit egit, hîc ei compenſet opera, ſupplicia æternitati reſeruaturus.

Neque alienis dotibus, in ſtatu tuo indiget.

43. Quidquid ſit, illud eſt certiſſimum, dotibus illis ſublimioribus, maiorique ingenio non indigere te, vt rem tuam agas, neque vt plebeiam vitam ducas, neque vt penſa trahas, neque vt colum obuoluas, neque vt textrinæ incumbas, ſi iſtæ tuæ ſunt partes; neque adeo, vt orationi vaces, & Deo placeas. Non multâ memoriâ opus eſt, vt memineris à Deo eſſe te quod es; illudque tibi longè optimum eſſe quod es. Hoc tibi planè perſuaſum habeas, non minùs Deo gratam eſſe ſimplicitatem tuam animique hebetudinem, quam præcipuorum in orbe capitum acutiſſima ingenia; neque minùs Numini arridere humilitatem abiectionemque tuam, quàm doctiorum elatas voces; neque adeò minùs exaudiendum te, vulgari minimeque ſublimi plebeiorum orandi methodo cum inſiſtis, quàm ſi altiſſimarum rerum plenis Deo ſupplicas argumentis. *Sufficis tu Deo*, inquit D. Cyprianus, itaque *ſufficiat tibi Deus*. Sufficiat, inquam, quod tibi dedit Deus: dedit enim quod ſufficeret. Simplicitas hæc, altiſſima Theologia eſt ſimplicis vt ſeſe appellat Thomæ à Kempis. Is piè ad Auctorem ſuum conuertens animum, *Omnia ex te*, inquit, *& ideo in omnibus laudandus*. Quô pactô id conſequitur? nimirum quia is eſt Deus, errare qui non poſſit: iam vero *Tu ſcis quid vnicuique donari expediat; & cur ille minus, ille habeat amplius, non eſt noſtrum ſed tuum hoc diſcernere, apud quem ſingulorum definita ſunt merita.*

D. Cypr. de Aſcen. Dom.

Thom. à Kemp. l. 3. de Imit. c. 22.

Igitur tuò gaude.

44. Hæc ſumma demum ſapientia eſt; præter quam, alias mihi tibique deeſſe, libens patiar. Scio, ſi præſtantiores animi dotes mihi contuliſſet Deus, iis abuſurum fuiſſe me, aut ſaltem pro dignitate, Deique honore eas non impenſurum. Si magis ab ingenij ſcientiarumque excellentiâ orbi fuiſſem conſpicuus, animos plus quàm par eſt, & ſuperbè nimiùm extuliſſem; damnationi parandæ fuiſſent inſtrumenta dotes illæ, aut ſaltem maioris ſanctitatis

ctitatis procurandæ impedimenta. si in rebus agendis maior mihi fuisset industria, maioribus etiam implicandus eram laboribus & tædiis, nam *in multâ sapientiâ, multa est indignatio; & qui addit scientiam addit & laborem*, vt rectè admonet experientiâ doctus Salomon. Itaque sic sint omnia, pro vt sunt. Si alio plus acceperim, plura habeo quæ rependam Deo; si minus, minus habeo quod respondeam, aut de quo rationem dem. *Omnia ex te* magne Deus, omnia ex te Sapientia infinita, *& ideo in omnibus laudandus*. Tam laudandus ob id quod habeo, quam quod non habeo, aut alius habet præ me. Meô ego contentus viuam; & quod mearum est partium sedulò exequar. Fructus quos mea tellus fert, meum ingenium, mea hebetudo, mea simplicitas, accurabo vt ad maturitatem excrescant. Lætus interim tibi & ex animo gratulor immense Deus, alias esse sublimiores mentes, quæ tibi obsequia præstantiora deferant; alios esse in cælis Genios, qui profundiùs te cognoscant, intimiùs ament, & verò etiam laudes, tanto Numini conuenientes, pro dignitate decantent. Hoc tibi, donec Angelicis iungar choris, pro tenuitate meâ simplicitateque supplex decantabo; *Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ*. Interim Tuus viuo, & Tibi viuo.

Eccl. 1.

Ideo & de alienis dotibus Deo gratulare.

Psal. 30.

TRACTA-

TRACTATVS XII.

Seruus vocatus es? non sit tibi curæ.... qui enim in Domino vocatus est seruus, libertus est Domini: similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi. Vnusquisque in quo vocatus est fratres, in hoc permaneat apud Deum 1. *ad Cor.* 7.

Ostenditur, quod qui suo statu contentus est, etiam iis bonis & malis, quæ illum statum constituunt, debere acquiescere; hoc est dignitati, opificio, opulentiæ, parcitati bonorum, paupertati &c.

PROOEMIVM.

PAulatim quietí nos damus. Vinum dolio recenter infusum, tam diu agitatur calore indito, & ebullit, donec fæces omnes ex imo eduxerit: defæcatum cum fuerit, quiescit, interque suos limites tranquillum stat. Quamdiu, Auditores, in animo turbatur quidpiam, turbatur totum; & vbi vnum tantùm præter rationem efferuescit desiderium, in illo animo tranquillum est nihil. Illud egimus, statui tuo acquiescere vt velis, ac proinde omnibus quæ te ad hunc statum deuexêre euentis. Acquiescis, vt video, & si rectè rationem ineo, vinum in caueam recondidi. Verùm vti mustum recens est, ebullire illud rursus paulatim video, neque satis arridere paucula quædam quæ statum tuum afficiunt. Et quidem varij proferunt varia. Alij enim conditionem suam paulò difficiliorem quàm par est, laboribusque plusculum expositam dolent: alij plus paululum honoris; alij diuitiarum aliquid plus adijci debuisse, aliquid etiam valetudinis & roboris, rectè vt se haberent

omnia, commodèque conditionis suæ partes omnes explere vt possent. Ego certè querimonias omnes libens inaudiero, vt illas componam. Illudque ostendam, iniurias esse has Deo voces; rursus verò maximum esse errorem credere, vel teruncium, vel festucam tuo statui deesse; omnia conditioni tuæ ferendæ exactissimè esse adaptata, tibique conuenire, si tu statui adaptare te possis. Itaque si tuo statu contentus es, illud illico consequitur, ijs te debere acquiescere, quæ statum tuum constituunt, & sine quibus non est Tuus.

§. I.

Vt statui tuo pleniùs acquiescas, magis ostenditur optimè id factum, vt in manu nostrâ non esset eligere, esse quod vellemus.

IN eandem, vti credo, sententiam mecum itis, illudque non ægrè conceditis, quemque suô debere viuere contentum statu, quem Diuina Prouidentia omnibus rectè expensis sapientissimè determinauit: ac proinde par esse acquiescere euentis omnibus, per quæ, quasi per instrumenta, status is tibi est efformatus: denique non alias animi internas dotes præ ijs, quæ habentur, sollicitè esse quærendas; cum illæ statui tuo rectè debitèque exigendo penitus sufficiant. 1.

Licet nobis rerum nostrarũ daretur optio; non sumus electionis bonæ capaces.

Et verò, vt quod res est, loquamur candidè; ego sanè non video, quô pactô alium aut alium vitæ statum eligere potuissemus nos, nisi quasi tacitè à magno illo Numine res ita circa nos compositæ fuissent, vt non nisi paucarum admodum daretur electio; in cæteras verò quasi illaberemur inducti. Quâ enim ratione alterum præ altero eligere quis possit & præferre, nisi vtrumque nouerit? nemo autem noscere rem aliquam dicendus est, nisi eam penitus intimèque perspexerit: quis autem is est mortalis homo, qui circumstantias omnes & prostases rerum omnium, quarum daretur electio, penitùs habeat introspectas? Et rursus licet omnia nobis essent cognita & manifesta, quæ quouis in statu bona sunt aut mala; timendum adhuc foret ne affectionibus suis nimium dans natura, illis excœcata eligeret 2.

id

id quod peſſimum : vnde tandem ingemiſceremus electioni noſtræ, illud tantùm excuſationi prætendentes. *Video meliora proboque, deteriora ſequor.*

3. Id quidem video, è duabus, quæ proponuntur, conditionibus, eligere me poſſe eam, quæ melior commodiorque rebus meis videtur ; verùm eam præferre, re ipsâ melior & commodior futura quæ ſit, non eſt in manu meâ. coniecturis agere poſſum ; ſed acu rem tangere, & quidem ſine errandi periculo, ſolius Dei eſt. Quî enim id rectè poſſim diſcernere, niſi priùs iſtud probè teneam, quid quouis in ſtatu mihi vel bonæ vel malæ rei obuenturum ſit, vt eas inter ſe comparando, verum tandem iudicium feram ? quî poſſim Italiam natiuitatis meæ loco præferre, vt iſthic in lucem prodire rectè velim, niſi ſciam iſthic ſi naſcerer, ſuperuentura mihi dies allatura quid ſit ? id autem ſcire quî poſſim, qui ne quidem hîc vbi iam verſor norim, craſtinum quid ſecum ferat ? Verùm cum id non ignorem, omnia etiam minima rerum in quâcumque conditione poſitarum euenta, clarè & dilucidè cognouiſſe Deum : eumque nihilominus videam natalem, quæ mihi obtigit patriam, Italiæ prætuliſſe ; fundamentum habeo indubitatum, cui innixus firmiter mihi perſuadeam, hunc mihi naſcituro locum præ alijs omnibus conduxiſſe. Eandem ratiocinationem omnibus, quæ mihi conceſſit Deus, applico ſine vllo diſcrimine. Ac ſic conſtanter aſſero hos mihi parentes, hanc educationem, hanc corporis conformationem, conſtitutionem hanc animi, has dotes & non alias vllas ; quin imo & has ſupernaturales gratias mihi præ ijs, quæ D. Antonio, aut Paulo Eremitæ conceſſæ ſunt, conducibiliores melioreſque fuiſſe. Illud enim clarè cognoſcebat perſpicax Deus, eas gratias mentiſque illuſtrationes ad Eremitæ ſtatum pedetentim fuiſſe deducturas me ; quem tamen mihi ſtatum præ meo iudicauerat non expedire. Omnes enim circumſtantiæ ſimul concurrentes, proprium cuiuſque ſtatum faciunt, vt mox explicabo. *Probatur inductione.*

4. Itaque non acquieſcas modò Deo ; ſed & illi gratias age, quàm potes maximas, de omnibus quæ circa te acta ſunt ; in eum enim ſtatum, qui tibi optimus eſt, te deuexerunt. Optimus autem ille ſemper eſt, in quô es, dummodo ſine ſcelere. ſi æger es corpore, ſi pecuniæ inops, ſi difficultatibus implexus modò, modò ſanè non

poteras

poteras esse quidquam melius. Rursus si valetudine bonâ es, si opulentus, si in dignitate positus, si commodè viuis & opiparè; numquam meliùs quid excogitare poteris, quod iam & hôc temporis momentô sis, quàm quod reipsâ inpræsentiarum es. An autem, & quomodo varietatem aliquam statui inducere possimus, vt eum vel emendemus, vel etiam euehamus, dicemus porrò deinceps. Tract. 14.

Neque his, quæ elegissemus, daretur acquiescere.

Illud iam dico, incertum esse quidquid de statu nostro præsumimus, dubium quidquid statuimus. Verissimumque est illud Sapientis: *Cogitationes mortalium timidæ; & incertæ omnes prouidentiæ nostræ.* Quin imò ideo semper timidæ, quia de euentu semper incertæ. Quidquid admodùm designamus animô, ex aduersô aliter cadit, & menti nostræ ferè semper contrarium sortitur euentum. Et verò si quidquam ex voto ceciderit, ne hoc quidem voto faciet satis, nisi si hoc ipsum votum, ex Dei solo beneplacito tibi benè cedere, sincerô animô & non fictè desideraris. Aliter si vota desideriaque conceperis; etiam concessa & completa, breui futura sunt fastidio. Et sic sanè asseuerare audeo, quod si non vnicâ tantum vice, sed millenis omnino, eligendi sortem tuam tibi daretur optio & facultas, millies condemnaturum te quod elegeris, nisi tecum, & per te eligentem sequaris Deum; nullus tibi arridebit status, nisi, quem Cælum dabit, placeat: & sic pigebit elegisse, quidquid demum elegeris. 5. Sap. 9.

Probatur ratione.

Ratio autem est manifesta. Cùm enim nullus in hoc orbe status sit, aut viuendi conditio, quæ non suis sit implexa molestijs & quidem etiam grauissimis; simul atque eas incipias persentiscere, illico tædebit te electionis tuæ, per quam factum vides, vt in has miserias deuoluereris; aliudque optabis elegisse, ne in hæc mala incideres. Idcirco bono sanè consilio hæc electio nobis permissa non est, nimium enim multis modis irascereмur nobismetipsis, & verò etiam exerceremus odia. 6.

Et inductione.

Id certè nobis accidit quotidie in illis rebus, quas nostro marte selegimus. Vxorem tibi deligis tu, tu maritum. quamdiu placida est vxor & coniux commodus, placet optio. at verò si alter vtrius mutetur indoles, aut ingraueſcant mores; insoleſcat vxor, aut genius exasperetur coniugis: tum verò primum quod occurrit, est, Ah! cur virum hunc elegi, cui tanta procorum suppetebat 7.

bat turba! Verùm ne te condemnes de hâc electione, quisquis es, idem enim de quouis quem sic elegisses, dictitares. Munus aliquod officiumque, ad quod non à Deo quasi manu ductus sis, sed pro tuo arbitratu selige. quamdiu res ad nutum fluunt, fauet fortuna, opes augentur, rectissimè dices te id præ aliis selegisse; mutetur sors, detestaberis improuidam electionem. At, non id etiam meminisse oportebat te, nullam sine molestiâ in hoc misero orbe esse conditionem? Elige statum quantumuis sanctum & religiosum, sanè si tuo tantùm seligis arbitratu, vix minima occurret carnis petulantia, castitatisque seruandæ molestia, despondebis animo confestim, & matrimonij tibi videberis eligere debuisse conditionem. Et hoc quidem in omni rerum electione contingit; numquam ita seliges, vt numquam te electionis tuæ pœnitere possit, & verò etiam reipsâ aliquando non pœniteat, imo & sæpissimè. nam res ipse, quas seligimus, mutationi & vicissitudini sunt obnoxiæ: mutantur illæ, peritque id quod eligenti placebat maximè. displicet igitur electa res; & tunc displicet elegisse nos, quod tam facilè poterat displicere.

8. Neque id mihi iam dicas magnam te adhibiturum industriam, si eligendi detur optio, ne id eligas cuius te postliminiò pœnitere possit. Friuola hæc dicta sunt. Quâ enim in re magis animi ingeniique neruos intendunt homines, quàm vt pecuniam lucro exponant, eligantque hypothecam, censumque longè securissimum? Itaque iam tibi sex mille aureos in manus do, tu sic eos eroga si potes, vt exposuisse non pœniteat, imo pœnitere vt non possit. Certè inquies, fundo nihil stabilius; itaque agros coëmam. Coëmisti? interim cras bellum ingruet, indolebisque millies, ædes intra muros vrbium non comparasse te. His autem si emendis peculium exhauseris, ecce aut flammis absumentur inopinis, aut casu concident, & cum illis tua spes. Quid ergo rem tam instabilem supposuisti auro tam certo? Casus, inquis, incidit, cui præcauere non fuit in manu meâ. Hoc est, quod volebam, semperque inculcatum volo. Infinita sunt eiusmodi euenta, casus infiniti; quos cum ignoremus, fieri nullo modo potest, vt id eligamus cuius pœnitere nos non poterit. atque ideo nostra nobis electio necesse est vt semper sit suspecta, eaque cui numquam detur acquiescere. Incertæ, vt inquit Sapiens; & quia incertæ, *timidæ sunt omnes prouidentiæ nostræ.*

Acquiescès, si Deum tibi res tuas selegisse, certò credas.

At verò cùm illud mihi penitus persuasum habeo, Deum esse, hunc mihi statum qui designarit, & præ cæteris omnibus tanquam optimum selegerit, eumque libero meo arbitrio & electione vsum fuisse vt præscriptum sibi finem assequeretur: tum verò penitus conditioni meæ acquiesco, nec quidquam est quod vmquam pœniteat. Nam si omnia ad nutum fluunt, habeo omnino quod volo; sin autem in transuersum aguntur res, difficultatesque occurrunt statûs, habeo certe habere velle quod debeo; iudico enim ex Dei eligentis Prouidentiâ in eo me statu hodie esse debuisse, in quo hodie mihi esset malè. sic si prosperè in matrimonio agantur omnia, vxor bene se habeat, valeant filij, familiæ splendor augeatur, facilè tunc certè placebit tam commoda conditio: sin verò suboriantur tædia, mores vxoris antea placidæ, intolerabiles nunc sint, fortuna domum deserat; tum quia eligentem hæc mihi Deum conspicio, illud mecum statuam, hoc mihi tædium conduxisse hodie, ideoque hoc in statu collocatum, tædio vt sic afficerer. Sic in hyeme iudico gelu constringendam terram, & facilè frigus fero: in æstate censeo caloribus aperiendam humum, & sic Soli non obmurmuro. Verùm id sequenti tractatu dicendum est explicatiùs. 9.

§. II.

Nihil itaque statui tuo demptum aut adiectum cupias si tuo contentus sis, nec alieno adiectum dole quod deest tuo.

Parum aliquid sibi deesse semper dicunt homines.

ADmodum plana mihi inquies videntur hæc omnia, rationique consona. Acquiesco sanè & dictis & statui meo; nec aliud esse volo, quàm quod sum. Verùm enimuerò, an non optabile id foret, aliquantulum maioribus diuitiis vt affluerem, commodiùs tantùm vt conditionem meam possim exequi? Certè Deo obmurmurare iam nolo: tamen an id mihi tantopere noceat, census si mihi paulò sit copiosior, abundantiorque sed paululùm tantummodò domi res? Quid si corporis forma paulò venustior foret, si valetudo parùm firmior, munusque quod gero paululùm splendidius? 10.

Sed si parùm est quod

Itane vero vir bone? Paululùm tantùm est quod expetis, & 11.

idcirco

idcirco existimas murmurationis reum non esse te. Egregium enimuerò iniuriæ Deo irrogatæ prætextum! quam antequàm tibi aperio, illud iam te interrogo; si parum tantùm sit formæ, parum valetudinis, parum dignitatis, parum diuitiarum quod desideras: quæ tandem illa est dementia, vt res tam exigua tantopere te conturbet, & tam parum spei totam tibi mentis tranquillitatem auferat? si parum est quod expetis, parum est quod denegatur: & idcirco tamen, non parùm, sed vehementer etiam affligeris. hoccine est sanæ mentis esse? Verùm edic porrò, quanti tu parum illud esse censes? quantum pecuniæ tibi cupis adiici, vt paululùm dicaris ditior? Nummorum millia sexcenta? Minimè inquies, non mehercle, nolo tantas opes: paruo contentus sum, modò plus sit, quam modò est in loculis. O cæcum & improuidum caput! An non id vides nihil admodùm referre, an sexcentorum te millium, an exigui æris cupido turbet, modò turberis? Certè tibi auctor fuero, vt non sexcenta tantùm millia, sed & ipsas Indiarum opes expetas, Peruuiæque totius inhies thesauris. Insanus, inquis, fuero id si vel in mentem veniat. Fateor, sed neque iam admodum sapis. quin imò si rectè rationes teneo, insaniora modò sunt vota tua, quàm si ea per integra regna extenderis. cum enim & hoc & illud votum, mentis officiat tranquillitati: certè minus absurdum videtur, turbari hominem ob magnam sibi denegatam spem; vbi exiguum quid expetere, non magnum habet operæ pretium, & tamen non minorem, si non concedatur, adfert animo perturbationem.

deest, cur multũ conquiritur.

12. Vt verò ad iniuriam, quæ Deo eiusmodi querelis infertur, demonstrandam accedamus; an non id ridiculum est, quod obmurmurator hic Dei ordinationibus planè acquieturum se dicat, modò paululùm plus valetudinis, parum plus dignitatis, exiguum quid diuitiarum ampliùs fuisset attributum? Dolenda sanè res est, eum qui omnia tam iustâ trutinâ distribuit bona; distribuit enim *in pondere & mensurâ*, huic homini sic admetiri non potuisse, vt planè faceret satis. Quid tanto quæso Numini in mentem venit, vt exiguum illud massæ detraheret, hominibusque ob tantillam rem, non paruam tamen daret materiam conquerendi? Ita tu me de Deo loqui doces, murmurator in paucis egregie. Verùm ne quæso iniuriam hanc Benefactori tuo impingito, insigniter ingratus nesis. Neque si centum omnino

Iniuria est Deo ista querimonia.

libras pro suâ liberalitate appendit, tu ei vitium facias, quod non vnciam drachmamque adiecerit. Turpe id nimium est millenos danti aureos, ob quadrantem vnum negotium facessere: turpissimum, id sibi denegatum esse passim conqueri; intolerabile verò, id etiam munifico donatori exprobrare. Tuo contentus sis; tuæ id conditioni, quod habes, prorsus congruit, & prorsus sufficit: neque sorti tuæ adijciendus est aut as, aut obolus; nisi fortè tuâ sorte contentus non vis esse.

Ideo parũ videmur accepisse, quia plus datum est alteri.

At inquies, nolo sanè commutare statum; volo id esse quod sum. Mercator sum, propola sum, & id volo esse quod iam sum. Verùm vt dicam candidè quod res est, mihi profectò non omni ex parte prospectum est vt meæ conditioni benè sit. Pauci sunt qui merces meas coëmant, pauci qui ædes accedant, lucri spes domi exigua, cum aliorum tabernas qui eiusdem mecum conditionis sunt, videam accurrentium affluxu prægrauari. Deinde, mihi tantopere non laboro, sufficit sanè mihi etiam angusta res. Verùm filij multiplicantur, illis prospiciendi vrget cura; si res modò parua est, quò demum euadet in plures diuidenda? cum alijs certè meliùs agitur, quibus si accrescat familia, accrescunt opes. Tertio denique si plusculum esset rei, sanè eleemosynæ Religionisque operibus daretur insistere, multaque munificus in pauperes templaque erogarem, prout alios facientes video, quæ iam domesticis, quibus vix sufficiunt, sumptibus cogor impendere vel inuitus. 13.

Inuidiæ istud vitiũ est.

Ita tu quidem. Verùm quid mihi semper alienam sortem importunus oggeris? quid querelis tuis, alius quid habeat, aut quid agat, inuidus intertexis. Hinc enim video ad plura semper expetenda, ingratos homines sumere animos etiam impudentes. At verò quid tua id interest, quid à Deo agatur in alienâ domo? an tibi quidquam deest, quia vicino tuo quidquam adiectum est? an quia pallio alter tectus est holoserico, idcirco nudus es tu? an quia vescitur opiparè, tu fame peris? an quia ædes habet magnificas, tu sub dio habitas, aut degis in impluuio? 14.

Ostenditur absurditas, hu us querimoniæ in ipso cõquerente.

Videte obsecro, quam absurdè agant homines, quos aliena felicitas angit, nec suâ sorte contentos sinit viuere, etiamsi ea tam tenuis esset, vt sicco etiam pane, eoque per magnum laborem extorto, cogerentur viuere. Age; quod si omnes quotquot 15.

sunt

sunt in orbe homines, non alia haberent vitæ commoda, non aliâ fruerentur quàm tu valetudine, non alias habitarent ædes, non aliis vescerentur cibis, quàm quibus vesceris, an vmquàm tua tibi displiceret quantumuis incommoda casa, aut etiam siccum quo nunc viuis fastidires panem? Certè non arbitror. Quòd si verò omnes reliqui non nisi extimum panis haberent frustulum, idque siccum admodùm quod famelici arroderent; vbi interim panis integer suppeteret, malam quo posses lepidè exsaturare famem; nonne tuo pane non contentus modò, sed & lætus & alacer & Deo præ aliis gratus viueres, aliis qui te videas esse prælatum? quis dubitat inquies. Et tamen non nisi panem haberes tunc quem habes modò, neque minore quàm nunc labore comparatum. Hoc iam exigo; an idcirco panis tui natura immutata iam sit, eo quòd alienas mensas carnes tegant? An aliquid domi tuæ turbatum est, quod in vicinâ tapetes & perisometa muros ambiant? Si nihil immutatum est domi, vnde tibi immutatus est animus? vnde in transuersum acta, quâ cum omnes pares essetis, gestiebas lætitia? Decreuit nempe ingrato beneficium, simul ac inuidus sensit alienum. Verùm si nihil mihi detrahitur; si hoc quod habeo, à munifico largitore Deo sit; si sine vllis meritis meis id acceperim; si quod conditioni meæ sufficit; quid habeo tantopere quod querar? an quod parum suppetat? numquam sanè parum est, quod sufficit. Imo quod sufficit, multum est. Quin igitur Deo meo, benefactori meo gratias ago quantum queo maximas? quin pane meo vescor hilarè? Siccum dicis. At numquam is siccus est panis quem lætus condit animus. Quid mihi cum alienâ felicitate est negotij, si me solum solumque Conditorem meum aspicio, nec in alios mentem oculosque reflecto?

16. Verùm puerorum instar hâc in parte sumus; & nescio an non pueris insaniores haud paulò. Quod si pueris sex septemue, jentaculum exhibes, atrumque panem butyro auarè satis illitum cuique in manus des, omnes gaudere videas; ora infigunt auidissime, sapit panis, dentes gestiunt, turgescit stomachus, quieta sunt omnia. At si vel vni quantumcumque fratri, quantumcumque ægri & debilis stomachi, album panem viderint porrigi, illico totâ turbatum est domo: panem sibi dari expetunt, conqueruntur denegari, assiliunt, ancillæ manibus vt eripiant, *Item in pueris.*

lachrymantur, eiulant, exclamant; & quod peius est rursus esuriunt, nec ater panis fami exsaturandæ confert quidquam, imo nesapit quidem, qui tamen modò erat in deliciis. Quid hoc demum rei est? an ergo deteriorfactus est panis, atriorúe? Neutiquam. verùm deteriores fecit animos felicitati, si sic loqui lubeat, fraternæ immixtus liuor: panis in manibus alienis candidus, atros fecit infecitque intuentium obtutus. At vero quia stomacho laborat frater, albus ei porrectus est panis; vos robusti estis & validi. Frustra loquimur. & quæso ne fratris morbum albo pani prætendite, nisi velitis omnes illico laborare stomacho, & licet non laborent, morbum fingere.

17. Puerorum sunt hæc artificia fateor; sed & nostra sunt passim vitia. nam vt eleganter Seneca, *Adhuc enim non puritia in nobis, sed quod grauiùs puerilitas remanet. & hoc quidem peius est, auctoritatem habemus senum, vitia puerorum: nec puerorum tantum, sed infantium.* Hôc tantum differimus, quòd in maioribus insanimus. Numquam nobis satis est, quia nostra comparamus. neque noceret comparatio, nisi per eam excitaretur continuò, nimium heu nobis ingenitus habendi amor; perimus vt habeamus, nosque perdimus. vt commoda augeamus, promoueamus opes, nullique vt cedamus, mouemus omnia. Huc omnes referuntur cogitationes & curæ; ideo sudatur, ideo transcurritur, ideo litigatur, ideo rixæ exurgunt, ideo suscitantur odia, ideo amicitiæ dissoluuntur, ideo denique turbatur humana mens, mœrore consumitur, nec quidquam bonæ vitæ sibi residuum facit. Sen. ep. 4.

Satis cuiq; datum est, modò datis quisque satis acquiesceret.

18. Istud tamen amicè interroganti amicè respondeo. an non quietam vteumque vitam transigere posses, iis quæ tibi ad manum sunt, bonis vti modestè & cum gratiarum actione si percuperes? Quòd si negas ea statui tuo sufficere, videsis an non sumptus eos facias, quos status tui conditio minimè requirit. si enim plebeius cùm sis, tenuisque fortunæ, nobilem vis agere, ne certè conquerare bona non sufficere; neque id Deo imputa, sed immodicæ cupiditati tuæ. Sufficerent sanè bona statui tuo, si tuus ipse tibi sufficeret status. Hoc tamen non ago modo: illud vrgeo, quâ fronte asserere id possis, non satis tibi pro conditione tuâ esse prospectum, qui iam candidè confessus es, contentum imo & lætum forte tuâ futurum te, nisi aliis liberaliùs prospectum foret? An non id te pudet aliis candidiorem seu panem

(puerorum

(puerorum instar) seu fortunam (quæ virorum est infantia) inuidere, & impallescere alienis bonis? Tibi sanè malè facis, alteri quod sit meliusculè. an non id est puerum agere in virili ætate, & in senectute maturâ infantiæ vitiis implicari? O si ditior essem inquis, si locupletior, si opulentior, quid non agerem? Acturus quid esses, videbimus id porrò deinde. Quid verò iam agis per tot vota, inaniaque desideria? nihil sanè nisi tuam quietem intertubare, eosque in animo tuo excitare tumultus, quibus tandem immarcescis. Comede si sapis quem tibi porrigit panem Deus, gratiasque age pro viribus maximas: candidum si dederit, bene tibi erit; atriorem si obtulerit, non erit vt reris malè.

A Kemp. l. 3. c. 15. *Da quod vis* dicebat piissimus Deoque totus deuotus Thomas à Kempis *& quantum vis, & quando vis. Domine tu scis qualiter melius est; fiat hoc vel illud sicut volueris.*

§. III.

Ideo autem nihil tibi adiici vult Deus, ne statim te tui status fastidium subeat, illumque in eum qui tibi non conuenit commutare velis.

19. ANimaduerte iam si placet; plura tibi cum negantur bona, Dei miserantis industriam, & sagacitatem. An non id liquidò ostendimus, & post multa tandem confessus es tu ipse, Tract. 10. tuum tibi statum præ omnibus maximè conuenire, neque meliorem tibi eligere aut conficere potuisse te? Quid ergo iam plusculùm commodi exoptas, minùs vero aliquantulùm laboris; plusculum diuitiarum, egestatis verò paulò minùs. Certè hæc omnia tuum statum conficiunt, imo status tuus sunt vt mox explicabo. Hoc sanè nemo mihi iam negauerit, paupertatem adminiculum esse & instrumentum quo Deus in eo te statu continet, quamdiu illum tibi censuerit conuenire. Statuamus igitur opificem esse te, ferroque subigendo operam impendere. Status is tibi conuenit Deo iudice. Tu interim opes expetis. Dentur sanè sed non à Deo, & rationibus tuis accedant aureorum decem millia. Quæro ego iam an tu tanto ditatus auro, fabrum posthac ferrarium acturus sis? Egone, inquies, ferro admouero manus iam auro

Homines passim cùm parum rei ipsis adiicitur, de statu mutãdo cogitant.

auro graues? minime verò. Quid ergo acturus posthac? omnia inquies cùm venum prostent, munus mihi dignitatemque in Republicâ comparauero; sic viuam commodè. Enim verò id mihi iam libeat carbonibus astare totos dies, & penes fornacem calidum frigidâ vesci carne & misero pane. An has miserias feram ego tantâ cum pecuniâ, quæ miseriarum omnium vnicum est solatium? Non faxo ædepol, herele tantam insaniam.

Sed male. En vt non possessa tantùm, sed & præconcepta tantummodò felicitas, tibi omnem attentionem memoriamque eripiat. An non illico fassus es tuum tibi statum esse optimum? cur igitur in alium mutare vis, nisi quia pecuniæ tibi dementant caput? Huic incommodo præcauit Deus, nihil fortunæ tuæ cum adijcit, ne parum quidem; incredibile est quam paucis pennis opus sit, vt volare se posse, putet Icarus. Longè itaque melius est vt nullas habeat, ne appetat nocituras. Ah miser! quantò satius tibi est malleum gestare manu, quam sceptrum! fuligine carbonum quam adulantium fumis afflari! quantò melius in incude tuâ fortunam tibi cælestem fabricare! Hoc tute scis, tute fateris ipse; quid ergo ad minus profutura, imo ad nocitura tantopere anhelas? Hæc sanè duo combinare non possum: iudicas tuum tibi statum magis competere, & tamen reiicis. Aut igitur alterum nega, aut certè te intra limites tuo statui præfixos contine: eaque lubens suscipe & bona & verò etiam mala, quæ statum tuum constituunt aut illum necessariò comitantur. 20.

Eligum enim onera quibus ferendo non sunt. Iam verò cum per diuitias huius vitæ difficultates miseriasq; euasurum te existimas, erras planè. Illud occino: ô quantâ laboras in Charybde, Syrtem euadere cum conaris! Hoc certè ex Epicuro Seneca opportunè suggerit; *Multis parasse diuitias, non finis miseriarum fuit, sed mutatio.* Nihil verius, verùm ita præsentia abhorremus mala, vt futura nihili faciamus, dummodò euadamus illa. Nec etiam si in maiora incidimus incommoda, pensi habemus quidquam, modo præsentibus non vrgeamur, tanta est & tam temeraria mutandi libido. Faber ille ferrarius, qui fortunam sibi magnam pecuniâ coëmere statuerat, eam inquam quam sibi malleo non poterat effingere, nec in incude fabricare: tum cùm miserias sui status euadere conatur, in alias longè grauissimas quas secum fortuna trahit incidisset infelix; & quidem minimè miserandus, vt qui eas ita adamarit. 21. Sen. ep. 17. in fine.

VT

vt etiam auro coëmerit. Verum id quidem est quòd fuliginem opificinæ, malleorum ictus, incudis fragorem, miseriasque frugalis mensæ datum fuisse tu euadere, felici, quia alias miserias inexperto: at verò cum ipsi iam locupleti & opulento, caput litibus cœpisset obtundi, vidisset que euocationibus contestationeque facta sese in ius abripi, rationes exigi, census denegari, nec nisi per multas altercationes exhiberi; rursus mendacijs, periuriis, adulationibus, commendationibus importunissimè implicari se: tum certè credo complicatis manibus, erectoque in cælum vultu millies exclamaturum, Ah miserum me! quanto facilius mihi fuit ventum follibus camino facere, quam Fortunæ ventis imperare! quanto commodius fuit malleorum ictus perpeti, quam quibus nunc contundor miser! ad mensuram cadebant illi, eosque excipiebat incus; vndique me impetunt hi, sine mensurâ quidem sed non sine pondere. O quanto nunc meliùs mihi foret incudi meæ malleis incumbere, quam esse Fortunæ incudem! quàm curis expers lætusque forcipe versarem ferrum, qui ab auro ipsemet meo tam crudeliter exagitor! nimium hæc grauis sors est, humeri impares, oneri ferendo non sum.

22. Sapis profectò cum sic loqueris, quod verò tibi nisi experto videre non licet, nec fortè cupidine nimiâ excœcatus videre non vis, id quidem Deo antequam eueniat, est longè perspectissimum; & ne eueniat, magna ipsi est cautio. Nouit ipse quæ cuique statui immixta sunt onera, nouit quid tuæ ferant vires; omnibusque rite expensis, illi te applicat conditioni cui ferendo sis par. Paupertatis si te incommoda nimium grauant, certum id tibi sit diuitiarum te incommodis opprimendum; quin imo ne commodis quidem bene ferendis parem fore. Neque si diues es, & in dignitate positus, de tuis etiam incommodis conquerere, nec plebeiæ conditionis tranquillitatem tuæ indignabundus præfer: nam tua qui tam molestè perfers mala tot vndiq; commodis circumseptus, certè molles nimium teneroque humeros paupertati sustinendæ supponeres. Nouit ista qui vires oneri, oneraque viribus summâ accuratione & industriâ attemperauit. aliis vt idem verbis dicam, statum ita composuit, vt stare in eo possis & persistere. tu statum tibi cum præstruis, casum tibi machinaris imo & occasum.

Optimè nouit Deus quid quisque ferre possit.

§. IV.

Occurritur obiectioni de filiorum curâ habendâ. item ostenditur quod modicum quid additum statui, statum mutet tibi peculiarem & proprium. exponitur duplex status, genericus alter aut specificus, alter peculiaris & individuus.

OPpones illud sat scio, hæc quidem omnia eos concernere, 23
ingentes qui diuitias animo voluunt & solliciti ambiunt: quorum quidem studia in hoc collimare vt statum suum penitus excutiant, nimis sanè est manifestum: te verò non id agere, modicas tantum opes expetere, vt conditionis tuæ incommoda minùs molestè feras: neque adeò tibi ipsi laborare te, vt qui tuâ sorte contentus sis, quàm filiorum commodis insudare; quorum vti tibi commissa est sustentatio, ita dubio procul imposita est & cura. duobus autem cui curandum est, quid mirum quòd sua sibi sola sors non sufficiat?

Filiorum ne sis sollicitus; magis illi ad Deum quã ad te pertinent.

Vlterius quæso ne progredere, de filiorum curâ quam cupi- 24
ditati tuæ dissimulandæ, cautus prætexis, respondendum est prius antequam ad alia dilabamur. Curam tibi filiorum demandatam esse quòd fatearis, libens accipio. At à quo? à naturâ inquis, & naturæ auctore Deo. Nihil rectius, Deus itaque filiorum curam tibi demandare legitimè qui potuit, plus iuris quam tuipse in filios tuos habere dicendus est. Hoc certè in confesso est. Ipsis itaque si prospiciendum est, istud sanè Deo præ te longè magis incumbit onus. Et vero neque hoc mihi negaueris, Deo longè exactiùs quàm tibi perspectum esse, quis demum status tuæ proli conducibilior sit. Quid ergo exclamas paulò maiores opes expetere te, eorum rebus commodisque rectè vt consulas? Commodiùs ipsis esse si voluisset Deus, non te parentem elegisset, is in cuius manu erat nobiliores illis natales dare. Tu quod tuum est age; de tuo quod habes prospice, ea tibi incumbit curatio. parergon est & abs re plura exoptare, vbi plura filiis suis impendi non vult, is qui æquum in pupillum curatoremque ius habet & imperium.

De paupere bene de iis

Itaque sic statue; ea quæ ad manum sunt, & tibi & illis im- 25
pende

pende pro facultate quam obtines, non quam optas. Quod si exiguam tantùm hæreditatem proli potes transcribere, illud tibi sit persuasissimum, tenues eos & pauperes esse voluisse Deum, tuâque egestate velut instrumento vsum, vt eos in tenui collocaret statu. quòd si proles nascatur copiosior, hoc quoque ita Deum ordinasse, vt longè quàm tu modò sis, pauperiores essent singuli; nimia adhuc erat fortuna tua, quàm vt tota in prolem vnicam cum ipsius euidente ruinâ transiret. Quid igitur prolis tuæ conditio futura te torquet, cum id certum sit, quamcumque Deus assignarit, longè meliorem ipsi futuram, quàm tu possis mente designare & votis expetere? Nescis tu quid proli expediat, nouit id præclarè Deus: quid ergo te & temerè & verò etiam incassum exedis? *prospicit, quia pauperes esse voluit.*

26. Persistis nihilominus in proposito; illudque vrges paruam adiectionem conditioni factam, eam feliciorem quidem reddere, non verò etiam illico mutare; non enim plebeius homo aut propola, plebeius esse desinet si tenues illi adiiciantur opes. Iam vero inquies, propola cum sim officinam meam exercere volo, porrò statum non desero, neque adeo libeat deserere, licet aliquantulum accrescant res. Deus immortalis quid audio? An tu id mihi persuaseris in tuo statu perstiturum te, si fortuna paulò tibi blandior illucescat? Audi. Nolo iam tibi innatam homini cupiditatem obiicere, quæ numquam possessis extinguitur, nec habitis exsaturatur sed exacuitur magis & accenditur; vtpote cuius natura sit semper habendis inhiare. Parum tantummodo dicis te expetere; & *parum* illud si concedatur, accrescet non parum fames, & *adhuc aliquid* desiderabis. *Aliquid adhuc* si consequeris, mox *paulo plus* erit in deliciis. vix *paulo plus* domi comparuerit, cum subito *multo plus* futurum sit in votis. *Multo autem plus* votis si accesserit, dices denique *numquam satis*. Noui ego mortalium ingenium; noui cupiditatum genealogiam, & generationem. noui inquam quas proles gignat fœcundum illud *Parum* coniunctum copulatumque, vt ita dicam, cupientis voto & desiderio. Prima huius infelicis matrimonij soboles est optare *Adhuc plus*: secunda cum hæc successerit, est appetere longe plura, rectèque proles hæc vocabitur *multum plus*: tertia denique eaque miserrima soboles est quæ dicitur, & dicit *numquam satis*. Verùm non hoc tibi nunc obiicio, neque communem mor- *Parui adiectione multum accrescit cupiditas.*

talium ægritudinem obiectando, tibi os occludere modò est animus.

Hoc nunc ago. Parùm inquis si commodior aut opulentior fuerit fortuna mea, illi totus acquieuero. Verùm quâ tu ratione ductus id demum ages? an quia tibi satis factum iri autumas? hoc sanè iam negauimus. Hydrops est omnis cupiditas habendi; sitim dum ingestione putas extinguere, magis irritas, vti iam diximus. Quòd si diuinam attendis bonitatem, eiusque beneficio te gauisurum dicas: benè id quidem. Sed cur non eô quod tibi iam concessit, gaudes bono, eoque lætus frueris? Quo inquis? Statu inquam tuo, quem tibi tanquam optimam tibi rem est elargitus? Beneficium tu credes esse maiores opes si concesserit? erras, negantur illæ tibi à Deo, malè ne faciat tibi. Beneficium non est magna dare, sed profutura. Magnum verò censendum est beneficium, negare nocitura. Nocebit verò procul dubio, si tuus alteretur status. Alter quidem eris, sed deterior. hoc verò neutiquam est è re tuâ. Id si tu non curas, curæ est Deo; qui magis tibi attendit, quàm tumet tibi. 27.

Duplex genus status exponitur, alter communis cũ aliis, alter indiuiduus.

Et ne illud rursus oggeras modicum rerum tuarum incrementum, nullam statui mutationem afferre; neque mercatorem mercatoris statum excedere si euadat opulentior, cum plurimam varietatem diuitiarum, excessum & defectum, status huius & cuiuscumque alterius limites complectantur, intra quos tamen positi, omnes eidem statui annumerantur. Hoc inquam vt complanem, mentemque meam dilucidè vt exponam, fateor verum id esse quod opponitur. Verùm istud accuratè expendendum est duos esse omnino status: generieum vnum vt cum scholis loquar, quemque cum alijs habeas communem; alterum qui propriùs planè sit, hominique peculiaris & indiuiduus. Aliud igitur est Mercatorem agere, aliud verò hunc Mercatorem esse. Sic & in pictura, licet varij depingantur milites, omnesque militiæ statum, armis cæteroque vestium apparatu exprimant, & in hoc conueniant; singuli tamen suam sibi propriam positionem habent, incessum, vultum, brachiorum crurumque protensionem, compositionem denique & statum nulli alteri communem; & tamen omnes sunt milites. Ita prorsus de statu philosophandum est, aliquid quod commune sit multis habent singuli, aliud verò cuique quod sit proprium. Homo quòd sis, cum 28.

pluribus

pluribus tibi commune est; cum paucioribus vir quod sis; minus adhuc commune mercatorem quòd agas, militem, caussidicum aut propolam: commune tamen est aliquibus, adeoque communem faciunt statum. Hic verò quòd sis miles, hic mercator, hic caussidicus; siue vt clariùs loquar, in militis mercatorisúe statu, talis quòd sis, hoc est tam depressus, tam euectus, tam humilis, tam conspicuus, tam dives, tam egenus, hic tuus est in mercatura militiâúe status seu positura tibi prorsus indiuidua. Sic in humano statu licet omnes simus & non Angelico, tamen tali te conformatum esse corpore, tam tenero, aut masculo, tam formoso vultu aut inuenusto, tam ægris membris aut validis, tam præclaro ingenio aut hebeti; hæc inquam omnia tua sunt positio & vt sic dicam tuus in mundo status.

Vide infra Tract. 14 n. 2.

29. Quemadmodum autem humanum statum omnibus communem, proprium mihi per hasce circumstantias fecit Deus, neque hominem solum esse voluit, sed hunc hominem quem variæ illæ circumstantiæ constituunt: ita prorsus scias non militem, mercatorem aut caussidicum esse te quasi generatim voluisse Deum, sed hunc qui es: atque adeo omnes quotquot te circumstant conditiones, res, euentus, prospera & aduersa, abundantia rerum & defectus, ea inquam omnia sunt status non communis, sed vt dixi tuus. Id quidem clarissimè indicasse mihi videtur Apostolus: *Vnusquisque*, inquit, *donum proprium habet ex Deo: vnus quidem sic, alter verò sic.* Quid autem id est vnumquemque proprium habere donum seu statum à Deo, nisi eum qui singulorum ita sit, vt nulli omnino sit communis? Mercator quòd sis, multis commune est: at tam tenuis fortunæ quòd sis, tam exhaustus, tot fortis aduersæ & prosperæ vicibus agitatus, tantum auri cui sit domi & nec teruncio plus aut minus, id verò est status tuus, tibique proprius. Proprium autem vnicuique statum cum à Deo esse asserat Paulus, numquam certè statu quem tibi dederit Deus contentus dici poteris, nisi tibi proprio acquiescas: acquiescas autem, si nec adijci ei quidquam velis, nec etiam demi quidquam exhorrescas. An igitur opes augere non licet inquies? an dignitatem maiorem vetitum est ambire? an fundos coëmere non est consultum, reique domesticę amplificandę inuigilare? quis sanè id non agat nisi iners & socors? Non dubitabam sanè difficultatem hanc illico obuciendam. Verùm

1 ad Cor. 7.

Tract. 14 §. 5.

date si placet tempus, alia dum euoluero, ostendam statu suo contentus quo pacto esse quis possit, & tamen maiores diuitias dignitatesúe expetere placidè, sic vt de tranquillitate animi discedat nihil. Sinite id modo me nunc agere, vt planè vobis persuadeam, nihil admodùm vt tibi benè sit referre, per diuitiarum, honorumúe incrementa, proprium tibi mutari statum; imò verò bono tuo ea etiam officere.

§. V.

Ostenditur nociturum id tibi, si per diuitias incrementum statui tuo fiat: neque eâ te facturum bona opera diuitem, quæ facturum te credis; imo ne ea quidem quæ pauperior modo facis.

Pauli amplius diuitiarum optant quidam, vt possint opera misericordiæ exercere.

ALiquis adhuc animo tuo inhæret scrupulus, necdum penitus acquiescis. Sic est inquis. Nam vt vera sint hæc omnia, eaque quæ negare non possim; tamen id mihi nemo non concesserit, valetudinem rectam, bona corporis & commoda, opes dignitatesque multum virtutibus exercendis conducere, instrumentaque esse vt rectè fatetur Augustinus *quibus facias benè*; & multis benè dum facis, facis tibi quàm optimè. Iam verò opulentus si forem homo, crumenaque mihi turgeret auro plurimo, Deus bone, quàm alius à meipso forem! quid operæ non præstarem miseris! pauperum necessitatibus sanè prospicerem; esset enim ad manum facultas, esset quo templa exornarem Diuinumque procurarem cultum; neque carceribus paterer deesse benignitatem meam. Id quidem mihi certum esset facere; sentio enim ad misericordiæ opera propensum animum, facilem flecti, cuique innatum sit alienis miseriis indolere. Et verò intolerabile prorsus est, opulentissimum quemque seruare sibi res suas, neque Deo à quo tamen omnia acceperit, gratitudinis vices rependere; ornatissimæ sunt illorum ædes, squallent templa sine ornatu. Ornare qui possunt, nolunt; non possunt si qui volunt. 30.

Verum ad hoc nõparum plus, sed ingentes

Bone Deus! quid obmurmurator hic non congerit! quibusque integumentis humana sese cupiditas non inuoluit, vt lateat & ne videatur! mox filiorum curam necessitatemque querelis suis 31.

suis prætenderat; iam verò cùm id ex voto non succesſit, miſericordiam erga pauperes prætexit, & ſi placet, cultum Dei. Verùm age cupiditatis tuæ qui patronum agis non illepidè: quod ſi rectè ratiocinaris tu, eodem ſanè argumento conficiam ego, non exigua tantùm opum incrementa expetere debuiſſe te, ſed vel ad ipſas Salomonis gazas, adeoque etiam maiores aſpirare. Liquidò id quidem patet: iis enim circumfuſus, quæ Deus immortalis, charitatis opera præſtare non poſſes? vt ſeſe per omnes mundi angulos beneuolentiæ tuæ indicia, velut à ſole emicantes radij, diffunderent! Et tamen nonne ridicula ea eſſet inſania, ſi quis ſuas ſpectans opes, altùm ingemiſceret Salomonis theſauros quòd non poſſideat, Peruuiæque totius defoſſa adhuc metalla rationibus ſuis necdum quòd acceſſerint? ſtultum eſt inquis eiuſmodi dicta dicere, inſana ſunt hæc vota. At quô pactô inſanum tu dicis id appetere, quô facere poſſes benè? certè ingentia præſtare tunc valeres, qui iam admodum nihil potes. Vides igitur tuâ conuictus ſententiâ, non te pauperum premi beneuolentiâ, ſed tuâ cupiditate; & non Dei agere cauſam te, ſed tuam, licet peſſimam.

opes deberent appetere.

32. Deinde quam id eſt perridiculum dictitare, plurimam tibi ſi ditior eſſes, aliis benefaciendi futuram facultatem? fateor poſſes quidem multis facere benè; verum id mihi imponere vis tu, facturum te illico, facere quod poſſes opulentus, valens corpore, & in dignitatibus conſtitutus? Planè inquies id mihi acturus videor; ſentio enim eâ me eſſe indole, vt in beneuolentiæ opera non ferar modo, ſed & abripiar. Ego verò tibi non credo, ne iurato quidem: non enim is eſſes qui modo es, neque tam pia tibi tunc foret animi affectio. Nihil montibus illis ſterilius aſperiuſque, quam qui aurum argentumque in viſceribus ferunt; nec verò auro licet turgeant aurum dant; eruendum eſt vi, & ferro. Miſericordem te facit paupertas tua: egeſtatis tuæ incommoda quòd pateris, facilè compateris alienæ; noſti expertus quid ſit pati; idcirco patientem cùm vides pauperem, mouentur tibi viſcera quaſi ſi rurſus tuum tibi inſtaret malum. Sic nempe recens memoria infelicitatis tuæ recrudeſcit ad conſpectum alienæ. Hinc facilè compateris, quia compertum tibi eſt quid ſit pati. At verò fortuna ſi blandior afflet, nihil citiùs ſecum auferunt molles Zephyri, ſuaueſque auræ, quàm præteritorum, quos ſuſti-

Ne plura bona expetas vt plus boni poſſis facere: nã reuera ditior non facies quæ facis pauperior.

sustinuimus malorum miseriarumque memoriam. sua verò mala qui non curat, quomodo eum tangent aliena? Opulentus sanè fias, exarescere tibi citò senties pietatis viscera nec tam facilè commoueri; & nisi magnâ virtute exsuperes, breui fies immisericors, bonorumque operum sterilior ipso auro, quod sui cupiditate totum in se trahit animæ succum, sterilemque afflatu facit. An non id fateris ipse, eos qui possunt omnia, nihil velle; qui nihil possunt, velle omnia? Omnia iam vis, quia parùm potes; sed si multa posses, crede mihi nihil admodũ aut parùm velles benefacere. In auaritiam deflecteres vt plerique opulenti; in vitia delaberetis & scelera, quæ quia diuites facilè & sæpè impunè possunt exequi, facilè volunt; periret diuitiarum nidore suffusa animi deuotio, omnisque pietatis sensus; subtraxisset denique fauores suos gratiasque tuis criminibus irritatus Deus, & sic tandem qui nunc in mediocri fortunâ aut etiam in tenui admodum, egregius es Dei pietatisque cultor, impius fuisses medias inter opes, & ex eorum numero quorum Deus venter est, quorum Deus aurum est.

Fateor inquis, vulgò sic fit; commune id est præcipitium. At verò me cùm considero, non video quô pactô sic possim in transversum agi, & abripi; nimis enim altè imbibitum mihi est in quâcumque fortunâ stare Deo subditum, eiusque agnoscere imperia cuius beneficiô datur frui. Itane verò? hanc de te audes spem præsumere? Verùm detine paululum præproperam fiduciam, & exemplo sapere si vis, sape alieno: eadem sanè quæ tu de te, de Eulogio quodam existimabat Daniel eremita, vir sanctitate conspicuus, sed, quod non frustra adiicio, vir minimè malus. Operæ pretium erit historiam rei pertexere, quam in Syllogo refert Paulus, vetus auctor Græcus, non græcæ fidei. 33.

Declaratur exemplo Eulogij.

Paul. Syllogi l. 3. c. 8 apud Cauſin. Tract. 2. Maxim. 5.

§. VI.

Exemplo Eulogij dicta confirmantur.

Eulogius dũ pauper, sanctus & munificus.

INter Thebaidis syluas & rupes versabatur Eulogius, operamque suam fingendis saxis lapicida elocabat. Conditione plebeius & pauper; nobilis animo & virtute, meritisque in cælo opulentus. 34.

opulentus. Dei cultum religionemque procurabat egregie, victu sobrius admodum, castus moribus, & præcipuâ quadam erga pauperes pietate. Domum enim ab opere diurno sub noctem redux, egenos vndique conquirebat, & eis quod laborando congesserat, magnâ sanè liberalitate pauper ipse cum pauperibus quasi æquo iure diuidebat. En vt vitæ sanctimonia, bonorumque operum accuratio, non à statu diuitiisque, sed ab hominis animo dependeat.

35. Contigit fortè (fortunæ si locus detur) vt Eremicola quidam Daniel nomine, per deuia capessens iter in Eulogium incideret; ab eoque, per summam beneuolentiam, noctem secum transacturus, in humilem quam incolebat casam est deductus: ibi pro viri conditione, victu quidem paupere, sed omni humanitate condito, liberalissimè est exceptus. Placuit admodum Danieli, Eulogij in re humili præcelsa virtus, & indoles inter rupes tam benefica; indoluitque saxis versandis adhiberi tam munificas manus. Multis itaque per tres septimanas precibus Deum flagitat, meliorem vt Eulogio sortem det; glorioſum id futurum Numini, & verò miseris egenisque vtile admodum, opes in tam benignas manus congerere, è quibus tam facilè ad egenos, quasi è fonte riui, defluerent. Orat, instat Daniel. Interim cælo vox delabitur, abstineret sanè precibus, Eulogio benè esse pauperi; opes ei nocituras postulari. Nihil hisce mouetur Daniel; antiquum obtinet, efflictim rogat; de Eulogij virtute timendum esse nihil; de eius constantiâ cauere se, vadem sese constituere, animamque se suam animæ Eulogij pignori opponere. Magna sanè hæc temeritas, dedocendus est importunitatem suam Daniel, vir vt iam videtis minimè malus.

36. Quid sit? antra dum excauat Eulogius, scrutaturque educendis saxis montium viscera, en tibi ingentem auri thesaurum, in quem illabitur incautus, & fortunæ tantæ admodum antehac securus. Subitò dives fit Eulogius, & quod videbatur incredibile, subitò Eulogius esse desiit, aliusque est à se. non iam preces solitas Deo fundere, non hospites conquirere, non stipem erogare, non æs diuidere ei iam est animus: alias mente versat curas; totus in auro est; & qui miris incedebat heri gaudiis, iam tristi progreditur vultu, sollicitus vbi thesauros tam ingentes recondat, vbi demum eos expendat, vt fortunæ tam fauenti velificetur

Eulogius subito dives.

ficetur, plenaque expandat vela. Nimis angusta & squallida videbantur Thebaidis tesqua, quam vt istic sortem suam possit extendere, aut etiam conditionem præteritam dissimulare, aut fortunam in auro repertam tegere, ne in propatulum veniat, & sibi inuito detracta, addicatur fisco.

Ad sublimiorē statū aspirat.

Itaque conuisatis prout res ferebat omnibus, procul à patriâ fugam meditatur, Constantinopolim adit Imperij caput, vbi in tantâ nationum vndique confluentium colluuie, humilitatem pristinam dissimulare, nouamque sibi sortem fingere, & effingere, pecunioso præsertim homini, non videbatur admodum difficile. Neque verò tam erat hebes animi, vt primo statim die sese prodat rusticis adhuc imbutum moribus: militaribus prius, aulicisque quæ nobilem virum decent exercitiis, sese informandum tradit; & vt erat ingenio acri & ad percipiendum facili, breui rusticitatem omnem exuit; diceres aulæ natum. Itaque iam totus alius in aulæ sese immittit pelagus, nescio quos natales fingit, inde ab extremis Thebaidos forte deductos montibus; prensat optimatum amicitiam, & tum muneribus collatis, tum conuiuiorum, vestiumq; splendore, tum clientum & seruorum copiâ, tum cultis castigatisque moribus, tantam init totâ aulâ gratiam (quid enim aurum non potest?) vt per plures euectus honorum militiæque gradus, tandem Prætorianis militibus, corporisque sui custodiæ à Iustino seniore Imperatore fuerit præfectus. 37.

Eulogius pernersus.

Hic enimuero Eulogius vento fortunæ fruitur, omnium iam securus. Totus est in deliciis, sed & in sceleribus totus: quid cælum ferat, quid Deus exigat prorsus immemor: eò fertur quò præcipitem rapit libido; Dei honestique contemptus par. 38.

Christus ipse offensus.

Horum interim inscius, intempestiuè olim Eulogio beneuolus Daniel, intentus orationi vt solet, visu perterrefit horrifico. Christum, plures inter Angelos instrumentis terrorem spirantibus armatos, conspicit: oculoque ad seueritatem composito & in Danielem intento, corpus ei quoddam ostentat, medias inter rosas voluptatibus exesum prorsusque dissolutum; illudque Danieli seuerus ingeminat; Hæccine est cura quam de fratris salute æternâ gessisti? huccine tua tandem recidêre studia? Mox ad Angelos iustitiæ executores conuersus; Ite inquit, vadem aggredimini illico, nec ei parcite qui se pignori obtulit temerarius. Obstupuit ad hæc Daniel, erroriseque sui tandem pœnitens, agnoscit 39.

noſcit hoc portento Eulogium deſignari, cuius infauſtam ſceleratamque vitam Conſtantinopoli actam, eiuſque præſentem ſtatum Deo manifeſtante exactè intelligit. Neſcit primò quo ſe vertat obſtupefactus Eremicola; denique ad Iudicis irati ſupplex pedes, procraſtinationem iam iam in Eulogium ferendæ ſententiæ impetrat, donec quod ſui eſt muneris paragat, Eulogiumque coram de criminibus moneat & verò etiam reprehendat.

40. Nec mora, Conſtantinopolim confeſtim pergit Daniel; Eulogium reperit; ſed ita rebus in aulâ agendis, clientumque ſalutationibus impeditum, vt menſem integrum lacernoſo Eremitæ ad ſalutandum Eulogium aditus non patuerit. Penetrauit tandem, & clam arbitris, diuini honoris accenſus æſtu, liberâ voce hominem aggreditur imperterritus; primò ei præteritæ fortunæ memoriam repræſentat, natales humiles, malleum trullamque in os obiicit, ac inſignem deinde intolerandamque pro tot acceptis à Deo beneficiis ingratitudinem non ſine ſtomacho exprobat. Excanduit enimuero Eulogius vt ſeſe nataleſque ſuos cognoſci ſenſit: veritusque ne quod tanto ſtudio tam diu texerat, hoc auctore veniret in propatulum, iratâ voce ſeruos conclamat: accurrunt illi: ſtomachatur Eulogius, & ecquid inſanum ceritumque caput in conclaue intromiſerint, pallidus iræque non ſatis capax, exclamat. Inuolatur ad has voces in Danielem vndique, & vi multâ protractum, baculis crudelem in modum excipiunt, ſemianimemque & ſanguine vndique profuſum, è domo tandem vi multâ expellunt. *Admonitione ſpernit.*

41. Quid nunc agat ſpe ſua fruſtratus Daniel? nihil prodeſſe monita cum videt, ad orandum rurſus conuertitur; illudque tandem multâ cum prece lachrymiſque orat, ad priſtinam conditionem, humilemque ſtatum redigi vt poſſit is, cuius proſperam ſortem incautis precibus impetrarat. Agnoſcis tandem Daniel temeritatem tuam? agnoſcis tandem, fortunam mutare mores? agnoſcit enimuerò, & qui precibus malum procurauerat, precibus etiam petit medicinam. Orat denique & exorat. En fortunæ alteram ſortem.

42. Moritur Iuſtinus Imperator. Iuſtinianus in imperio ſucceſſor, aulæ ſuos ſibique notos clientes vt præficiat, Eulogium exauctorat. Hæc prima ſortis cadentis viciſſitudo. Interim fit vt *Eulogius è fortunâ deiectus.*

Hypatius & Pompeius Anastasij ante Iustinum imperantis nepotes, nescio quo iure Imperium ambirent. Iustiniano vim & arma inferunt; turbatur plebs, plurimâque cæde totâ vrbe decertatur. Rebellium partes, iniuriæ sibi factæ indolens Eulogius sequitur; tandem Hypatius Pompeiusque effuso iam triginta millium pro partibus hinc & hinc stantium sanguine, in vincula abripiuntur, & in eos decreta mortis sententia, totam penitus coniurationem dissipauit. Eulogius sceleris sibi conscius, fugâ vitæ consuluit, desertis quotquot in vrbe possidebat opibus: iisque in fiscum conscriptis, cum nihil prorsus supereſſet, quo miseram vitam sustentaret, ecce tibi iam denuo factus est Eulogius: latebrasque vitæ suæ non satis securus tutas quærens, pristina repetit fugitiuus antra, & in veteres dilapsus latomias, veteres etiam sed non sine summo animi mœrore artes repetit.

Ad paupertatem redit & ad virtutem pristinam.

Hic eum insudantem vili operæ cum conueniſſet Daniel, renidens illico, Ecquid hocce rei est inquit? Tune es Eulogius? quid tibi cum saxis, quid tibi cum malleo, fortunæ fabricator egregie? An forte qui Regem egisti Constantinopolitanâ in scenâ scenicum, mutatis repente vestibus comicum acturus Dauum, in orchestram iam prodis, vt populo risum facias? Erubuit ad isthæc dicta Eulogius, & verò etiam altum ingemuit; fatetur impudentiam, ingratitudinem non dissimulat, deprecatur pœnam culpæ, quam agnoscit. Rogat, Deum vt pro se exoret Daniel, non vt aulæ fortuna reddatur, sed vt laboris tam duri, operæque tam amaræ aliquod saltem detur leuamentum. Risit ad hæc Daniel, numquam Eulogio benignior, quam cum fuit immisericors. Vade inquit, & quod es, hoc certè sis. Dura paupertas necessaria tibi est, vt bene sit tibi. ne quæso decipiamur bis; sapiamus saltem propria post tot mala, quæ vnicum hoc habent boni, sapere quod cautos doceant. Hic tuus est status, hæc tibi ad virtutem via, hâc tantum tibi & non aliâ cælum patet. Acquieuit Eulogius & sic sapuit. 43.

Virtutes quas status tuus exigit exerce.

Videtis tandem Auditores, optimam fortunam, pessimam hominibus metem ingerere, imo ingenerare? Plurima bona præstare posses, inquis, si opibus affluerem; posses quidem sed non præstares. Eulogius mihi iam testis est. Et verò an ea iam facis omnia, facere quæ posses bona? Certè patienter ferre iam posses paupertatem tuam: cur igitur quam potes patientiæ virtutem non exerces? 44.

erces ? submissionem animi (en alterum virtutis exercitium)in humili constitutus sorte, emolumento sanè maximo potes exercere ; cur tamen adeo turgidus es & superbus ? Beneuolentiam, humanitatem,gratitudinem exhibere potes benefactoribus tuis; cur tamen tam inurbanus es, agrestis, ingratus, asper & inconditus , linguâ procax, lentus manu, animo ferox & rusticus ? si talis iam sis, pauper cum sis; Deus bone in quantam cum diuitiis insolentiam non assurgeres? quàm parum tibi attenderes immemor tui?

45. Misericordiæ opera exhibiturum te inclamas quæ Deus modò à te non exigit;& illa nequidem præstares opulentus,& opulentiæ interim vitia congereres. Neque misericors esses ; neque tamen auarus, immodestus , tumidus, impudicus, superbus & impudens esse desineres,crescerent cum opibus scelera.Iam verò charitatis opera cum à te minimè requirat Deus, submissionis certè, humanitatis, beneuolentiæ, tolerantiæ à te opera exspectat.Hæc præsta bonorum operum si sis cupidus;quæ tum bona sunt, cum conditioni tuæ exæquantur. Age tandem gratias benefactori tuo quantum potes maximas, & dic *da quod vis, & quantum vis.* Crede mihi bene tibi admensus est Deus, nec assi tuo drachma deest vnica.Paulo plus adiectum,haud paulo plus fuisset mali. Lætus itaque pane tuo vescere quantumuis arido, & vt lætus comedas, illud intra dentes obmurmura tibi ipsi,*Dominus dedit.* Quod si verò etiam panis tam aridi & breuis, pars aliqua deperdatur, rursus dic, *Dominus abstulit*; & quidem is Dominus qui omnia dat & aufert *in pondere & mensurâ.*

TRACTATVS XIII.

Oculi Domini super Iustos, & aures eius in preces eorum: vultus autem Domini super facientes mala. & quis est qui vobis noceat si boni æmulatores fueritis? 1. *Petri.* 3.

Ostenditur quòd qui statu suo contentus est, etiam difficultatibus omnibus quæ extrinsecùs adueniunt, quæque statum necessariò comitantur, debeat acquiescere.

PROOEMIVM.

OMnem difficultatem superasse me cùm arbitrabar, tum verò ad difficultatum omnium sentinam, eamque longè latèque per omne genus hominum diffusam peruenisse me comperio. Difficilè est eam exhaurire; semper enim noua & recens recurrit materia difficultatum, idque non tam fundi vt videtur vitiô, quàm aliunde inuecta aut superiecta. Illud certè molestissimum videtur & verò etiam intolerabile, quòd quietam vitam agere nemo quantumcumque velit, possit: semper enim externa intercurrunt impedimenta quæ pacem interturbent, quæque in manu non sit depellere & amouere. Quis enim hominum, quotquot sunt, aut audaciam aut insulsos incultosque mores refrænet; quis indolis rusticitatem penitus corrigat? Hinc tamen ingens turbationis origo & fons. Quid enim iuuerit meâ me fortunâ contentum viuere, si per alienam malitiam id esse non liceat modò, quod modò sum? si meâ tenuitate me inuoluo lætus & gratus Deo; est qui arrodat, est qui bonis, est qui famæ detrahat, est qui per summam iniu-

stitiam

stitiam in ius violentus vocet, est qui dignitatem vellicet, est qui inuideat, est qui palam etiam ob os conuitium faciat, est qui rusticitate suâ molestiam facessat sanè grauissimam. Hæc verò quis impediet, & quæ impedire non possis, quis ferat imperturbatus? Ita tu quidem: verùm moram da, & tibi & mihi. Querelas omnes ex te libens audiam; tu ex me praxim sustinendi isthæc omnia, sine vlla prorsus animi perturbatione. Verùm illud meminisse credo te, tuâ te conditione contentum viuere. Quam maximè inquis. Ita sit, & reliqua facilè complanaro.

§. I.

Passim queruntur homines pacem suam & quietem, extrinsecùs per difficultates superuenientes interturbari.

1. IN maximam difficultatem me iam conijcio; querelarum chaos subeo sanè procellosum, plenumque tumultuantium vocibus & suspirijs; omnia hîc perturbata inuenio & implexa. Labyrintius est quem intro. Benè tamen spero eluctaturum me: optimum enim ducem habeo qui filum teneat, quique vt vidistis, totius ratiocinationis meæ directorem hactenus egit bellè & feliciter.

2. Illud itaque, tamquam decumanum fluctum, obuolues sat scio; te quidem sanè perspicere, facile esse suo contentum lætè hilariterque viuere; neque aliud desiderare te, quàm tuis dotibus, tum animi, tum corporis, bonis fortunæ statuque quem Deus dedit modestè acquiescentem, amarum hoc mundi pelagus enauigare. Verùm vitam pacificè ducere vir frugi vt sis, illud prorsus fieri non posse: non quòd quietem non optes, non sectaris, & toto animo concupiscas; sed quòd tot vndique venti circumstrepant, tot fluctus nauim impingant, tantæ passim vndique difficultates ingruant, vt modestissimo cuique, tranquillo tamen esse vt maximè velit, minimè liceat. Quid quòd tum maximè oriantur, cùm eas maximè conaris euitare? & verò, quæ facultas euitandi dabitur ea mala, quibus immersi vndique circumcingimur? En malorum paradigma, sed exiguum.

De malis extrinsecus aduenientibus passim queruntur homines.

Imprimis

Ea mala describuntur.

Imprimis enim, quæ quies dabitur inter tam dissimiles genios conuiuentibus, vbi ipsa indolis tanta difformitas vnumquemque in diuersa abstrahit studia & officia, & verò etiam mores & actiones? & vbi actionum est dissentio, quæ porrò exspectari potest quies? maritus in iram procliuis, vxor non admodum iræ patiens: filij in audaciam proiecti, non satis modestæ filiæ, aut parentibus morigeræ: propinqui nihil amici præ erunt præter nomen, cæterum rerum suarum satagunt, neque tam amicitiam, quàm amici fortunam colunt: serui domum pigri obambulant, peruicaces ad excipienda imperia, ad exequenda stupidi: ancillæ, garrulum hominum dicam an picarum genus, domum implent clamoribus, & verò arroganter imperant obsequi quæ debuerant: vicini omnia perscrutantur oculis emisitijs, obseruant, notant, in peiorem interpretantur partem singula, inuident si quid obtingit felicius, nihil denique non arrodunt. Quis inter tot tumultus dabitur quieti locus? 3.

Secundò, si hæc tetricæ conditionis tantùm essent vitia, ferenda forent. At video per summam sæpè malitiam, Deique grauissimam iniuriam, plurima mihi euenire. Liberi certè in omnem licentiam dissoluti per summam procaciam, & Deum offendunt & me. Alius per summum scelus, mendacijs, famam quam inter homines bonam habeo, impetit & verò etiam detrahit. Quid quòd & per summam calumniam, iniurias sanè pudendas in os impudenter ingerit? Alius meris falsimonijs fictisque pollicitationibus incautum circumuenit; negantur debita, procrastinantur, tantùm non soluendi libidine. Alius nihil tale cogitantem in ius trahit, diem dicit, protrahitur de industriâ lis, emunguntur vel inuito pecuniæ, & denique quamuis causa sit iustissima, eâ tamen tandem cado. Et tamen toleranda foret vtcumque, si ab ignotis mihi impingeretur hæc calamitas: at verò ab amicissimis hæc pati, & à sanguine coniunctis hæc sustinere, imò & ab ipsis quos luce hâc donaris pati liberis, hoc sanè patientiam omnem longè superat. 4.

Tertiò, si ad hæc ferenda vires saltem corporis suppeterent, aliquid adhuc ad tolerandum foret animi. Sed inter hæc omnia, morbi vndique me domumq; impetunt, hospites sanè graues & molesti: modò tussis, dolor modò capitis, modò toto corpore diffusa melancolia, mentem grauat: modò æger est maritus, 5.

modò

modò ægra est vxor, modò filius eripitur aut amicus; & semper is, cuius opera mihi maximè erat necessaria, vnicumque quod supererat in orbe solatium. Hinc animi prorsus cadunt, nec ridere quidem libeat; exosa est modo ipsa-met lætitia; ne Deum quidem adire est animus, nec cælestia meditari vlla est voluptas.

Sap. 9. *Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Quòd si verò his, eas quæ mihi à Dæmone hoste infestissimo obuoluuntur molestias, anxietates, scrupulos, ariditates mentis, animi remissiones & languores annumerauero, infinitus sanè sim.

6. Miser es, vt video, neque vllam bonæ vitæ partem consequi te posse credis. Non credo, inquis; nimis enim intricatæ sunt res meæ, nimiùm impetor vndique; turbatum est totâ domo; & quidem ita grauiter, vt quidquid cælum & terra complectitur, in caput hocce miserum conspirasse videatur.

§. II.

Ostenditur ideò turbari homines quòd difficultatum superuenientium auctorem & directorem Deum, numquam ob oculos habeant.

7. VErùm, vt tantis perturbationibus modum ponam verbis paucis; an non id iam inde à ratiocinationis huius exordiô admonui, & verò etiam demonstraui, non rebus turbari nos sed peruersis quas de rebus habemus opinionibus? neque adeo malorum euentibus commoueri, quàm à nostrâ semper suspicace, semper timidâ phantasiâ? Enim verò, vti dicebamus, si non ante in naui quâ veheris, ad somnum membra libeat componere, quàm donec quieta sint omnia; donec inquam & vndæ sint placidæ, & venti vim ponant & taceant, & nauis ipsa non agitetur, & vectores altum teneant silentium, & cum nauclero stertant, nullusque toto aëre percipiatur motus: certè aut id requiris quod numquam impetraueris, aut si prefractè impetrare desideras, sanè nauigare non vis, nec cursum promouere. Quæ enim sine motu institui potest nauigatio? At id etiam satis constat, moueri hominem in naui posse, & tamen animo non com-

Facile ea ferret qui phantasiæ suam corriget.

moueri : agitari potest corpus mente imperterritâ, & immotâ prorsus. Quô pactô, inquies, id à se quis impetrauerit? sanè non longè petitâ, nec arte admodum difficili. Illud sit tibi tantummodò præstitutum, neque ventorum impulsus, neque nauis agitationem nocumenti quidpiam afferre posse; cursum promouere quin imo: eamque esse naucleri classiariorumque peritiam, vt ventos maximâ dexteritate velis captare nouerint, ipsque nauim, portum versùs, summâ industriâ propellere. Hæc profectò sola cogitatio, menti cuilibet sanæ prorsus pacandæ sufficit, sic vt sine perturbatione & metu moueatur. Illud enim liquidò conspicit, motum esse necessarium, ea verò quæ motum faciunt nauigationi non officere, sed fauere. Quantò autem magis imperterrito vultu ventorum rabiem, fluctuumque assurgentium motus aspiceret, si etiam illud certò constaret, ventos omnes vndarumque agitationes in manu naucleri esse, nullumque in mari motum existere, quem non is ipse non prouiderit modò, sed nauigationi suæ quam instituit, magnô consiliô præstituerit atque præfixerit, mutaturus illico omnia, si rationibus suis viderit offectura.

Deumque esse agnoscat qui hæc vt fierent, direxit omnia.

8. Iam verò, quàm istud est admirandum planè, scire nos, imò & clarâ voce confiteri, nihil planè in totâ mundi machinâ & rerum serie obtingere, quod non à sapientissimo Numine decernatur, peccatum solum si excipias; quod tamen etiam summâ dexteritate in bonos vsus & gloriam suæ artis nouit inflectere; hoc inquam, in alijs omnibus fateri nos clarè, & tamen in ijs quæ præter mentem nobis eueniunt, non agnoscere? Dei exactissimam Prouidentiam in omnibus planè rebus adoramus, in ijs verò tantùm quæ appetitui nostro videntur contraria, eam non perspicimus, imò & taciti negamus. In nobis itaque solùm hæsitauit, aut etiam errauit Deus. Quæ demum est ista peruicacia, quis stupor, quæ mentis cæcitas, aut potiùs peruersitas.

Quia tristem te hâc horâ volebat Deus, idcirco hæc iam mala tibi permisit immitti.

9. Quid enim perturbor ego, quæcumque demum res meas agitent aut impetant auræ quantumcumque aduersæ; si illud penitus mihi persuasero, Deum esse qui clauum teneat, cum esse cuius nutu ferantur aduersitatum venti, eum esse qui rabiem eorum temperet, moderetur, inflectat prout vult, & pro vt vsibus meis conuenire penitus perspexerit? An non illa ei mens est, ad felicissimum æternitatis portum me vehere? sine dubio, hæc ei est.

est. An non id etiam ei liquet, quis ventus, placidusne an vehemens, amœnus & blandus, an vero tristis & rigidus, nauigationi instituendæ maximè deseruiat? nouit enimuerò. Quin imò, deliberato plane consilio, res omnes instrumentaque ita disposuit, vt hæc, quam tu tam incommodam clamas, nauigatio tibi obtingeret. Iam inde ab ipsâ æternitate res omnes ita digessit, vt coniugi moribus aspero, genio feroci nuberes; inamœnam vero vxorem tu vt duceres, quod ita è re tuâ esse iudicarit, domesticis difficultatibus implicari te. diuitias tibi exitio fore cum vidisset, eripiendas illico proclamauit; vtque eriperet, casus varios, naufragia, contrahentium falsimonia, villarum deprædationes & incendia, lites inopinatas, amicorum dissidia, inuidentium arrosiones, cæteraque quibus illachrymaris, permisit, imò immisit Deus salutis portum vt teneas, à quo placidiores venti, nimium quantum, cursum tuum deflexissent. Quid igitur te perturbas? quid ægrè fers illos modo flare ventos, sine quibus malè nauigandum erat tibi? Sint sane tristes, sint asperi, sint vehementes. Certè aduersi non sunt, imò felices, imò prosperi, si rectè nauigationis tuæ finem, Deique eò cursum dirigentis artem percipis.

Si semper hunc Dei finē intueris, facilè aduersa cuncta patieris.

20. Video iam de fortunâ tuâ quam asperam, quam difficilem appellas, peruersam & malam opinionem habere te. idcirco hanc dicis, imo & sentis difficilem, quia difficilem tibi male sentiendo, opinione tuâ facis. Certè nulla maior est in orbe difficultas, quam ea quam sibi effingit & imponit, hominis in immensum sua mala augens, adeoque fallax fallensque phantasia. neque hanc vmquam corriges, si euentus quos tibi reris aduersos, extra Dei eos dirigentis Prouidentiam voluntatemque conspexeris. eos ibi intuere, & totus illico abstergetur animo timor, & menti dolor. Sic igitur statue, cum quid præter exspectationem triste se rebus tuis ingerit, id ita prorsus contingere debuisse. Certò inquam tibi persuade, hodie & quidem hâc horâ, subtristem & melancholicam animæ constitutionem tibi conuenire; gaudebisque illico hanc de quâ modò quereris, dolendi materiam, siue aduersâ fortunâ siue etiam maleuolorum impudentiâ, tibi obtigisse. Calumniâ famam tuam impetit nescio quis effrons; alius fortunæ bonisque per summum nefas insidiatur; alius dignitatem vellicat & arrodit: sentis id tu, & quidem grauissimè:

mè : sentias sanè, sed vt ne perturberis cùm turbaris, confestim id cogita, spiritus quibus fortasse turgebas nimiùm, comprimi debuisse, ne in immensum excrescerent : & tunc facilè patieris instrumenta, quibus depellendus erat, in malum longè maximum abiturus animi tumor: illudque cum Dauide lætus dices. *Bonum mihi Domine quia humiliasti me.* Facilè patitur ventorum rabiem, eos qui nouit ex arte excipere. Psal. 118.

Imo & vo-les euenire.

Operæ pretium erit, Ethnicum licet Senecam, de hâc re dissentem audire. *Quid est præcipuum,* inquit ? *posse læto animo mala tolerare.* dictum bene : at quâ arte id exegero ? *Quidquid,* inquit, *acciderit sic feras, quasi si voluisses tibi accidere.* certum enim id est, desiderio cupientis cum satisfit, illico mentem acquiescere; siquidem *Desiderium* motus est animæ ad rem sibi præstitutam properantis; cuius consecutio nihil est aliud quam animæ sic motæ quies. Quòd si ergo id desideras tibi euenire quod euitare non potes, quid porrò turbaris vota tua completa quod sint ? Atnolo, inquies, tam molesta accidere. Stultè non vis inquit Seneca, *debuisses enim velle, si scisses omnia ex decreto Dei fieri:* iam verò id scis & fateris tute ipse, Dei tua fata decernentis industriâ tempestatem hanc exortam; neque aliud spectare quàm bonum tuum, neque vltra præfixas à Deo metas aduersitatem posse excrescere; quid igitur angeris, quid turbaris? quin quieto pacatoque vultu circumuolitantes ventos vndasque circumstrepentes, è naui securus spectas ? quid impallescis vbi tuta & prospera sunt omnia ? Eia mentem animosque erige, & vt præclarè monet, D. Augustinus, *Constanter Deo crede, eique te totum committe quantum potes : & noli esse velle quasi proprius, & in tuâ potestate; sed eius clementissimi & vtilissimi Domini te seruum profitere. ita enim te ad se subleuare non desinet, neque tibi euenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias.* digna Augustino sententia, digna viro mens. II. Sen. l. 2. Nat. qu. in præf. in fine. D. Aug. in Soliloq.

§. III.

§. III.

Ostenditur turbari homines, eò quòd aduersa sibi credant esse, ea quæ maximè prosunt & rem promouent. Quomodo autem aduersa prosint, declaratur.

12. VErùm in hôc erramus passim miseri, quòd prę fractè alia prorsus omnia de rebus iudicemus; eaque credamus prospera quæ cursum maximè præpediunt, aduersa verò quæ promouent. Ea autem dico prospera, non quæ delectant, sed quæ prosunt; aduersa rursus ea pronuncio, non quæ auersamur, sed quæ nocent. Illud autem euenire passim video, quòd nauicularię rei imperito: retroagi cùm videt remos, & in contrarium latus impelli gubernaculum, pessum ire maleque gubernari credit omnia; & tamen nauis ex arte propellitur, & auerso remigum impulsu maximè promouetur. Ita sunt res nostræ: retroacta sæpè cum vultum fortuna auertit, tum præclarissimè res nostræ fluere incipiunt; & tamen profutura auersamur. *Ea quæ prospera iudicant homines, sæpè aduersa sunt & econtra.*

13. Exod. 1. Quando enim magis suppressa videbatur Israëlis in Ægypto felicitas, quam cum Regis barbaro sanè edicto, omnis proles masculà obstetricum manibus enecanda decernitur? absconditur maternâ curâ infans Moyses, præsentique morti eripitur, in aliud mortis discrimen nihilominus coniiciendus. Cùm enim tribus iam elapsis mensibus, prolem excrescentem diutiùs Ægyptios mater celare non posset, fiscellæ scirpeę puerum includit, & fluuio non sine gemitu committit. Defertur secundo alueo morti deuotus infans, & cum puero nauigat fortuna Israëlis. Numquam ea magis stetit, quàm cùm fluctuabat. ex illis ipsis vndis felicitas omnis populo emersit vniuerso, quibus credebatur extinguendus. Rectè id in rem meam expendit & exposuit Origenes. *Hoc,* inquit, *admirabile est, quòd non per ea quæ videntur securitatis esse, sed planè per contraria, omnia pro nobis fiant. & vt discas: iussit Pharao in flumen coniici pueros, nisi proiecti fuissent pueri, non seruatus fuisset Moyses, non in aulâ educatus fuisset. quando seruabatur non erat in honore; quando expositus est, tunc factus est in honore: hoc fecit Deus declarans suam omnipotentiam & sapientiam.* Enimuerò *Declaratur exemplo Moysi.*

Orig. hom 16. in Act.

rò sapientiam suam tunc liquidò manifestat Deus, cùm per ea ipsa quæ nemini non videbantur aduersa, finem tandem suum felicissimè consequitur. Quodque in Moysis historiâ liquidò perspicitur, id sanè, si mentem aduertimus, in toto vitæ nostræ decursu, non minori arte & industriâ, Deo sic res nostras disponente, contigisse, clarissime comperiemus. Numquam aduersum tibi quidpiam accidit, quod non maioris tibi boni principium dedit: si non dedit, obicem sanè opposuisti tu: Dei mens fuit tibi benefacere.

Erramus circà quid nomina Boni, & commodi confundamus.

Verùm in hoc fallimur, quòd Boni nomine illud tantùm intelligamus quod naturæ nostræ est commodum. ad hoc consequendum studia omnia & vota dirigimus, neque satis attendimus quem sibi scopum, in rebus aduersis immittendis aut permittendis, Diuina Mens habeat præstitutum in alia abimus omnia; & sic cum à Dei fine discedimus, malè de his quæ nobis accidunt, & præter mentem Dei iudicamus. Certe *voluntas Dei est sanctificatio vestra*, vt rectè Apostolus: vestra autem voluntas est diuitiæ vestræ, commoda vestra, honores vestri, voluptates vestræ. huc cogitationes omnes, huc desideria, huc vota extenditis. ab hoc scopo quæ vos deflectunt, ea aduersa dicitis; quæ ad hunc deducunt, ea verò dicuntur prospera. Quid autem mirum, quòd nomina dissentiunt? abitur in diuersa. Sanè si *voluntas Dei est sanctificatio vestrâ*, illi voluntati vestram coniungite, eodem tendite, ad salutem vestram consequendam studia cuncta cum Deo conferte, & illico prospera esse intelligetis ea, quibus, aduersitatum falsò nomine, inuidiam concitatis: & quidem adeo prospera, vt hæc ipsa, viarum compendia esse quibus ad sanctificationem tandem dabitur peruenire, manifestè sitis percepturi. Finem itaque, quem malè vobis præfigitis, corrigite, & plana sunt omnia. sed vt rectè ille, *Deos malumus emendare, quàm nos*. 14. 1. ad. Thessal. 4. Sen.

Qui non aliud sibi in nauigatione propositum habet, quàm marinam auram captare, & quaquauersus spatiari ad delicias, is sanè molles Zephyros etiamsi a portu carinam auferant, prosperos dicet; neque pensi, habet qui spirent venti, modò lenes sint, neque cantibus aut genio, cui indulgere statuit, frigidiores si sint, officiant. illum sibi aduersum esse credet, qui in portum proram fert: eumque aduersum magis, qui cum velis incubat vehemen- 15.

vehementiùs, celeriùs nauim in portum rapit. Nauclerus interim, qui non ad delicias, sed ad obtinendum portum nauigat, prosperum hunc ventum vocat, quem tu velut aduersum criminaris. En vt diuersi fines, diuersa eidem vento dent cognomina.

16. Sic prorsus fit; mare & quidem procellosum sulcamus quotquot viuimus. hoc tantùm habet boni mundus hic, quod ad cælestem patriam obtinendam via sit: hanc vt obtineas, enauigandum est hoc mare. Sed ô insanos nos! vix mollior spirat aura, vix cælum ridet, vix placidi fluctus lambunt ratim, & ecce illico placet mare, nec de patriâ cogitatur vbi tam amœnum est pelagus. Vagari iam libet toto oceano, & ad delicias vela expandere. Ah miser! nimium ne crede mari cum tranquillum est: dum lenes spirant venti, à littore te in altum abripiunt, isthic cum minimè reris, tempestatibus inuoluendum. Et verò, an non ista supina in nobis est stoliditas, mundo huic tantopere quòd inhæreamus, nescio quâ abducti deliciarum spe? Quin imo idcirco tot procellis expositum, tot miserijs obnoxiũ, tot implexum difficultatibus hoc mare summâ sanè industriâ & consilio voluit Deus, vt viæ molestiâ saltem delassatus, ad cælestem patriam vela votaque explices, & tamen, ne sic quidem tandem sapis: delectat te mare falsum & ærumnosum; quid porrò ageres si semper placidum staret? Deplorat sanè miserandam hominum vecordiam, sapientissimè D. Gregorius *Despiciendus*, inquit, *à nobis fuerat* (mundus) *etiamsi blandiretur. At postquam tot flagellis premitur, tantâ aduersitate fatigatur, tot nobis dolores ingeminat; quid nobis aliud quam ne ametur clamat? etiamsi Euangelium taceat, mundus clamat: ipse tam & à quibus amatur, amarus est. Vbique mors, vbique luctus, vbique desolatio; vndique percutimur, vndique amaritudinibus replemur; & tamen cæcâ mente carnalis concupiscentiæ ipsas eius amaritudes amamus.* Mare se esse clamat Mundus, nihil in eo stabile, nihil quod diu delectet, nihil esse vbi pedem securus figas; clamat res ipsa, hoc tute toties es expertus, hoc tute fateris modò qui de aduersitatibus vndique te incursantibus conquereris: & tamen tam triste te mare delectat, aduersosque credis ventos, qui in patriæ tuæ portum te, vel inuitum, abripiunt.

Homines in hoc mũdo quærũt iucunditatem corporum, Deus salutem animæ.

Mundum amatoribus replet Deus, vt tãdem sapidio fiat.

D. Greg. hom. 28. in Euang.

17. Muta sententiam si sapis, & istud iudica quod res est. Nullum sanè alium sibi præstitutum finem licet haberet sapiens Deus,

Nec de cælo cogitare mus nisi miseriis adacti.

Deus, quàm per moleſtias difficultateſque vndique oborientes, faſtidium tibi huius mundi ingenerare, mimiumque quo ei inhæres amorem, tempeſtatum acrimoniâ auertere, certè adorare deberemus Mentis Diuinæ ſapientiſſimum conſilium. Nihil enim nos à patriæ promiſſæ deſiderio retrahit tantoperè, quam viæ, mundi inquam, fucata quidem, naturæ tamen non planè ingrata voluptas. Hâc dum fruimur, nobiſque dum benè eſt, parua ſanè patriæ nobis eſt curatio: futuri immemores ſumus, dum præſentibus delectamur. Cauet obliuioni tam periculoſæ prudens Deus; & vt caueat, mundi huius delicias amaroribus interturbat. Conſilium hocce ſuum per Prophetam Oſeam ipſemet manifeſtat. *Sepiam*, inquit, *viam tuam ſpinis*, quæ quidem verba eleganter in rem meam ſic interpretatur Hieronymus; *ex quo intelligimus quod Prouidentia Dei ſæpè nobis accidunt mala, ne habeamus ea quæ cupimus; vt varijs calamitatibus huius ſæculi ad Deum redire cogamur.* Salebroſa cum eſt via, confracta, ſaxis obſita, non lubet tunc eſſe tardis & negligentibus: acuit procedendi ardorem viarum difficultas; nimia amœnitas lentos facit. Oſee 2. Hier. in hunc locum.

Hâc arte vſus Deus vt Iſraëlitas non inuitos ex Ægypto educeret.

18. Cur quæſo populum Iſraëliticum, gentem præ omnibus quotquot tunc erant ſibi dilectam, tantis tamen aduerſitatibus in Ægypto obrui paſſus eſt Deus? cur mancipiorum inſtar, ad viliſſima quæque opera detrudi, lateribus excoquendis impendi, & ſi quidquam penſi impoſiti defuerit, per ſummam iniuriam crudeliſſimè flagellari? Nimirum ex Ægyptiorum commercio & dominio, in terram lacte & melle manantem, transferre totam Iſraëlis gentem ſtatuerat Deus, vbi & latè dominari, & ab Idololatrarum iugo & ſocietate remoti, debitum ſibi cultū dare tranquillè poſſent. vt igitur ſponte ſuâ, nec inuiti, terras quamuis alienas, à ſe tamen multo iam tempore cultas deſererent, tantas ipſis calamitates ab Ægyptijs immitti paſſus eſt; vt vel tædio victis, domos antiquas mutare eſſet volupe, quas dulces plerumque facit; ſola etiam eas inhabitandi diuturnitas & conſuetudo. Quod ſi ab Ægyptijs benè placidèque fuiſſent habiti, numquam ſanè tranſmigrandi cogitatio minima in mentem ipſis veniſſet, neque vi vllâ potuiſſent à ſibi iam conſuetis ſedibus dimoueri. Et verò tam miſerum in modum habiti, quoties non adhuc ad Ægypti ollas ſtolidi ſuſpitarunt? Ægypti ſordes,

veterа rememorantibus, deliciæ adhuc sunt. *Recordamur*, inquiunt, *piscium quos commedebamus in Ægypto gratis; in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, & cepe, porrique, & allia.* Num.11. Et prę his quisquiliis sordet manna *omne delectamentum in se habens, & omnis saporis suauitatem.* Sap.16. Ah! quàm ægrè fuissent auulsi si in delicijs isthic viuere licuisset, quos ipsa peponum memoria, alliorumque fœtor retrò in Ægyptum agit.

19. Sic est, sic agimus nos & sic agit nobiscum D-us. Totum in te coniuratum stare orbem conquereris? permittit id nimirum Deus, vt te orbis, quem nimiùm complecteris, subeat fastidium. per homines tibi molestias ingerit, ne hominibus adeo inhæreas & confidas. per amicissimos maximè & propinquos, quin & per coniugem, & liberos maxima tibi suboritur mœroris, tædiorumque materia; detergendus nimirùm erat nimius illorum amor, per quem à debito Numinis cultu reuerentiâque, cum summo salutis tuæ discrimine abstrahebaris. Adeò vt verissimum esse, illud D. Gregorij in te ipso, si mentem aduertas, possis intelligere; *Aliquando nos mundus retraxit à Deo; nunc tantis plagis plenus est, vt ipse nos mundus mittat ad Deum.* D.Greg. suprà Retraxit nonnumquam te insanus coniugis futuræ amor; nunc moribus sanè inconditis difficilique genio *te mittit ad Deum*, experientiâ docturn tandem quid stolidè adamâris. Nimia te filiorum cura, & liberos ditandi studium, à recto iustitiæ tramite in diuersa distraxit; nunc eorum effrons impudentia, ad Deum te reducit agnoscentem quàm ingratis benefeceris, tibi ipsi cùm facis male. Nimia tibi erat necessitudo, & verò etiam turpis familiaritas cum illo genere hominum, quorum tecta necesse est vt sint commercia, ne pudori sint & infamiæ si fiant manifesta; nullus erat te à tam turpi vitâ retrahendi modus: & ecce ex illâ ipsâ parte dissidia, rixæ, & intolerabiles molestiæ oriuntur, vbi tu delicias amoresque tibi fingebas æternos; & bono tuo incipis odisse, quod non nisi summo tuo malo incautus adamabas. Ingentem sanè turrim machinabantur homines, tum cùm vt sacræ testantur paginæ, *terra erat labij vnius & sermonum eorumdem.* Gen.11. Nimia erat animorum coniunctio, quæ à Deo homines seiungebat; machinam ipsi cælo formidandam insani erigebant, & cum machinâ, animos nimiùm eheu superbos. Non tulit fastum Deus. *Descendit autem Dominus vt videret ciuitatem & turrim quam*

Quin imo & per eos ipsos mala immittit, quos malè amamus, vt amorem illum dissoluat.

ædificabant filij Adam, & dixit; ecce vnus est populus, & vnum labium omnibus: cœperuntque hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleuerint. Venite igitur, descendamus & confundamus linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui. Atque ita diuisit eos Dominus ex illo loco in vniuersas terras, & cessarunt ædificare ciuitatem. Compendio vsus est Deus: turrim si fulmine deiecisset, casu id factum arbitrarentur, & coniunctis denuò studijs, restituendæ fabricæ incubuissent. Linguæ commercium, & animorum exinde coniunctio, quæ male coierat erat dissoluenda, vt tota dissolueretur machina & in lapidum aceruum iret. Quam multæ adhuc hodie struuntur machinæ cælo aduersæ, Deo inuisæ? vnum quamdiu labium est omnibus, quamdiu coniuncti sunt in malum conspirantes animi, frustra impedimenta ponuntur; secretas illi norunt vias, secretos characteres, secretas litteras; consilia sunt secreta; *neque desistent à cogitationibus suis donec eas opere compleuerint.* Animorum itaque imprimis diuisio inducenda est, suspiciones ingerendæ, odia quin imo suscitanda, quæ nunquam grauiora sunt quàm se non rectè amantium. Denique id agendum, vt non audiant, & si audiant, certè non intelligant, non credant, non æstiment *vocem proximi sui* malè antehac dilecti: & sic tandem *cessabunt ædificare*, aut potiùs scandalo euertere *ciuitatem*. Clariùs hæc edicere non attinet, satis superque intelligor. Illud autem est verissimum, plurimos de æternâ salute deijciendos fuisse, nisi summâ iniuriâ ingentes molestias ab ijs ipsis sustinuissent, quos stultè nimiùm & præfractè adamabant. Ita sanè sæpè non nisi ab ipso malo, mali remedium est. Sapientissimi Dei hæ artes sunt, quas dum ignoras, quereris: eas verò cum iam agnoscas, lætus patere; pateris enim bono tuo.

§. IV.

§. IV.

Vt bono tuo & bene patiaris, imprimis noli Deo patiendi materiam immittendam aut modum præscribere; verùm velis pati quidquid, & prout euenerit, non verò id quod tu elegeris.

20. QVòd si itaque illud rectè perceperimus, eam esse conditionem nostram, quamdiu mortalem hanc vitam agimus, vt patiendi vicissitudinibus semper simus expositi, atque adeo pati velimus, nec à communi hominum lege eximi; tum verò prorsus absurdum est, terminos patientiæ figere exceptionesque molestijs dare. Quidam enim materiam excipiunt; pati quidem volunt, sed non ista quæ patiuntur modò. Iacturam bonorum pati, durum est nimis; ægritudines corporis tolerare, nimiùm enim verò est molestum; iniurias ferre, calumnijs impeti, famam injustè detrahi, prorsus intolerabile; tentari à Dæmone pudicitiam, tædio affici, nimis id quidem periculosum. His si liberari possint malis, cætera se flacci facere, & verò passuros non inuitè. Alij exceptionem ponunt tempori. Quis enim ferat hæc eo prorsus tempore de se dici, cùm proxima ad dignitatem consequendam patefacta iam erat via? quis eâ ætate & canitie, post tot pro Republicâ exantlatos non sine fructu labores, ita se contemni patiatur? Alij personam excipiunt à quâ sanè pati nolint. hæc enim si ab ignoto impingeretur iniuria, foret id quidem tolerabile: verum ab amicissimo ita diuexari, ab eo qui tibi debeat omnia, in ius contra ius vocari, id verò ne ipsa quidem patientia sustineat: alius sit, & ab eo feram quidlibet.

Aliquipati quidem volunt sed semper cum aliquâ exceptione & conditione.

21. Audio quæ dicis: sed istud clarè video, alia atque alia quæ patiaris dum frustra quæris, nihil admodum tolerare te prorsus velle: alium à quo velis pati semper inquires, numquam inuenies. Verùm vt ratione agamus omnia, an non id liquidò statuis, à Deo tibi omnem patiendi materiam designari? è commodo tuo & bono esse, aduersa quòd sustineas? neque aliter tibi rectè esse posse? id quidem iam euicimus fassusque es modò. Quid itaque singula quæ obueniunt mala tibi semper displicent,

Neque tamen si malorum patiendorum detur electio, eligere quidquam possit.

aliqua necesse cum sit pati? Quòd si ergo nunquam, patiendi materiam tibi, non casus, sed Deus ferat humeris tuis accommodam, tu saltem eam tibi præscribe prout vis; chartam in manus sume, isthic nota quantum exactè molestiarum pati desideres, quâ in re, in famæ aut fortunarum iacturâ; rursus quamdiu, à quibus, quo tempore; diem designa & horam, quin & locum & modum; omnibusque rite expositis, syngraphàm obsigna, Deoque in manus trade, hanc vt pro tuo libitu exequatur. Illud certè affirmare ausim, ne sic quidem adaptaturum te genio tuo patiendi materiam, sic vt voluntati tuæ exactè conueniat, eamque sustineas non inuitus, cum deuenietur ad rem. Id quidem oppidò est manifestum. Nam si planè ex tuo sit arbitrio, & genio voluntatique prorsus consonum, tum verò patiendi materia nulla est, nec si euenias, quidquam pateris. Quod si verò præter mentem tuam quidquam non conueniat, illico reclamabis deceptum te longè supra opinionem, & libellum supplicem Deo porriges, quo restitutionem in integrum importune postulabis. irrita erit itaque ista ex mente tuâ designatio.

Permitte cũcta Deo, qui scit qua parte adhibenda sit medicina.

22. Age verò, an non id Deo perspicuum est, quid tuæ ferant vices, & quâ parte potissimùm feriendus sis rectè vt doleas, medicinamque malo tuo vt faciat dolor? Quasi verò æger cui scindenda est vena, illud medico sanè expertissimo præcipere rectè possit, quantum sanguinis sit detrahendum, aut quâ parte corporis designanda sit phlebotymia; an è pede, an è linguâ, an è manibus, an è brachio, rursus an è venâ cephalinâ, an vero ophtalmicâ educendus sit immodicus cruor. Medici id est prescribere, tuum pati. Laboras oculis miser homuncio, nimis illi præfastu quo turges elati sunt, emissitij sunt, nihil non alienâ in domo rimantur; hâc tu parte feriendus es. capite laboras, ad omnia durus es, tenax iudicij & præfracti cerebri; isthic tumor est, isthic adhibenda medicina. manu laboras aut linguâ, auarus es manu, linguâ procax; manu nimiùm promptus, linguâ petulans; educendus est illinc sanguis, vbi æstuat. Curari si vis, cur aliâ parte medicinam vis applicari, aliâ cum labores? Permitte sapientissimo medico medicinam; tu tantùm curari velis, sed seriò; præstabit Deus cetera: amara si est potio, medicinam scias. Malles tu valetudini tuæ potiùs, & viribus corporis quidquam detrahi, quàm diuitiis aut fortunis: at videt Deus nimiâ bonorum

Aliâ parte laboras, tu & aliâ parte curari vis.

rum cupiditate suffocandum te; patere itaque bonis tuis quidquam detrahi, vt libera cordi detur respiratio. Tu verò bonorum iacturam ferres libentius, quàm, quâ miserè torqueris, membrorum omnium ægritudinem; at verò præscit medicus, corporis bonam valetudinem, animæ futuram mortem. Nihil non patereris potius, quàm famæ honorisque detractionem; at nouit Deus isthic vlcus latere, isthic tumorem esse, nimiùm te dignitatis appetentem, nimis inflatum, nimis turgidum; deprimendus est is tumor, hîc adhibendæ chyrurgi manus, aperiendum est vlcus vt deturgeat. Omnia sustinebis potius, quàm quæ tibi à carnis petulantiâ aut Dæmonis inuidiâ oboriuntur tricæ, tædiâ, & animæ ariditates; & tamen iudicat medicus ea tibi esse necessaria, ne mentem extollas, ne tibi præfidas. Quin igitur acquiescis? Ne tu quæso experientissimo medico leges pone, medicum patere & medicinam.

23. Quòd si autem id quod præscribit medicus serio pati vis, quàm est istud tum ridiculum, illud edicere à quo pati velis, & cuius manibus facienda sit sectio. Certè omnes, qui te impetunt, chyrurgos puta, quos medicinæ faciendæ aptissimos nouit medicus Deus. Illum quem tu repellis, malo tuo curando iudicauit maximè opportunum; cur igitur eum non feres, quem tibi te sanando designat Deus. At inquis, nimis atrox est hic chyrurgus, molliori manu curandus sum: homo impudens est, qui mihi malum infert; nullâ iniuriâ affectus me alter impetit; alius odio me persequitur, tantum quia scelleratus est & effrons; alius de fæce vulgi est, qui mihi negotium facessit: & ab hisce quisquilis ego patiar? alius homo rudis est, asper moribus, insulsus, insectus, inurbanus, rusticus; quis istos ferat æquo animo? Ah miser! vt video ægeres, & tamen curari non vis; detrahendus tibi est sanguis & chyrurgos omnes quotquot sunt aspernaris & respuis. pati te velle dicis, sed à nemine vis pati. Nemo tibi conuenit, ne Dæmonem quidem quantum suspicor admitteres, qui tamen ad mala inferenda præstantissimam callet artem; estque cum à medico Deo adhibetur sagacissimus, tibique sum us optimus chyrurgus. Neque verò inquirendum est, quâ mente tibi sanguis detrahatur ab eo qui te impetit. Sanè sanguisuga non aliud sibi præfixum habet quàm sanguine se replere, suâq; sugendo, curare cuticulam, minimè autem mederi alienæ. Verum aliud vult sanguisuga,

Mala pati si contetus sis, noli respuere eum per quem inferuntur; nec malam eius intentionē querelis tuis prætexe.

guisuga, aliud medicus qui eam vlceri applicat: vtitur hic sanguisugæ genio, eamque suæ naturæ dum permittit, medetur tuæ. Medici itaque Dei mentem attende dum pateris, non eius à quo pateris: sincera ea est, semper sancta, semper tibi benevola, quamuis parùm tibi benevoli vtatur manu.

§. V.

Vt ergo patiaris libenter ea quæ tibi accidant, semper mala aspice vt à Deo tibi magno consilio emissa, etiam quæ per malitiam humanam eueniunt.

Quomodo excipienda mala extrinsecus aduenientia.

AVdi modò, rationemque quâ motus animi compescas ne malô superueniente perturbetur, paucis accipe. Aut ea quæ ab homine pateris, vitio naturæ, genij inquam asperitati, moribus inconditis insulsæque rusticitati tribuenda sunt; aut certè malignitati & peruersæ deprauatæque voluntati. Quòd si ab hominis inconditi tetrico genio, aut in iram nimis facili, & ad omnia stomachante ingenio, omniaque fastidiente tibi malè sit: hic rursus aut est eiusmodi, cuius commercium in manu tuâ sit facilè euitare; aut verò is, cuius societas declinari non possit, aut matrimonij legibus, aut aliâ cohabitandi necessitate, quæ facilè excuti non queat, disiunctionem minimè permittente. Dico igitur, difficilem tibi si quis se præbeat, cum quo familiariùs agendi nulla aut saltem non magna est necessitas, cum certè deuites licet; habeat ipse res suas, ne perdat tuas. Neque verò si mores hominum asperos, si dicteria, si iniurias ingestas æquô animo perferre sapientis est, eaque sint præclara patiendi materia virtutisque exercendæ campus; non tamen sapientis est semper, mala quæ patiaris quærere, ijsque sese sine magnâ ratione vltro ingerere. Vt quid enim indignationi & iræ, per nimiam alterius rusticitatem meamque imbecillitatem mihi facilè nocituræ, sine causâ me expono?

24.

Si malè tibi est à moribus eius quem facilè potes deuitare, eũ deuita.

Si euitare non potes scias eam tibi à Deo præstitutã patiendi materiam.

Quod si verò, aut per matrimonij, aut contubernij, aut propinquitatis, aut diuturnæ cohabitationis, aut etiam viciniæ leges, loco dimoueri non possis, neque facilè euitare hominem, qui tibi aut per morbos, aut per corporis deformitatem & defectum,

25.

ctum, aut per animæ vitiosas affectiones, subitam excandescentiam, inconditos mores, tetricos vultus, insanos clamores, totiusque indolis asperitatem, difficilem societatem facit & cohabitationem portò tetricam & amaram; istud tibi velim vt persuadeas, Deo id ita designante & volente contigisse, non casu. à Deo est in vnâ naui quòd sitis; ita vos coniunxit, ita sanè enauigandum est quod sulcas mare. Neque verò sine summâ id ratione, accuratoque consilio ita statuisse censendus est.

26. An non enim liquidò demonstratum est, hanc tibi coniugem, tibi verò hunc maritum; hos tibi parentes, tibi hos liberos; hos affines, hos contubernales; hos præfectos, hos subditos, à Deo destinatos, quòd ita rebus tuis conueniret? Quid verò est hic maritus, hæc coniux, hic pater, hic præfectus, nisi hic homo his vitijs implicatus, hâc indole, hoc genio, his quos auersaris moribus? atqui intemperiem illam austeritatemque, imò & conditionis acerbitatem, nimiùm blandæ & in mollitiem declinanti naturæ tuæ immiscendam censuit prouidus Deus, blanditijs ne difflueres. Dotes exiguas, vultum ferocem, os asperum, tardum ingenium patri attribuit aut marito, vt ad alta, cùm non aspirat, aut si aspirat cùm non euehitur, modestè viuatis ambo, exiguâ contenti sorte; ne per altiora deuecti, altiori etiam ruinæ pateatis. Humiles vos vult Deus: difficilemque pateris virum, vt à mille difficultatibus expediare. An ergo totam ordinationis Diuinæ seriem inuerti vis, vt ab hoc homine patiaris nihil?

27. At inquies, ferendo non sum; nimiùm est tetricus, ne blanditijs quidem emollitur; hoc enim verò malè me habet quod excandescam illico, & tota in rixas feror: & hoc sine offensâ Numinis non fit. Fateor malè agis, peccas quin imò. An verò hoc Deo imputandum est, an vitio tuo? Corrige tu in te quod exorbitat; & si ad hæc quæ nunc dico aduertis animum, facilè corriges; quæque nunc mentem exacerbant, patienter feres. Deinde etiam scias, longè tibi meliùs esse bilem tibi moueri nonnumquam, in iurgia concitari linguam, in lachrymas oculos diffluere, totamque cieri clamoribus domum; quàm vel in nimiam efferri arrogantiam, & putido turgere fastu, vel per nimiam indulgentiam insanis amoribus irretiri, vel in alia denique abire scelera, quæ tibi Dei Diuinarumque legum memoriam

Nec magni refert quòd aliquando ideirco impatiens sis.

riam omnem obducerent, nimis tenerâ erga hominem affectione depraua tæ. Vtrobique cùm vidit Deus male acturam te, maluit te aut choleræ nimiæ, aut indignationis vitio, quàm maioribus sceleribus exponi & implicari.

Nec dicas te Dei offensa tàgi, falsum hoc esse ostenditur.

Non fero tamen, inquies, Deum offendi tantopere, ab eo qui 28.
per summam iniuriam & calumniam me impetit, nolo sanè offendi Deum. Ita fit; sed nec Deus honoris sui tenacissimus offendi vult: offensam tamen offensus fert. Quin & tu ters, tanta post exempla? Iam verò, cùm tam peruersi sint homines, vt per falsissimas detractiones, per calumnias impudentissimas in te impactas, non homines tantùm, sed & Deum quoque pro libero, quo præditi sunt arbitrio velint offendere; quin tu gaudes alienam malitiam in tuum bonum cedere, te cùm impetunt relictis alijs, tibique præsertim præ alijs, rectè patiendi materiam subministrari? Dicamus sanè quod res est, & fucum tollamus: non Dei te offensa perturbat, sed sensus tuus. Dei si honore tangeris, non minùs certè Deo iniurius est qui alium quemcumque iniustè impetit, quàm qui te. An tamen alienæ iniuriæ indoles, qui tuæ ingemiscis? vtrobique par Dei offensa est, sensus in te non par. Enimuerò manifestum id est indicium, malis te tuis nimiùm tangi, dum non tangeris alienis. Tuis verò tangeris, quia Dei manum hæc tibi mala, tuo bono immittentem non aspicis, hominumque vitia tamquam instrumenta adhibentis, tibi vt male sit; & dolorem illum vt eliciat, quem tibi hoc temporis momento præuiderat esse vtilem, & imprimis conuenire.

Dei artificium est illo vti, per quem tibi magis doleat insitum malum.

Non itaque mihi posthâc oggeras, ab hoc homine quid- 29.
quam pati nolle te; nimis acerbas esse amicorum iniurias; filiorum contemptum & fastum, parenti grauissimum elicere doloris sensum; intolerabiles esse impactas à viro in dignitate posito calumnias, durius esse istas ab eo perferre, quàm ab incognitis aut ab hostibus aut à plebeiâ proiectâque fæce. Fateor ita est: neque hoc nescit Deus; nouit ipse quantùm amaroris, quælibet ferat herba, medicinæ quam adhibet. Itaque quia tantum tibi amatorem sciebat hodie necessarium quantò nunc exacerbaris, idq; animæ tuæ malis curandis apprimè competere, magnâ sanè arte hunc hominem, hoc os, hanc linguam adeo maledicam, præ cæteris omnibus de industriâ tibi admordendo selegit, vt

maiorem

maiorem doloris sensum infligeret, idem ictus, qui aliâ illatus manu, aut nullum aut certe minorem sensum incussisset.

30. Neque abs re agit filium castigaturus pater, recentes & lentas virgas quèd in manus sumat, veteres vero & exsuccas aspernetur, magis istæ etsi doleant; hoc enimuero vult pater, castigare vult, non abblandiri aut minis agere. Quàm vero id foret ridiculum, si verberibus exceptus puer, iram omnem in ferulam conuerteret, illam conuelleret, illam discerperet dentibus, illam sibi infestam fuisse clamitaret? Ah puer! quàm parum tibi pœnæ quas dedisti proderunt, instrumentis qui succenses, nec satis attendis castigantis patris beneuolam tamen & amicam manum: ignoscamus puero, puer est, & puerum prorsus agit.

31. Verùm hoc sanè ignoscendum non est, quòd puerorum instar, homines, instrumenta inquam per quæ nobis inferuntur mala, temerè & incautè attendimus. Oculos si vir es, altiùs erige; ferientis Dei manum aspice, illam agnosce, illam exosculare, illam in omnibus lauda & adora; illudque constanter assero, minimè perturbandum te, tibiquiscumq; demum acciderit aduersus casus. Hanc certè contemplabatur constantiæ exemplar Iob, tum cùm exutus omnibus, & ne ab vxoris quidem contumeliis liber, omnium ludibrio expositus, illud solùm consolationis tantis adhiberet malis, *Manus Domini tetigit me*. Dæmonis manum cuius furore tot tantasque calamitates optimo viro fuerant inflictæ, disiecti greges, concussæ ædes, occisi liberi, immissa vlcera per quæ toto corpore sanies diffluebat; aut certè impotentis mulierculæ efferatam linguam, Iobum tetegisse diceret alius; at verò sapientior Iob, Domini manum agnoscit; eamque manum, quæ neminem tangit aut percutit, nisi in pondere & mensura, ideoque, etiam cum ferit, semper beneficam.

Itaque Dei mala immittentis manum aspice exẽplo Iobi.

Iob 21.

32. Quid autem sapientissimus, tum verò, si aduersa quæ patitur spectas, miserrimus Dauid, cùm à nefario filio Absalone Regno exactus, fugiens cum paucis, vitæ suæ consulturus prærupta montium conscenderet? Non satis infelix videbatur, nisi in impudentissimam belluam, Semei inquam effrænatum os incurreret, qui veteres iras, ob ablatum à Deo Sauli propinquo suo Regnum, in Dauidem per summam contumeliam euomeret. *Virum sanguinum* appellat, quasi Saulis homicidam, alieni Regni inuasorem improbum, quem iam sua sequantur scelera, toto quod

Et Dauidis.

malè tenuerat, exactum regno. Neque verbis tantummodo insaniſque vocibus, ſed & ſaxis fugitiuum Regem per ſummam impudentiam impetit quaſi patibularium ſcurram, nullâ habitâ neque viri ætate iam exactâ, nec etiam dignitatis regiæ ratione. Non tulit intolerandam audaciam, impudenteſque latratus, fortiſſimus Abiſai: & ſolitos, etiam in depreſsâ fortunâ, reſumens ſpiritus, *quare*, inquit, *maledicet canis hic mortuus Domino meo Regi? vadam & amputabo caput eius.* Quid interim patientiſſimus Dauid? *Demitte eum*, inquit, *vt maledicat: Dominus enim præcepit ei vt malediceret Dauid. Et quis eſt qui dicere audeat, quare ſic fecerit?* O dignam Dauide vocem! Deum increpantem intelligebat Dauid, & meritas aliquando ſe pœnas dare; à Saulis ſanguine quamuis innocuus, homicidam nihilominus ſe agnoſcebat, Vriæ innocentis cruore manus ſuas qui per ſummum nefas impiè commaculaſſet. Saxa circumuolantia non à Semei, ſed ex Dei ſeſe caſtigantis manu immiſſa cùm aſpiceret, ſupplex accipit & libens fert. *dimitte itaque eum vt maledicat, Dominus ei præcepit.* Quid? an etiam ſcelera præcipit Deus, *numquid in ore blaſphemi Deus?* rogat Ambroſius; *abſit: ſed eo vſus eſt, ad humiliandum Dauid.* maledicum eſſe Semei non voluit Deus, verùm libero impudentis hominis vſus eſt arbitrio. Itaque *præcepit*, idem prorſus eſt ac dimiſit, ſeu naturæ ſuæ feroci & exorbitanti reliquit, vti illud rectè explicat Auguſtinus. Sic qui ferocientem & ſanguini inhiantem canem, loro ſoluto, manu mittit, ferociam non indit cani, tantùm non inhibet: vagari canem liberè ſinit; ſolutus ille ſuô genio fertur & dentibus dilacerat inuentum pecus: Ita prorſus cùm Deus ebullientem videret præ nimio dolore, vindictæque cupidine Semei ſanguinem, neque obliterata adhuc eſſe, quæ multis iam annis animo inhærebant odia; Semei quidem *Dimiſit* aptiſſimum Dauidi caſtigando inſtrumentum: Dauidem verò eô loci & temporis expoſuit, vt paucis circumuallatus cum eſſet, Regiâque poteſtate exutus, hoſtis ſui ſemper in malum parati iniuriæ pateret. vnde id tandem conſecutum eſt, vt ferociſſima hæc bellua animos ſumpſerit & audaciam impetendi virum alias fortiſſimum, quod ſanè in Regiâ dignitate conſtituto Dauide, numquam ei in mentem veniſſet aggredi. Hæ ſunt artes caſtigantis Dei; has vt agnouit Dauid, Deum agnouit, Deum in Semei caſtigantem ſeſe, ſupplex pertulit, nec inuitus.

2. Reg. 16.

Quomodo Deus vtatur ſcelere alieno, vt caſtiget Dauidem.

D. Ambr. in apolog. Dauidis c. 6.

D. Aug. de grat. & lib. arbit. c. 20.

Illud

33. Illud certum est, Deum scelera non præcipere; hoc tamen etiam est verissimũ, sceleratum hunc, scelestus esse cùm velit, te potius quàm alium quemuis quòd impetat, id quidem ex Deo scelera permittentis dispositione contingere; calumniari cùm velit impudens istud os, iniustè aliena inuadere cùm sibi nefarius alter habeat præstitutum; certe in te quòd recidant aliena scelera, id quidem à Deo esse fateor. *Et quis est qui audeat dicere quare ita fecerit?* an tibi rationes omnes sanctissimæ suæ voluntatis necesse est vt exponat? quod si tamen vis eas exhiberi, illud certè cum 2.R 3. summo sacerdote Heli illico reponam, *Dominus est, quod bonum est in oculis suis hoc fecit*, & quia bonum erat hoc fecit, 1. fortassis enim hæc tibi immittuntur mala, vt pro veteribus peccatis debitisque contractis olim, & necdum persolutis, pœnas des, omni post hæc ære futurus liber. per hos verò castigari te vult, quos fortè criminum socios habuisti. 2. fortassis virtutis exercendæ causâ hæc permittuntur; quod quidem in tentationibus semper est verissimum. 3. fortassis vt virium tuarum imbecillitatem experiare, Gratiæque Diuinæ perpetuam necessitatem agnoscas. Eccli. 34. nam vt rectè Ecclesiasticus, *qui non est tentatus, quid scit?* 4. fortassis delectari vult Deus, cùm te egregiè cum aduersâ fortunâ luctantem, & tandem omnia superantem lætus aspicit. Nam vt Sen. l. de prouid. rectè Seneca *Ecce spectaculum dignum ad quod respiciat operi suo intentus Deus. Ecce par Deo dignum, vir fortis cum aduersâ fortunâ compositus*: & quod mirandum est, victor. 5. fortassis tot aduersitatibus aggrauaris, vt spiritus quos secunda fortuna nimiùm tuo malo extolleret, isto pondere deprimantur. 6. fortassis etiam aduersa Deus ingerit, vt per ea ipsa te efferat, idque ad artis suæ ostentationem; vt qui per contraria, felicitatem tibi prosperamque fortunam nouerit efformare. ità certè sentiebat per maledicam Semei linguam depressus Dauid, *dimitte*, inquit, *eum vt maledicat, si fortè respiciat Dominus; & reddet mihi dominus bonum pro maledictione hâc hodiernâ*, & sanè re ipsâ reddidit Dauidi Deus cumulatissimè.

Non est inquirẽdum studiosè cur Deus mala suis immittò.

Congeritur tamen aliquæ rationes.

34. Denique rationes omnes inuestigare infinitæ fuerit operæ, & vero minimè necessariæ. hoc mihi præ cunctis sufficit, à Deo mihi omnia immitti & infligi: homines verò, non esse nisi instrumenta castigantis Dei. Rursus *quod bonum est id solum agit*, Psal. 118. illud itaque lætus dicam: *Bonum mihi Domine quia humiliasti me*;

Sufficit scire à Deo immitti, vt iudicemus esse ea nostrum bonum.

hanc mihi obuolui fortunam, hos ventos ita in contrarium verti, & bonum est Domine, & bonum mihi. hanc mihi infligi calumniam, tam iniustè bona diripi, malum quidem raptori est, malum maledico, *sed bonum mihi Domine*. quòd hæc mihi ab amicissimis, imo à liberis infligantur mala, malum ipsis quidem est *sed bonum mihi Domine* & quidem optimum: neque meliori ratione, aut loco, aut tempore poterant hæc quæ patior euenire, vt verè & benè paterer. Acquiescam igitur, nec tempori modum ponam. Interim *sit nomen Domini benedictum*. Nomen habes sapientissimi gubernatoris, dirige, verte, inuerte vela: nomen habes sagacissimi medici, seca, vre, versa me meaque omnia *prout bonum est in oculis tuis*. Hoc certus sum, nihil effecturum te, quod nomini tuo officiat, imo quod gloriam tuam sanctissimamque Prouidentiam, non vsquequaque commendet, totique orbi non faciat manifestam.



TRACTA-

TRACTATVS XIV.

Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terrâ, *Matth. 6.*

Ostenditur eum qui suo statu contentus est, etiam acquiescere debere omnibus iis quæ ab illo statu exspectantur, quæque illum necessariò consequuntur.

PROOEMIVM.

HVc tandem collimauit totius sermocinationis nostræ, quem ferè peregimus, decursus; quemque veræ solidæque tranquillitati mentis quærendæ impendimus: nempe vt sedulò seriòque animum inducamus, non alia velle aut nolle, quam quæ vult aut non vult Deus; voluntatemque nostram cum Diuinâ penitus adæquemus. Inde enim tempestas menti humanæ semper oboritur, quòd varijs desiderijs in diuersa rapiamur, & quod pessimum est, semper instabilibus, rarèque quæ constent sibi. Non alius igitur restat modus, quàm cùm nos ipsi quid desiderandum sit penitus ignoremus, nihil aliud velle discamus, nisi quod vult is, qui ignorare non potest id quod vult, vult autem id quod est optimum. Et ne vacillet posthâc voluntas vaga, non alteri vlli affigenda est voluntati, quàm illi quæ quod vult, semper vult, nec potest nolle quod semel voluit. Hic si fortè minùs attendistis, omnium ratiocinationum nostrarum scopus fuit & finis. Finis verò ille, omnis tranquillitatis est initium. Vt verò absoluamus omnia, illud iam sedulò gendum est, vt ostendamus statu nostro contentos esse non posse nos, nisi etiam omnibus, tum laboribus & operibus quæ à statu nostro meritò expectantur, tum etiam molestijs quæ illum necessariò consequuntur, penitus acquiescamus. Deinde

inde modum exhibituri, quo gaudere possimus etiam cùm dolemus. Denique non cum voluntati Diuinæ illico se opponere, qui suo statu contentus cùm est, mala tamen quæ intercurrunt, à se conatur amoliri, aut statum etiam cum feliciori permutare.

§. I.

Qui individuo & peculiari suo statu contentus est, etiam operibus quæ ab illo statu exspectantur, sit contentus.

HOc rectè si perceperitis, eum qui vobis obtigit statum, tum communem tùm etiam peculiarem, conuenientissimum vobis esse, neque meliorem eligi potuisse: & rursus, si ita sitis comparati animô, eum vt cum aliô vllô nolitis commutatum; facilè tum quidem id persuasero, vt ijs etiam acquiescatis quæ à vestro statu expectantur, admodum securi, aliorum quid ferat conditio. 1.

Exponitur rursus quid sit status cõmunis, & status cuique individuus

Communem statum, prout cœpi dicere, eum intelligo, quem cum pluribus habemus; puta quod homines simus, mares aut feminæ, matrimonio iuncti aut cælibes, Ecclesiastico adscripti ordini aut profano, mercatores aut opifices: rursus nobiles aut ignobiles, venusto aut inuenusto vultu, corpore sano aut ægro. Omnes inquam hi status aut positiones, communes multis sunt: neque enim si homo es, solus es homo; neque si mercator, etiam solus es; quod quidem de reliquis idem esto iudicium. At verò status tibi *peculiaris* & à te individuus, nihil est aliud à teipso in omnibus quæ te ambiunt circumstantijs constituto & considerato. Hoc igitur corpus quod circumferimus, hæ dotes animi, hæc valetudo, hæc indoles, hæc vultus effigies, hi amici, parentes hi, hæc dignitas aut munus, matrimonium hoc, hæc fama, hæc ætas; omnes inquam hæ aliæque circumstantiæ & prosapiæ, tuum tibi, mihique meum peculiarem constituunt statum: & ita quidem, vt nemo vllus in totâ vniuersitatis serie, tuo meoúe statu vmquam aut gauisus fuerit, aut porrò deinceps sit gauisurus. Alius licet matrimonio vt tu iunctus sit, tamen vxori iunctus est non tuæ: tu verò cum tuâ coniuge, matrimo- 2. Tract. 2. §. 4.

nij

nij ſtatum, qui vobis ſit indiuiduus, conſtituitis. Quamuis alius Religioſo ſtatui prout tu ſit implexus, tamen nec eos habet Præfectos quos tu, nec tua ſed ſua concepit vota, neque tentationibus mentiſque ariditate, quâ tu, vrgetur, licet forte miſerijs ſuis non careat. Denique mercatorem licet alter agat prout tu, tamen non eaſdem merces diſtrahit, aut non tantas, aut non tanto prouentu; non eas quas tu ædes incolit, nec illâ fruitur valetudine, nec illo eſt corpore, nec eâ quâ tu eſt indole; denique non eſt alter ego, neque alter tu. omnes enim ille proſtaſes ſimul coniunctæ, te faciunt quod tu es, ſiue, quod idem eſt, conſtituunt ſtatum tuum.

3. Iam verò id aſſero; vt ſemper pacato tranquilloque ſis animo, non id ſufficere, tantùm vt iudices, ſtatum tibi cum cæteris *communem* maximè conducere; niſi id penitus quoque perſuaſum habeas, *peculiarem* tibi ſtatum ita competere, vt nullus omnino ſit, quem præ illo tibi, vt benè ſit, ratione poſſis eligere. Et hoc quidem Tractatu decimo iam peregimus. Hinc verò id confecimus Tractatu vndecimo, vnumquemque euentis præteritis quæ ſe concernunt, puta parentibus, natalibus, educationi debere acquieſcere; vt quæ adminicula fuerint, quibus ad ſtatum tibi tam conuenientem deducerêre. Rurſum id liquidò deinde oſtenſum eſt, dotibus omnibus tum corporis, tum animi, item fortunæ reciprocationibus contentum viuere debere te; cùm hæc ipſa ſint inſtrumenta, quibus & tibi Deus ſtatum conſeruat, & te in ſtatu tibi tam conuenienti continet. Denique de conditionis tuæ incrementis ſollicitum eſſe neutiquam debere te, cùm exactiſſimè *in pondere & menſurâ* res tuæ ſtatui, & ſtatus rebus tuis fuerint appenſa, & verò etiam exæquata.

4. An aliquid vltra requiritur, inquies, quietus vt ſim? Planè. Quid quæſo? illud ſanè *primo* vt penitus tibi placeat, ea agere quæ à ſtatu tuo tum *communi*, tum etiam *peculiari*, iure exiguntur & merito expectantur. Deinde, vt non te terreant ea quæ ſtatum illum, ſiue *communem* ſiue *peculiarem*, neceſſariò conſequuntur. Magni ſanè ponderis ſunt hæc documenta, quæ toto quidem libri decurſu ſparſim attuli, iam verò clariùs ſunt exponenda; & oſtendendum quô pactô, ex iam ſæpius poſito fundamento, dilucidè conſequantur.

Cui placet ſtatus, non diſplicēt ſtatus operæ.

5. Mira ſanè res eſt, & verò etiam non toleranda; tam ſolliciti paſſim

Vnū enim ſine altero non poteſt ſubſiſtere.

passim quòd sint homines, vt alia semper atque alia opera exerceant, quàm quæ debent aut etiam possunt licitè: Deinde ijs se magnum Deo præstituros obsequium, gratissimamque rem facturos se quòd autument: ac propterea nisi his applicare sinantur animum, quòd se perturbent mirisque mentem excrucient modis: & tamen persuadere nihilominus mihi quòd velint, suo statu contentos esse se, nec aliud velle esse quàm quod sunt. Mira sanè est hæc duarum rerum, ita inter se dissidentium combinatio, velle esse quod es, & nolle agere id quod es. Quis faber ferrarius mihi imponet, nihil se malle esse quàm fabrum, quem totos dies obmurmurantem audio, querentemque iam de carbonum fuligine, quòd ea oculis officiat; iam de incudis sonoro nimium strepitu, quòd is offendat aures; iam de mallei pondere, quòd manus prægrauet: penicillos certè leuioris esse molis, acusque sartoris digitis esse percommodas: nullius ea operæ aut laboris esse instrumenta, præ omni illo limarum stridulo apparatu. Cur sanè mihi non datur, inquit, aut acum stringere, aut pictoris penicillo armare manus? & verò cur pelle carbonibus ipsis atriore pectus præcingor ego, cum sartores illos, illos molliculos leui zonulâ accinctos decursare video, quamque sub axillam quandoque conijciant, non sine lepore & commodo? quid, quòd puluino incumbant molli, cum ego penes focum sto, folleſque nec minus animam miserè traho, carbonibus vt dem vitam, quam mihi laborando subtraho?

At at amice, nonne id mihi dixeras fabri conditione contentum te? dixeram inquis. Itaque sanè acquiescere prorsus debes operæ quæ à fabro exigitur. Hanc verò vt exhibeas, certè necesse est vt placeant, quæ ad artem ex arte exercendam requiruntur instrumenta: nisi fortè Archimedes nouus sis, & ars tibi noua comperta recenter sit, quâ detur acu ferrum cudere, & malleo consarcire vestes. Hoc si non possis, certè aut fabrilem exercere desine, aut fabrilia manu necesse est vt pertractes instrumenta. 6.

Passim murmurãt homines de propriis status sui exercitijs; placẽt aliena.

Sic passim agimus: placet statûs, displicent status exercitia. Id autem quàm est ineptum, cum exercitia ipsa statui cuique ita sint propria, vt sine illis non sit status? Conquereris tu passim, nimiùm te munere quod geris distineri, opificinam liberorumque educandorum curam dies penè totos absumere: ijs vtero 7.

gestan-

gestandis lactandisque, magnam se vitæ valetudinisque partem impendere grauidæ cum sunt, deplorant matres, vix tempus superesse quod Deo & templo dent. Alios interim videre est, inquiunt, qui precatorios globos manu deterunt, libellos, sanctis orationibus refertos in templo, domi verò spiritualium rerum monumenta versant assiduè, vbi tota nobis in officina aut musæo transigitur ætas, nec quidquam nisi calamos, aut libram, aut vlnas, aut computuum volumina, aut iuris codices, aut inter se litigantium dissidia datur attingere aut pertractare.

8. Querelarum plena hîc sunt omnia, vt video. Homines hi, acum quærunt vt fabros agant, aut penicillum vt ferrum exerceant. Verùm id mihi dicite, vos qui tantopere conquerimini. Quis, inquam vos detinet? agite sanè, coronam precatoriam in manus sumite, per me quidem licet, eamque præ foribus ad tabernam officinamúe vestram considentes, religiosè peruoluite, & cum quis ad coëmendum merces mercator accesserit, illico *Aue Maria* cum Angelo intonate, eique dicite vt porrò expectet, donec coronam persolueritis. Rursus cum infantulus fame pressus vbera prensauerit, manu puerum excutite, ne animum horis legendis intentum interturbet. Tibi verò cum in publico senatu agenda erit pupilli causa, non à te elaboratas chartas, sed piissimum Thomæ à Kempis libellum sub axillâ defer, eiusque sententias in medium profer, vbi asserendæ sunt Pandectæ, & laudandus Codex. Hoc certè non erit tibi admodum difficile.

Exploditur hæc hominum importunitas.

9. Ridiculum id esse dices, & prope insanum. Fateor id ego tecum, verùm non insanum minùs conqueri, agere te non posse quæ alter agit: id enim penitus tibi inculcatum sit, nullâ prorsus ratione, aliena obsequia à te requiri, sed solùm tua; hoc est quæ status tuus fert, nec viri actiones à feminâ, nec profanas ab Ecclesiastico, nec iuueniles à sene, nec beneualentis ab ægro exigi. Quisque quod suum est, id agat sedulò, & Deo factum est satis. cùm orandum est, ora; cùm laborandum, operi insta; eleemosinæ cùm dandæ, liberali id fac animo; cùm procuranda familia, id age; cùm lactandi infantes, præbe vbera, denique ea age quæ tempus, quæ necessitas, quæ obedientia, quæ res fert, & tuas tunc partes sanctè expleueris.

10. Si Deo ea opera sufficiant placeantque, cur tibi displicent,

Sanèque à te exiguntur opera

placèt Deo, non tantopere aliena.

nec sufficiunt? At verò inquis, nescio ego an Deo placeant. Ego verò id penitus scio, & constanter affirmo: illudque sic conficio. Certum enim mihi est, hunc mihi à Deo statum assignatum esse, & verò etiam comparatum. Certus itaque sum, hæc, quæ status fert, opera à Deo requiri, sine quibus esse non possum, esse me quod voluit Deus. Neque minùs id mihi est credibile, quàm ex mente Dei esse, solem radios vndique diffundere, orbi vt præluceat, & ignem proxima quæque adurere: hoc enim eorum status fert & natura.

Imo ea debent placere Deo, & de iis tantùm rationem poterit exigeret.

Et vt rem hanc promoueam, aio Deum illis actionibus non tantùm acquiescere, sed & debere acquiescere. Quis enim pater filium suum fabrili addiscendæ arti addicit, & abeo malleis innutrito, egregiam sibi imaginem depingi sanus postulet? an non is fabrili operâ, quam præstat filius, meritò debet esse contentus? aliud enim si postulabas, cur aliò studia filij auertebas? In eo me statu Deus iam constituit, populo verba vt faciam, quo igitur iure expetet vt iam operi impendam manus? Laborare verò manibus te vult Deus, domui tuæ vt prospicias; infantibus vbera te vult porrigere; ægrotare verò te; his cùm interes, quid quæso requirere iure queat, ab eo quem suo impediuit ipsemet obsequio? Certè si vel ipso iudicij extremo die, aliud à vobis petat, aliud respondendum non est, quàm vestra vos opera exhibuisse, neque aliud exiget; quin imò *reddet vnicuique secundùm opera eius*. Animaduertite quæso diligenter: secundùm opera sua reddet vnicuique, non secundùm aliena. Aliena itaque ne curate, agant ea quibus id incumbit oneris. Vestra præstate, vestra exhibete, & reddet secundùm opera vestra. Et ille procul omni dubio gratiora Deo præstabit obsequia, gratior futurus & sanctior, non qui aliena bene, sed qui sua fecerit vel mediocriter: gratissimus verò qui hæc præstiterit quàm potest optimè. 11. Matt. 16.

§. II.

§. II.

Qui operibus sui status contentus est, debet etiam acquiescere molestiis, quæ in operibus illis exercendis reperiuntur: item illis, quæ ea opera consequuntur.

12. OPeribus igitur quæ status tuus exigit, exercendis tandem acquiescis? nec ad alia, tuis contentus, anhelas? Bene est. Illud ergo iam est consequens, vt de molestiâ quæ operibus statuique tuo intertexta est imo ingenita, posthâc ne conquerare. Certè sic faber, qui munere suo contentus viuit, pelliculæ quâ præcingitur, malleo quantiuis ponderis, carbonum fuligini, igniſque calori acquiescit, neque adeo sartori inuidet quem è regione puluino insidentem videt, acumque suam commodâ tractantem manu. nihil hîc de molestia conquerendum est: innatæ hæ sunt operi; & quidem quæque, suo. *Si opera status admittis, etiã admitte operũ molestias.*

13. Illud iam edixi sæpius, nullum statum esse qui sua non fert commoda & incommoda. parua sint an magna non disputo, sua tamen habet quiuis status; & quidem ita sua & propria, vt sine illis non sit status proprius. Quòd si humili loco sis, multorum indigus, ac propterea incommodè viuas; hoc ipsum scias humilem statum esse, hoc est esse tenuem. Præcelsior si tibi sit fortuna & dignitas, multique à tuo nutu pendeant, multi qui operâ tuâ indigeant; multos etiam esse scias sorti tuæ qui inuideant, multos qui te arrodant, multos qui clanculum quasi cuniculis te subuertant. numquam sine vmbrâ sol, nec dignitas præclara sine inuido. Quid ages? humeros contrahe, & dic quod res est: Hoc est magnum esse. Si publicum geris munus, nulla datur quies, semper clientum vocibus perstrepunt atria. Opulenta si sit familia, magnæ occurrunt de domesticis rebus curæ, plures intentantur de possessionibus lites, noctes trahuntur insomnes, & vbi mensæ assidetur opiparæ, ibi lecto indormitur inquietè & incommodè. Si nobili sis honestoque loco positus, domus illico vicus fit, omnibus peruia vt sit necesse est, salutantium & inuisentium clamoribus plena sunt conclauia. Quid verò his salutationibus vltrò citroque excipiendis, fingi potest molestius & importunius? *Nullus enim status sine molestiâ est.*

Et nullus eos euasit.

Fateor isthæc omnia: sed quid agas? si enim hæc statui non annexa modò sunt, verùm etiam ingenita; quid tu te, his vt te eripias, nequidquam torques? Ita quidem mecum ego rationem ineo. Magnus sum & in dignitate constitutus: bene est. an ergo solus ego inuidorum dentes volo euadere, quod meæ conditionis hactenus datum est nemini, ne Christo quidem? Publicis admotus sum muneribus: an ego meum sine vlla molestiâ, sine iurgio, sine vllius indignatione, omnium cum applausu volo exequi, quod nemini mortalium in hunc diem contigit, & rursus ne Christo quidem? Spiritualem religiosamúe vitam si instituo; an ego solus tentationum anxietatumque expers esse desidero, quæ felicitas nondum vlli obtigit, & quod mirum maximè ne Christo quidem? Matrimonio si adstrictus sum; quid frustra miraculum illud mihi spondeam, vt incommoda, ex quibus hic status totus quantus est componitur, credam solum me præomnibus, quotquot sunt fueruntque, mortalibus euasurum? 14.

Aut statũ igitur deserere, aut molestias status admittere.

Certè ista tibi si non placeant, statum quem habes depone; de statu murmura, hæc qui secum fert incommoda, non verò de incommodis. si verò statum tibi tuum, prout reipsâ est, conuenientissimum esse iudicas; patere hæc incommoda quæ status tuus fert. Ineptum est potare velle vinum conditum absynthio, illudque iudicare valetudini tuæ conducere, nolle autem vt amarus sit potus; ora contrahere cum bibitur, & de medico conqueri acerba quòd sit potio. Sanè aut poculum manu depone, aut si bibere vis absynthium, amarum pota. Et tu quisquis es, si quæ acida, si quæ amara occurrerint in statu tuo, scias illa statum tuum componere, illique ita indita, vt sine illis esse non possit. itaque iis acquiesce, aut statum muta. 15.

Tandè etiam incõmodis quæ molestias illas consequuntur, contentus sis.

Tertiò denique, cùm non operibus tantùm status tui, sed & iis quæ in opere exercendo reperiuntur molestiis, difficultatibusque acquieuisti; tum verò necesse est tandem vt iis etiam contentus sis, quæ difficultates illas molestiasque vulgo & ex rei naturâ consequuntur. Quæ demum ea sunt inquies? Dicam. si cursum naturæ spectes, & illa virtute magnâ non superetur; naturaliter id fit, vt molestias difficultatesque, quasi naturæ iure, mœrores animi consequantur: melancholiâ inquam plenę cogitationes, lachrymæ, suspiria, somni perui giles & graues, languores animi, corporis defectiones, morbi præacuti, & pallida demum 16.

mors.

mors. Hæc sanè satis video euadere omnia, nos non posse. naturæ nostræ è iudicis Dei sententiâ, innata sunt hæc duo, *labor* & quod peius est *dolor*. Certè non nego, cùm quis bonorum iacturam fecit, aut res omnes præter opinionem pessimè ceciderunt, cùm insignis impacta est iniuria, cùm res publicæ pereunt aut priuatæ, cùm maritus aut amicus morte abripitur, aliaque cùm eueniunt incommoda, naturam id persentiscere, fletus cieri, excitari suspiria, neque quidquam per id tempus admittere quod delectet. Illud etiam satis mihi perspectum est, ita nobis conformatum esse corpus, vt pluribus morbis sit expositum; quos quidem, dolores vehementissimi sæpe, numquam non mœrores animi, corporis languores, dissolutiones membrorum, cordis anxietates, fastidia, mors denique ipsa consequantur.

17. Verùm inquies, hæc si sciebas tam probè, conditionique nostræ dolor. & mentis mœror insertus si sit, cur ab ipso Tractatuum horum initio, lætitiæ addiscendæ factus es præco? ecquid promittis, præstari omnino quod non potest? Audi; nec altercemur, hærentes vti aiunt in æquiuoco. Gaudium promisi, non risum. *nisi tu fortè iudicas*, vti bene Seneca, *illum gaudere qui ridet.* mentis animique lætitiam sum pollicitus, non corporis impetiginem, tu iucunditatem voca. Quî enim sanus exigam, vt flendo rideas & inter lachrymas dissoluaris in cachinnos? stultum est docere velle, quod contra naturam sit status, cui tamen allaborare summa est perfectio. Gaudium hoc quod diuinus Paulus imperat, gaudium sine risu est, quodque amarissimis etiam lachrymis optimè commisceetur. gaudium est quod non in corporis dissolutione consistit, sed in quiete mentis. Hanc autem quo pacto medios etiam inter mœrores habere possimus, operæ pretium iam erit explicare: hæc enim summa rei est.

en.ep.23

§. III.

Traditur modus quo excipiendæ sunt molestiæ & dolores, vt in iis constitutus, iis tamen acquiescas, hoc est, vt in dolore gaudeas.

18. NEque verò longè petenda nunc est ea quam promisi gaudendi ars; ex iis quæ dicta sunt, si paululùm iis immoremur, emerget

Contentus eris si attendas, mole-

stiam illâ praciſè eo tẽpore ſtatui tuo cõpetere.

emerget illico. Totum medias inter moleſtias agitationeſque rerum, tranquillandi animi artificium eſt, dolores rectè excipere. Hoc ergo nunc agamus quo demum excipiendi ſint modo: ne, mentem perturbent, mentem tamen dum afficiunt. ad manum praxis eſt. Illud itaque cùm mœror ex quâcumque demum causâ ingruet, ſemper ob oculos habe, ſtatum tuum, quem tamen tibi conuenientiſſimum iudicas, hiſce aliiſque doloribus eſſe expoſitum: ab eoque nunc, id eſt, hoc temporis momento exigi, vt in mœrore ſit animus, quia nempe hoc ſtatum tuum decet modò, conducitque rebus tuis.

Id vero iudicabis ji eas à Deo tibi tum immitti iudicaris.

Conducere autem dolores tibi, tum cùm dolendi rationes ſeſe offerunt, id quidem manifeſtum, ſæpiuſque iam eſt demonſtratum. Repetamus ſummatim aliqua. Imprimis id certus ſum, omnia à Deo, aut immitti aut permitti; permiſſa autem ritè dirigi. Deinde id liquidò agnoſco, non niſi ſummo conſilio, Deique ſingula deſignantis induſtriâ, me in hôc quo hâc horâ ſum, ſtatu collocari. Iudicauit itaque Diuina illa Mens, lætos vultus, ſanguinemque ad hilaritatem compoſitum, ſaluti meæ minimè hâc horâ conuenire; & ne fortè in peccata abripiar, melancholiam, corporis intemperiem, præ gratâ humorum temperie magis conducere. Illud etiam rectè expendit, quanta & quàm diuturna eſſe debuerit ea animi mœſtitia, corporiſque agitatio; ne ſi nimia ſit, noceat; ſin nimis remiſſa, non proſit. Vidit denique qui caſus, qui euentus, quæ ſors, quæ oppoſitio, quæ iactura, eam quæ mihi neceſſaria viſa eſt, triſtitiam eſſent inductura: eaque demum ita digeſſit & attemperauit, vt hunc planè dolorem, ſiue corporis, ſiue animi, ſiue etiam vtriuſque incuterent, hâc horâ hôc momentô, hô: pondere, hâc menſurâ: omnia prout eueniunt modò. An non hâc armatus cogitatione, omnes fortunæ naturæque ictus excipiam conſtanter, imperterritè, & tranquillè? An non in manu eſt, doloribus quod opponam? 19.

Dolendum eſt cum doloris cauſa ingruit.

Vis itaque, dices, vt lætus ſim etiam tum cùm doleo? Volo planè, neque hoc tantùm, ſed volo quin imò vt gaudeas, etiam quia doles. nolo tamen vt ne doleas, tum cum dolendum eſt. Aduertite ſi placet mentem, & exempli gratiâ, ſtatuamus coniugis iacturam feciſſe te, opes amiſſas, aut alijs animi agitationibus vexationibuſque validè premi. Certè non ſum tam ſaxeus, vt velim doloris ſenſu te non tangi; magis autem abſit, vt velim 20.

ridere

ridere te, gaudijque signa intempestiua edere: quin imò vt fleas volo, vt cor tibi occludatur desidero, vt in suspiria gemitusque vox abeat permitto, denique dolere te, cum sanè dolendi præ oculis tanta sit ratio. Verùm animus tibi ne turbetur, adhibenda est cautio. Animus autem *iudicio* constat præcipuè & *voluntate*: hæc sibi constent, tranquilla est mens. Constabit verò sibi *iudicium*, si verè ita statuis & iudicas, hoc momento dolere debuisse te, Deumque omnia quæ tibi lachrymas excutiunt euenta, huic dolori, hoc tempore, quia sic conueniebat, habendo attemperasse. *Sed iudica dolere debuisse te, tum cum doles.*

21. Tum verò constabit sibi inuariata, ideòque medios inter angores quieta *voluntas*, si iudicio sic efformato, in Deum euolet illico, illudque trepido licet vultu, dicat intrepida: *Non sicut ego volo* Pater sancte, *sed sicut tu vis*: Dolores hosce vis sustinere me? approbo sanè, idem tecum volo, volamque quamdiu vis. Rursus, dolores hos perferre, iudicasti mihi maximè conuenire? vultu deiecto incedere, animo angi, voce suspirare voluisti me? has mihi in scenâ imposuisti partes? ita sit, ita factum volo. Ego id agam, vt dolentis partes ingeniosè sanè repræsentem. partes meæ nunc sunt vt lachrymer, lachrymabor sed ingeniosè: hoc est, non obmurmurando auctori totius tragœdiæ Deo, tam tristem mihi partem quòd imposuerit, non dentibus infremendo & indignabundus animo, non etiam quasi desperans de salute posthac futurâ: mente emotorum sibique non constantium, sunt istæ actiones gestusque corporis, neque satis attendentium quas lachrymas modo requirat, & quas dolendi partes Deus imposuerit. Lachrymabor itaque, sed placidè; idque quia partes quas nunc ago, lachrymas nunc expetunt; expetunt autem, quia Auctoris summi iudicio, nihil nunc agere poteram præstantius, & quod toti vitæ meæ fabulæ exornandæ aptiùs conueniret. *Et volens dole, tunc gaudebis quod doleas.*

22. Quid? an non in scenâ comœdus, & in orchestrâ tragicus, in lachrymas eiulatusque sæpiùs dissoluuntur amarissimos, cum id personæ ratio exigit & fabulæ conditio? Et rursus, nonne tunc cùm lachrymantur, in sinu gaudent quàm qui maximè, eas affectiones animi tam exactè suo tempore quòd patiantur, exhibeantque tam ingenuè? Possumus ergo vt videtis, & verè dolore affici, & gaudere nos sic affici. Artificiæ sunt, inquies, tragœdorum *Ostenditur exèplo comœdi, posse aliquem gaudere quod doleat.*

gœdorum lachrymæ, ficta ſuſpiria. Certè ſi falſas eſſe arbitraris quas fundunt lachrymas, erras planè; veræ ſunt, & reipsâ verè corpus imò & animum actoris afficiunt. quo! ſi fictas, id eſt, effictas & efformatas exiſtimas, exiſtimo & ego tecum. At quomodo effinxit? certè non aliter, quàm viuâ imaginatione impendentis ſibi, aut iam inflicti in ſcenâ mali. Repręſentat ſibi malum propter quod dolere debeat, & ſtatim dolet. Cur verò id ſibi repræſentet ſi interrogas, certè non habeo quod reſpondeam, niſi quòd ita tulerit fabulæ quæ agebatur curſus, & auctoris fabulam componentis diſpoſitio. Flet igitur quia flere tunc debuit; & ingeniosè opportunèque quòd lachrymetur, gaudet animo.

Cum doles, ſc. as tibi dolẽtis partem eo tẽpore à te agendam, à Deo tradi.

Quid igitur miſerum me eſſe exclamo? quîd me contorqueo? quîd reluctor ſi quid dolendum occurrerit? Fabulam profectò agimus, quotquot vitam agimus. Dolendum eſt non rarò, ita fert vitæ noſtræ fabula; excitandæ ſunt lachrymæ, ita diſpoſuit auctor fabulæ Deus. Hoc autem inter comœdi lachrymas, meaſque intereſt; quod eas vt exprimat, malum quod nuſquam eſt ſibi imaginatione repræſentet ille, mihi verò ab auctore Deo malum reipsâ infligatur, vt illud viuacius mihi repræſentem, & repræſentatione lachrymæ tandem excitentur. Vtrobique veræ ſunt lachrymæ, veruſque dolor; vtrobique doloris cauſa, ſed aliter tantùm atque aliter menti propoſita; vtrobique mens auctoris exigentis lachrymas. Quin igitur gaudeo lachrymari me, cùm ſic oportet; & partes meas bene agere, quas Deo ſic volente, agendas lubens ſuſcepi? 23.

Expẽditur illa veritas, & applicatur particularibus euẽtibus.

At verò, vnde id dignoſcam inquies, an me dolere velit Deus? Actam rem agimus cùm ſæpius dicendum eſt idem. Hoc certè manifeſtum eſt velle Deum, cùm ipſo ſic omnia dirigente, ſcenamque componente, ijs me cinctum video circumſtantijs, quæ mœſtitiam ſecum ferunt. tum certè flendum eſt mihi, cùm id mea ſors (tu *Partem* in tragœdiâ voces) expoſtulat, quam agendam ſuſcepi non inuitus, Deuſque mihi agendam præmeditatè impoſuit. An non à Deo eſt, quòd homo ſum? an non partes humanas, non verò Angelicas mihi agendas tradidit Deus, eaſque acceptaui? igitur omnia mihi ſuſtinenda ſunt, humana quæ fert ſors; labor inquam, defatigatio, morbi, mors: Humana hæc ſunt. Præterea non hominis tantùm generatim partes accepi: 24.

cepi; sed huius personæ quam nunc gero, hoc tempore, his membris conuestitæ, in hoc statu constitutæ quem præfero. Rursus ergo omnes, quæ conditioni meæ innexæ sunt, molestias suscepi exsorbendas, hunc hominem agere cùm suscepi. Denique cùm solus totam fabulam peragere non possim, & in scenam tamen huius mundi cùm prodierim, alijs collegis socijsque adiungi me sum passus, qui suas quoque partes & mecum & circa me, ex auctoris mente destinationeque peragerent. itaque & ea omnia sustinenda suscepi, quæ mihi ab ijs siue amicis, siue inimicis, siue parentibus siue filijs, siue prælatis, siue subditis, siue notis siue ignotis, siue malis siue bonis, siue per fas & merito siue immeritò & per omne nefas euenirent. Semper enim meæ partes sunt, alienam sustinere & pati, vt meas rectè agam.

Hæc cum ita sint, tunc sic mecum ago. Amicus iste quocum ago, hæc coniux, hi liberi, hi denique quicumque sint homines, qui mecum in scenam prodeunt acturi vitæ fabulam; homines certè sunt non Angeli, multis sanè vicissitudinibus, fastidijs, vitijsque sunt expositi & implexi, quibus mihi sine dubio non semel officient, doloriſque non iniusti causam dabunt. Rursus amicissimi vt sint, mortales tamen sunt, morbis mortique obnoxij. Quid igitur miror aut etiam indignor, eos morte mihi eripi? an ergo immortales arbitrabar ego amicos meos, aut Angelo existimabas nupsisse te? Sciebam inquis mortalem esse, at verò nesciebam hoc præsertim tempore, mortalitatis soluenda iura, mihique subtrahendum tam citò. Ain verò? nesciebas tu; sciebat id verò Deus, sciebat inquam & partes suas coniugem peregisse, & dolere modò debere te: vtrumque quia conueniebat & rebus tuis, totique fabulæ. Quin igitur ingeniosè partem tuam agis, & fles placidè, cùm id agas quod tibi agendum est, opportunè & benè? Verùm inclamas, sensu doloris ob iacturam iam factam vehementer opprimi tibi animum, præstringi fauces, palpitare cor. Scio isthæc omnia; sed & hoc scias velim, sensum illum doloremque habere modò debuisse te. rationes si ignoro, id scio ita ab auctore Deo fuisse constitutum, & hoc sufficit. Denique fit, vt tu ipse in morbos incidas acutissimos: an idcirco mente perturbaberis? quasi verò nescires eâ lege hominem esse te, mortalis vt sis vitamque morte vt terminis? id si compertum tibi est, quid ægrè fers de scenâ discedendum

dum esse, partes tuæ peractæ cum iam sint, neque te quidquam præterea agere velit totius fabulæ auctor Deus? verùm hoc sequenti Tractatu prosequendum est latiùs.

Explicatur praxis gaudendi quod doleas.

Illud itaque ingruente quocumque demum doloris sensu & materiâ, vniuersim agite Auditores. Primò quidem iudicate dolendi materiam, quæ sensum affligeret, superuenire vobis debuisse, idcirco quod sors vestra seu pars id ita ferret, clarissimèque dolorem illum in eâ fuisse expressum. Deinde voluntas illico assurgat, sorremque liberè arripiat, dicatque; Placet id modò agere, modò quod postulor. Heri hilarem peregi partem; sentio nunc mutari mihi sanguinem; rationem non examino, mutatur tamen: siue id bonorum iactura, seu inflicta iniuria, siue tetrica senectus, seu morbus ingruens, siue amicorum mors, aliusúe casus afferat, parum interest. interim angi me persentisco, collidi viscera, oculos in lachrymas ire. Benè est; mutata sors est, aliæ agendæ sunt partes, ita fert vitæ scena, quæ ab hesternâ nunc est alia. itaque pro viribus agam vt benè doleam, vt benè lachrymer, vt benè ægrum agam, vti Christianum Deique cultorem decet. *Non contristemini*, inquit Paulus tantus gaudij encomiastes, *sicut cæteri qui spem non habent.* Tristitiam non excludit à Christiano pectore, aliter tamen tristem esse vult præ cæteris qui spem non habent, penitusque ignorant, in quam spem lachrymæ benè expressæ reseruentur. Bene autem exprimuntur, ingeniosèque aguntur dolentis partes, cum corpore prorsus commoto, & doloribus sensuque acri dissoluto, superior voluntas sibi constat, neque quidquam Numini obmurmurat, neque minus reuerentiæ, amorisque Deo præstat; certa, ne minimum quidem crimen committere, leniendo aut etiam euadendo dolori suo. Ingeniosius verò longè agam partes meas, si Deo calculum adiecero, si factum approbauero, si denique Deum ipsum adiurauero, in eandem me ire sententiam, ita fieri debuisse, ita factum optimè, neque me quidquam immutatum velle in re quam sanctissima tam sapientis Numinis voluntas tulit. 26.

1. ad Thess. 4.

Hoc denique est gaudere animo, cùm doles corpore. hoc est gaudere, quòd doleas: hoc tandem est immotum esse, quando mouentur omnia.

§. IV.

§. IV.

Ostenditur propositâ praxi, dolores ipsos vehementer subleuari, commodeque ferri.

27. ET verò, scire vultis, quid ea mentis tranquillitas, voluntatisque ad ferendum promptitudo allatura sit commodi? certè præterquàm quòd actus heroicus sit quàm qui maximè, ea voluntatis suæ in Deum facta resignatio, maximique prorsus meriti in rebus asperis Numini acquiescere: illud sanè præterea referetis commodi, quòd & ipse quàm plurimùm leniendus sit corporis dolor, & leuior futurus toleratu: nam vt rectè Poëta *& leue fit quod bene fertur onus.* Illud enim animaduerto, in omni corporis sensu, dolorem non tantùm existere ex eo quod extrinsecè carnem, appetitumque inferiorem animæ, afficit malo; sed & pœnam non modicè augeri, ex ipso resistendi conatu, qui à voluntate intrinsecùs adhibetur. *Praxis hæc doloris sensum multum leuabit.*

28. Certè quod si quis inuitus verberibus excipitur, non ægriùs tantùm id feret, sed & maiorem persentiscet in membris affectis cruciatum, quàm si funiculis bene intortis, toto se tergore pro suâ voluntate flagellet, carnemque contundat insigniter. Experientia manifesta est, nec ratio admodum obscura. Præterquam enim quod ictus inuito qui infligitur, suum afferat corpori contusione dolorem & sensum naturæ asperum, etiam voluntatis conatus, malumque auertentis renisus, magnam quoque in corpus ipsum vim infert. & membrorum, cerebri imprimis, intestinorumque compressionem. corporis autem compressio, dolor corporis est. Sanè longè acrius gustum afficit amara potio quam inuito ingeris, præ eâ, licet amarior sit, quæ voluntate tamen imperante, è iudicio medici præscribentis sumitur; quamque malo tuo necessariam quòd iudicas, volens potas. Hic enim solus gustus amarori se opponit, & vnica tantum affligitur animæ potentia, quæ quidem in palato est, cuique per potionem malè est. At verò inuitus præterea cùm est animus, etiam voluntati sua infertur vis. quam cùm auertere pro viribus conatur, clarum iam est duas concurrere auersiones. Natura verò *Exponitur duplex in corpore pœna, quæ ex duplici causâ oritur.*

ſuum effectum obtinere cùm non poſſit, neceſſariò duplex iſthic dolor eſt; carnis vnus, quem pœnam voca; mentis alter, qui propriè eſt dolor. Habet hoc autem omnis dolor animi, vt carnem quoque cui immoratur, ſemper pœnâ afficiat. duplex igitur in eo qui inuitus patitur, eſt pœna; prima quam extrinſecùs malum adfert; quam vero mentis malè corpus afficientis dolor ingenerat, ſecunda; eaque haud paulò eſt primâ difficilior.

Vnâ ſemper tollet hæc praxis.

Id ergo non in hôc quem propoſui ſolùm, ſed in omni qui 29.
corpus affligit dolore comperies; quòd ſi libero lubentique animo à ſuperiori voluntate, cuius liberum eſt arbitrium, à Deo acceptetur, illico ſenties magnam tibi doloris partem abſtergi & minui. illam enim tantummodo pœnam perſentiſces, quam tibi extrinſecùs immiſſum malum, malaque ſanguinis infligit conſtitutio; ab illâ tamen futurus liber, quam corpori ſuo immiſſurum erat, voluntatis inuitæ renitentiſque luctamen. Adde quod voluntas prompta, & ad heroicum obfirmata facinus (heroicum autem eſt pati fortia) ſpiritus etiam corpori ingentes ſuggerat & ſufficiat, quibus dolori perferendo caro fiat par, imo & ſuperior.

Imo ſæpè vtramque.

Quid, quòd & tanta poſſit eſſe hæc voluntatis confirmatio, 30.
eumque Diuinâ conformatio tam præclara, gaudium verò exinde tantum, eo quòd ſe videat mortalis homo Diuinæ fieri Prouidentiæ inſtrumentum, ſanctiſſimamque in ſe compleri Numinis voluntatem; vt non modica lætitiæ tam iuſtæ pars, ex animâ in corpus ipſum redundet, non ſine deliciis etiam liquidiſſimis? Quid, quòd ea mentis tranquillitas, doloris ſenſum aut emolliat, aut etiam penitus auferat ſæpè numero? Certè nemo id mirabitur; cùm non rarò videamus etiam in chariſſimorum parentum obitu, hæreditatis adeundæ præconceptam ſpem, dolorem à naturâ aut infligendum auertiſſe, aut emolliiſſe iam inflictum. Fluunt ad cadaueris conſpectum lachrymæ, & ad hæreditatis memoriam ridet animus. Fletur quia ſic moris eſt, & quia pudori ſit non flere, vbi tam iuſta eſt recenſque flendi materia: interim quia mortem vt ſibi proficuam approbat, ſuauiter fluunt lachrymæ, patiturque dolorem ſanè percommodè. Id verò ſi poſſit hæreditate peritura confirmatus animus, tantumque in corpus habeat imperium modica illa ſpes, & ex ſpe nata lætitia; quid quæſo non poterit diuino Numine plena mens, obfirmata-

que

que Dei, quæ in se peragitur, sanctissimâ voluntate? Risum sanè & cachinnos eam cogitationem, in dissectis vstulatisque corporibus, media inter Tyrannorum tormenta excitasse, dudum nouimus. Sed rara hæc sunt, & nonnisi ingentis virtutis præmia. Quod si verò ea mentis cum Diuinâ conformatio, dolori tuo tantam vicissitudinem non faciat, vt penitus eum abstergat; illud certè experieris liquidò, non exorbitaturum mœrorem tuum: quippe qui afflicturus sit in pondere & mensurâ: eosque tantum excitaturum motus, qui facilè ad æqualitatem tranquillitatemque pristinam reducantur.

§. V.

Declaratur quo pacto, tuo statu contentus licet sis, possis nihilominus incommoda tui status auertere, imo & statum ipsum quandoque cum feliciori permutare.

31. TAndem exponenda est quædam difficultas, & in speciem non leuis, quam credo iam sæpius mentibus vestris obuolutam. Id enim ita cum sit, omnibus nempe quæ in me, & circa me aguntur, etiam ijs qui naturam ipsam atterunt & fortunam labefactant doloribus, aut malis acquiescere debere me: illud illico in mentem venit, curam omnem me debere deponere, neque aduersa euitanda, neque verò procuranda quæ prosint. Voluntati enim Diuinæ standum est, eique totum me debeo committere, tranquillus vt sim. Itaque si æger sum, medicinæ reijciendæ sunt mihi, ne si eas morbo adhibeam, præter voluntatem Dei valeam, ægrum esse me qui voluit. Minùs longè filiorum, aut parentum, aut coniugis ægritudini mederi possum, cùm non nisi ex Dei mente valeant malè; adeoque neque meis, neque alienis malis subsidium ferre potero, cùm nemo nisi ex Dei destinatione pauper sit, nemo miser. Quid si ergo domum flamma corripiat, an aquam restinguendis ignibus afferri patiar, quos scio, non nisi volente Numine, absumere ea quæ contingunt & corripiunt? Inuolent ergo, vt publica tangamus, in Prouinciam infesti hostes, cuncta deuastent, & ruinam patriæ moliantur; certè complicatis manibus conspiciendum id est, nec arma

Exponitur difficultas

ſtringenda, ne Dei voluntati, cuius hæc omnia geruntur arbitrio, maleferiati nos opponamus. Rurſus nec opes parandæ ſunt mihi, nec domeſtica promouenda res, nec dignitates procurandæ, nec verò etiam vllum facinus heroicum audendum eſt, nec quidquam agendum virtutem quod commendet aut litteras; ne per hæc è ſtatu, quo contenti eſſe debemus, ad altiorem euecti, aliud ſimus, quàm quod nos Deus eſſe vult. Quin imò, nec ſcelera poterimus auertere, nec criminibus modum ponere, nec æternæ damnationi quemquam eripere, nemo enim niſi Dei voluntate inferni ignibus addicitur: tam ſanctæ verò voluntati obſiſtere, nefas ſit.

Duplex in Deo volendi modus ſeu voluntas.

Multa hîc congeruntur, quæ facilè tamen erit componere, ſi duas, vt ita dicam, voluntatis ſpecies, ex Sanctorum Patrum Theologorumque omnium mente, in Deo eſſe attentè conſideremus. *Abſolutam* & *antecedentem*, primam vocant; *conditionatam* & *ſubſequentem* alteram indigitant; & rectè, vt quæ conditionem poſitam ſubſequitur. Prima voluntas à ſe ſola eſt, nullamque rationem habet cur ſit, niſi ſeipſam. Hâc vult Deus quæcumque vult, tantùm quia vult, liberumque ei eſt velle. Hâc voluntate voluit hunc mundum eſſe, hunc ſolem, hanc lunam, hos cælorum orbes, hunc ignis calorem, hoc aquæ frigus, & quidquid fert natura neceſſariò: rurſus hominem mortalem eſſe, peccatores ignibus addici, in ſtatu gratiæ decedentes æternis, & quæ ſupra naturam ſint, præmijs condecorari. Antecedentis ea, & abſolutæ in Deo voluntatis ſunt decreta: nihil enim quod Deum ad tam ingentia condendum placita permoueret, anteceſſit. Voluit hæc quia voluit; & quia voluit, idcirco ſunt. Huic voluntati ſeſe opponere, aut impium eſt, aut certè temerarium. Impium eſt, nolle Deum decreuiſſe, exempli gratiâ, pijs æternam gloriam præſtare, impijs æternas pœnas: ignem verò manui applicare, & nolle vt adurat, eſt prorſus temerarium. Hâc itaque voluntate Deus vult quidquid in rerum naturâ eſt, & abipsâ naturâ rerum dependet, aut fit.

Prima antecedens.

Huic nũquã poteſt reſiſti.

Altera ſubſequens.

Altera voluntas Dei conditionata eſt, & à libero Angelorum, Hominumúe pendet arbitrio. rectèque *ſubſequens* dicitur, eo quòd libertatem hominis ſubſequatur; nec quidquam vult, niſi poſtquam liberi arbitrij actus, Voluntati Diuinæ modum motumque poſuit. Hinc licet voluntate antecedente decreuerit Deus,

32.

33.

Deus, sceleribus immortuos æternis flammis addicere, Iudam tamen damnare noluit, antequam tam infaustâ morte perituram cognosceret: mors autem tam infelix, ex Iudæ peruicacis libero pendebat arbitrio. Ab hôc igitur Dei damnantis voluntas stetit: Iudæque voluntatem impiam, consecuta cum sit eum damnandi in Deo voluntas, rectè dicitur ignibus æternis addictus impius, voluntate Dei *subsequente* & *conditionatâ*, non verò *antecedente* & *absolutâ*. Sic sanè voluntate absolutâ ignem vrere vult Deus; tuam autem manum vstulari non vult, nisi aut tu tuo, aut alius pro suo arbitrio, eam ignibus applicuerit.

34. Ne itaque id dixeris, vllius damnationem velle Deum, adeoque sceleribus obsistere te non posse, ne voluntati Diuinæ obsistas. Non enim id vult, nisi voluntate subsequente scelera, & quam scelera ipsa quasi per vim Deo extorserunt; mauult enim Deus ea nolle. Certè mauult non esse crimina, per quæ solummodo fit, vt damnationem scelerati velit. Sic sanè & iudicem videmus nolle cuiquam pœnas infligere, nisi postquam reorum facinora puniendi voluntatem expresserunt.

35. Huic ergo subsequenti & conditionatæ voluntati non *possumus* tantùm sed & *debemus* sæpissimè nos opponere. *Debemus*, quoties ipsa conditio, quæ talem in Deo voluntatem induceret, absurda est aut turpis, aut etiam multò magis si scelerata, quòd quidem nimis est manifestum. Teneor enim cauere scelera, vt Dei mea scelera puniturí, subsecuturam voluntatem impediam, vt ne sit. *Possumus* autem eidem obsistere, quàm diu pendet conditio subsecuturæ voluntatis Diuinæ, neque nobis adhuc constat Deum id prorsus velle. *Huic sæpe debemus resistere, possumus verò semper quamdiu pendet conditio.*

36. Neque enim si rectè attenditis *subsequens* illa Dei voluntas, legem vllam homini imponit aut imperium. Quamuis enim Dei voluntas absoluta sit, vt ignis naturæ suæ relictus, proxima quæque adurat: & rursus, quamuis voluntate liberum tuum subsequente arbitrium, manum tuam amburi velit, eam flammis si ingesseris; an tamen, manum flammis te ingerere, dices esse ex mente Dei? minimè quidem. Rursus, certum id est Deum velle mori te, si cibum nullum alendo corpori vis sumere; neque si æger es, curando medicinam. An ideo cibos omnes potes reijcere, medicinasque aspernari; & causari interea, Dei voluntatem esse mori te? Sine dubio pauperem egenumque te vult esse Deus, *Probatur inductione.*

Deus, rebus tuis si non attendis, si deses sis, si lucro honestè non attendis, si operi non instes, si omni rei domesticæ curâ abiectâ, res tuas abligurias. an verò voluntas illa desidem te vult, aut vllam pigritiæ necessitatem imponit, aut res abliguriendi dat imperium? Quin imò contra, alia omnia voluntate absolutâ cupit Deus, imò & imperat. vult certè conseruari vitam, procurari filios & rem domesticam; peculij curam geri, eique conseruando per bonas artes allaborari.

Pendet autem conditio, quamdiu res non est peracta aut desperata.

At inquies, tandem erit aliquando voluntas Dei vt moriar, 37.
mortalis cum sim. Fateor; atque huic voluntati obsistere minimè possum, absoluta cum sit; neque possum nolle mortalis esse, aut nolle vmquam mori; sic est. Verùm cum re ipsâ mori me nolit Deus, nisi multæ conditiones præcesserint, quæ quidem aut à malitiâ hominum iniustè me inuadentium, aut à negligentiâ imperitiâue medentium, aut à meâ incuriâ, aut etiam intemperie, alijsque aëris, aut loci, aut temporis, aut ciborum circumstantijs dependent; certè eas quantùm possum, euitare, maloque debeo medelam facere, ne mori me velit, voluntate circumstantias has subsequente, Deus. Nam de voluntate eius absolutâ in me complendâ, minimè adhuc constat: conditionatam verò, licitum est, imò debeo sæpè interuertere. Tam diu verò conditionata est mihi, quamdiu res pendet, quamdiu malum auerti potest, quamdiu sese aperit non absurda euadendi spes, aut quamdiu rei quam modestè expetimus, non est desperata consecutio.

Hinc sanè liquidò consequitur, quamdiu vita superstes est, 38.
Dei voluntatem esse eam vt conserues, eaque adhibeas vitæ sustentandæ adminicula, quæ recta ratio naturaque ipsa, adhibenda docuerit. Quamdiu domus ardet; voluntas Dei est, vt igni extinguendo aquam congeras. Quamdiu causa in foro agitur; vult Deus vt vndique patronos conquiras, iusque tuum vt propugnes. Quamdiu opes suppetunt; honestè & lautè familiam vt alas, mens Dei est. Quamdiu arma, viresque Reipublicæ ad manum sunt; arma stringi, & pro aris focisque decertari, prorsus est ex Dei voluntate. At verò cùm perdita est patria, cùm defluxerunt opes, cùm lis euicta est, cū domus deflagrauit, cùm morbo membra prostrata, tum vero voluntate absolutâ Deus vult rem sic esse, prout est.

Hoc

39. Hoc est, inquies, quod dicebam modò, igitur tum sanè cùm ægritudo corpus occupat, medicinam malo adhibere est nefas: etenim tum saltem voluntate absolutâ ægrum me vult esse Deus, cùm æger sum. Neque rursus si egenus sum aut plebeius, diuitias, aut dignitates consequi liceat, imo ne oblatas quidem admittere: egenum namque & plebeium esse me vult Deus, egenus plebeiusque cùm sum. Capio quod opponis; verùm necdum tu me capis. Fateor igitur, hodie si lecto affigor, febribusque vrgentibus toto corpore contremiscam, eam esse mentem Dei, vt hodie sic langueam: ei igitur acquiesco, ægri partes modò agam, quia modò id vult Deus. At quid scio an etiam velit Deus die crastino ægrotare me? fortè vult, forte etiam non vult, multùm hic iuris habent conditiones, quas aut ponere aut non ponere, in libero est hominis arbitrio constitutum. Si namque medicamenta morbo leuando apta adhibuero, voluntas Dei subsequens erit, meliusculè vt habeam cras. Sic licet pauperem te hodie velit Deus, nec vllâ dignitate ornatum, id certè ignoras qualem te post annum volet: id enim rursus à plurimis circumstantiis dependet, quarum multæ in manu tuâ sunt. *Quærat, ne quis possit adhibere medicinam, & tamen cõtentus esse quod sit æger.*

40. Id itaque sufficit, vt in quocumque demum dolore, aut miseriis constitutus, absolutæ Dei voluntati acquiescam, approbemque hodie talem me esse quod voluerit: curam tamen omnem adhiberi patitur, vt difficultatem illam imposterum euadam. Contendam itaque neruos omnes; sic tamen vt crastino die conquesturus non sim, si peractis omnibus, cras morbum illum aut molestiam non discussero; tum enim mentem Dei esse sciam, vt ægrotem etiam cras. Non tamen adhuc animos despondebo: cùm enim nihil mihi constet de perendino, rursus cras morbo in perendinum diem discutiendo medicinas conquiram; sic alter ibit & alter dies, imo & menses & anni: acquiescam semper molestiæ præsenti, quam patior; futuræ verò depellendæ quæram adminicula, idque quousque res peracta non est, aut conclamata. Conclamata verò cùm res fuerit, conclamatam esse facilè patiar, & mei securus acquiescam Deo. *Explicatur clarius.*

41. Atque ex dictis manifestum iam fit, quo pacto meo statu, etiam quem mihi proprium fecit Deus, contentus esse possim, & ea agere quæ ad maiores mihi opes, dignitatesque comparandas gradum faciant, & verò etiam extollant. An non id est statui *Applicatur aliis hominũ negotiis hæc doctrina.*

ſuo non acquieſcere? minimè verò. Neque enim is re ſuâ quamuis tenui, & modeſtâ contentus non eſt, ad quem nihil tale meditantem aut opinantem, lauta ex inſperato, amici beneuolentiâ deuoluitur hæreditas. Non is paupertatem cum diuitiis commutat, ſed mutatur. Aliud longè eſt velle mutare ſtatum, & eſſe quod non es; aliud fauente fortunâ à Deo in alium tranſponi ſtatum, & fieri quod non es. Aliud eſt velle fieri diuitem, aliud diuitem fieri aut eſſe. Illud condemnat Apoſtolus, hoc verò Dei beneficium eſt; vti non anxiè nimiumúe exoptandum, ita cùm obtigerit, reiiciendum minimè. *Diuitiæ itaque ſi affluant, nolite cor apponere*, vti grauiter monet Pſalmiſta, manus tamen apponite, vt eas cum gratiarum actione accipiatis; læti cum affluxerint, non tamen magnopere turbandi, ſi Deo volente rurſus effluxerint. Itaque bene agite, res veſtras prout ratio Deuſque exigit procurate, mercimonia inſtituite; litteris operam date, virtutem domi militiæque explicate; ea agite quæ digna ſint fauore & præmio; & ſi opes dignitateſque pro re bene actâ, Principum beneuolentiâ, aut Reipublicæ conſenſu, affluxerint; ſcitote non ſtatum mutare vos, ſed vos in ſtatu à Deo mutari, qui id tibi rebuſque tuis conducturum cenſuit aliquod ſi ſtatui tuo adiiceretur incrementum. Verùm cùm immutat fortunam Deus, magna tibi ſit imprimis cautio, ne fortuna immutet te. Neque ita velis eſſe quod es, vt nolis ſi Deo ſic videtur, rurſus eſſe quod fuiſti.

Adhibēda ſunt negotiis procurandis media, ſucceſſus vero rei relinquendus Deo, eũ approbãdo quiſcumque fuerit.

Itaque vt tranquillô ſemper ſis animô, etiam cùm totus in agendis rebus es, numquam de bono, fortunatoúe rei quam præ manibus habes ſucceſſu, multùm ſis ſollicitus. Tu adminicula cuncta ſummo ſtudio confer, eaque ad rem quæ faciunt ſedulus adhibe, euentum verò rei, Deo relinque, approbaturus quidquid obtigerit. Illud ergo penitus vobis præfigite, perinde vobis fore ſiue causâ cadatis in foro ſeu ſuperiores euadatis; dignitas aut matrimonium quod ambitis, felicem habeat ſucceſſum an infelicem; lucrum mercibus ſuccedat aut iactura; ægritudo ex æquo placeat cum bonâ valetudine; neque mors cùm obtigerit, magis diſpliceat quàm conceſſa vita. Hæc inquam omnia, aliaque his non abſimilia, dum animi æquabilitate complanaueritis, tum verò manu n o peri admouete, adminicula cuncta quæ recta ratio Deuſqu e ſu ggeſſerit, rebus veſtris agendis conquirite: hæ ve-

42.

ſtræ

ſtræ partes ſunt. euentum vero procuret Deus, & verò procurabit is, è re tuâ. Neque quid tandem tibi futurum ſit anxius inquiras. Dei id munus eſt & futura diſponere,& vero etiam te celare. Rectiſſimè dixit Poëta.

Horatius. *Prudens futuri temporis exitum*
Caliginosâ nocte premit Deus:
Ridetque, ſi mortalis vltra
Fas trepidet. Quod adeſt, memento
Componere æquus.

Hoc tu age modò, quod à te modò requirit Deus. Futura componere Dei eſt, tuum vero componere præſentia, & præſentibus acquieſcere. Quid igitur futuris tantopere angeris? quid de valetudine futurâ ſollicitus, quid de dignitatibus obtinendis totas noctes agitaris? quid filiorum futura conditio te excruciat? Quod adeſt, memento componere; compone inquam mentem tuam, in manu tuâ id eſt, futura diſponere, non eſt. *Permitte*, itaque *Diuis cætera*, ſed teipſum præ cæteris permitte. Fortunam eluctari non potui; ita ſit, bene eſt, factum bene: ſpe dignitatis acquirendæ excidi; ita ſit, ita fieri debuit: fauor omnis interceptus eſt; factum bene; morbos ſuperare non eſt datum; longè mihi melius eſt ægrotare me. Mors denique iam inſtat, neque vllâ arte eius potui tela ſuperare; moriamur certè cum tempus eſt, numquam opportuniùs morituri, nihil habeo quod opponam.

Pſal. 4. *In manus tuas* igitur *commendo ſpiritum meum.*

TRACTATVS XV.

Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori, & æstimata est afflictio exitus illorum; & quod à nobis est iter, exterminium: illi autem sunt in pace. *Sap.* 3.

Beati mortui qui in Domino moriuntur à modo iam dicit spiritus vt requiescant à laboribus suis. *Apoc.* 14.

Ostenditur quod is qui statu suo contentus est, etiam morti, & mortis horæ, & mortis modo penitus debeat acquiescere & lætus mori.

PROOEMIVM.

AD vada tandem, dum littus legimus, latentesque syrtes impacta est ratis. Hîc desinendum est facto naufragio. Totum iam Diuinæ Prouidentiæ pelagus emensi, propiora terræ littora dum radimus humanis intenti rebus, scopulis licet cunctis benè feliciterque superatis, ecce tibi in arenas conijcimur incauti; nauis sentinam trahit, fatiscit carina, dehiscunt latera, tota ratis machina dissoluitur, & in partes abit. Actum est; perimus. In arenâ, hoc est, in sepulchro stamus: & quod miserrimum est, nullum datur in hac arenâ consilium: Ergo moriendum est? video sanè. Fatiscente corpore *spiritus meus attenuabitur, dies mei breuiabuntur, & solùm mihi supereſt sepulchrum.* Iob 17.

Hic mihi iam videor, omnium vestrum vultus, animosque in diuersa mutatos aspicere; & vt in communi naufragio fit, video

deo plerosque mortis instantis memoriâ impallescere, nec satis sibi iam constare animos infractos metu. Quid, quòd & in Nauarchum ipsum, sapientissimum licet nauis directorem, fremat tumultu & mortis imminentis metu pallida insurgat nautarum colluuies, omniaque vectores clamoribus repleant? Nauarchum impetunt, Nauarchum accusant, Nauarchum deposcunt, oculisque in morte iam natantibes obliquè notant. An hæc est eius, nobis adeo commendata peritia? hæccine tota ars est, nauim in vada impingere; totumque pelagus feliciter emetiri, vt tandem in arenâ pereamus? huc denique omnia consilia recidêre, ad hoc tota composita est fabula, vt portus sepulchrum sit, & nauigationem omnem finiat naufragium, vitæque fabulam claudat mors? Quis ad ista non exhorreat? quis se pelago tam infausto securus credet? quis huic gubernatori sè committat? denique quis lætus nauiget, quem tam horridus portus manet?

Sed quæso, quisquis es, Gubernatori conuitium ne fac, scio, penitus eum nec in naui dirigendâ errasse, nec verò errare potuisse. Hoc iam sæpiùs planum fecimus. An verò tam infeliciter nauigatum esse, tamque malè tecum actum existimas, in partes dissracta nauis quòd dissilierit, cum nihil vlterius enauigandum restaret? naufragium tu vocas, ampliùs nauigare nec debere, nec posse: hoc certè, si rectè rationem tenes, quietem voca. Arenam cui adhæres, sepulchrum dum nominas, opinionibus agitaris miser: opinionem corrige, & quod sepulchrum per inuidiam appellas, illico portum dices. Portum verò. & quidem tibi fortunatissimum cum credideris, Nauarchi industriam, quam metu nimio perterritus nunc incusas, summâ tuâ voluptate admiraberis & adorabis. Dei itaque partes defendendas suscipiamus, & detrahamus morti laruam, quæ infantibus & ignaris metum facit.

§. I.

Ponuntur quatuor rationes, ob quas mors vulgò habetur terribilis.

Querelæ cõtra mortem.

EX metu mortis querelæ exiſtunt omnes. Audiamus itaque in morte metuendum tantopere quid ſit. Videó enim nos nobis ipſis timorem facere, eumque vt vulgò in rebus terribilibus fit, nobis inuicem affricare; & quod peſſimum eſt, metus in manus dare longè ſupra verùm auctos, augendoſque cum deinceps tradentur alijs. Nam vt præclarè Seneca: *Multa de illâ* (nempe morte) *credidimus*; *multorum ingenijs certatum eſt, ad augendam eius infamiam.* Dic igitur, amabo; quid in morte eſt, quod tantopere exhorreſcis? 1. Sen. ep. 83.

Primò, quia naturæ contraria.

Mortem ipſam, inquies, imprimis. An non eam natura exhorreſcit? an non fortiſſimus quiſque ad eius conſpectum trepidat, totoque corpore contremiſcit? Quid demum in mundo eſt terribile, ſi mors non eſt? Nemini parcit, omnes impetit, nec precibus exoranda, nec flectenda blanditijs, nec fletu lachymiſque emollienda. Interim vitâ nos ſpoliat, quâ quidem nihil habemus iucundius, nec verò etiam pretioſius: charorum nos conſpectu priuat, inter quorum luctus & ſuſpiria, eheu, per vim abripimur; clauduntur oculi quibus gratiſſimam hanc lucem aſpeximus; diſſoluitur iucundiſſimus, ſtrictiſſimuſque animæ corporiſque nexus; & tandem diffluente per tabum carne, horridum fit intuentibus ſpectaculum, corpus hoc quod circumgerimus; diſſolutaque membrorum compage nihil mihi reſtat in hoc orbe: omnia erepta ſunt, & lux & vita, & chariſſimorum conuictus, & coniugis blanditiæ, & filiorum grati vultus, & principum fauor, & clientum obſequia, & ciuium applauſus, & diuitiarum commoda, & ædium amplitudo, & conclauium ornatus; omnibuſque ſpoliato *ſolum mihi ſupereſt ſepulchrum*; iſthic in vermes diuidimur. An non hæc ea ſunt, quæ pauorem meditanti meritò incutiant? & tamen hæc facit cruda mors. 2. Iob 17.

Secundò, quia incerta quoad

Iam verò ſi ſtata eſſent quædam moriendi viuendique tempora, aliquid fortaſſis inde ſolatij haberetur: componere quiſque 3.

que posset res suas, domui consulere, & pectus futuræ morti obarmare. At prout iam res agitur, vti nihil certiùs morte est, ita nihil mortis horâ est incertius : incautos occupat & importunè; nec adolescentiæ florentis annos curat, nec senum necessaria consilia, nec studia virilis ætatis : cùm quis in rebus agendis totus est, cùm fluunt ex voto omnia, & ad maiora fors gradum facit ; iniicit eheu crudeles manus, ad preces omnes surda mors, & media inter negotia spiritum intercludit, omnemque intercipit cum vitâ spem. Horridam sanè rem, semper viuere expositum morti, & ne momentum quidem habere securum ! *tempus, & sæpè intempestiua.*

4. Quid, quòd & moriendi modus, sæpè, imò semper sit terribilis ? nam si subitò à morte occupamur, quid terribilius quàm momento vnico, & ex insperato, esse desinere ? lætum viuere, ridere, iocari sæpissimè, & dicto citiùs euanescere : nullâ re compositâ mori, domumque totam nihil tale opinantem, in luctum gemitusque abire ? Quòd si pedetentim mors hominem aggreditur, Deus bone ! quot non morbi, quæ non ægritudines, quæ fastidia, quæ insomnia, quot capitis dolores, quæ neruorum contractiones, quæ membrorum omnium luxationes expectandæ non sunt, quas tandem sæua mors excipiat ? *Tertiò, terribilis in modo.*

5. Denique quod mortem maximè timendam facit, est alterius vitæ, felixne futura sit an infausta, nimiùm heu timenda incertitudo. De totâ deinceps æternitate agitur ; ab illo pendet articulo, æternùm beatus futurus an sis, an æternis cruciatibus addicendus. Cui non arrigantur pili omnes, sedulò tam ingens momentum consideranti ? cui non collidantur præ horrore viscera ? Quòd si de felici morte securus, felicitatem æternam sibi quis posset meritò polliceri, esset quod naturæ opponeremus solatium. Iam verò & mori, & importuno mori tempore, & modô etiam mori perquàm dolendô & molestô, neque scire interim an finis hic miseriarum, æternarum non sit initium ; hæc certè singula & omnia, morti etiam præ neditatæ, faciunt vt impallescam. *Quartò, incertitudo vitæ æternæ, quæ à mortis articulo nihilominus dependet.*

§. II.

§. II.

Verùm si contentus sis humano statu, etiam mortalis esse debes, & velle mori.

Si homo esse vis, debes velle esse mortalis.

VT his alijsque querelis faciam satis; illud inprimis inquirendum est mihi, an cum homine agam, an cum Angelo? Cum homine inquis. Rursus id interrogo, an hominem esse pœniteat te, an verò tuo statui acquiescas? Acquiesco, inquis; planè & verè. Hoc si ita sit, quin conditione humanâ contentus es, & lætus quòd homo sis? Ideo autem si lætus sis, iam certè dolere non potes mortalis quòd sis: hoc enim est hominem esse. Sin tandem mortalem te esse non doles, non video sanè, mori mortalem, ægrè ferre quô pactô possis. Immortalem si te esse censeres, aut falsis licet inductus rationibus, id tibi tamen vel falsò persuaderes, tum certe non mirarer te conspectâ morte conqueri. At verò, cum eâ conditione natum te scias, tandem moriendum vt sit; quid tandem fieri id miraris, quod aliquando factum esse oportuit, & factum vis? 6.

Si immortales sint homines, Deus hunc orbem male condidit.

Audi: aut humanam eam esse conditionem, vt mortalis sit homo, immortalis qui creari poterat, necesse est ægrè ferre te; aut sanè non video, quî molestè ferre possis mortem, qui communem moriendi subijsti conditionem. Non enim eò te insaniæ deuolutum reor, vt qui omnia sapientissimi Numinis decreta comprobasti hactenus, hominem nihilominus immortalem condi debuisse, præfractè velis contendere & mordicus etiam tenere. Nam præterquàm quòd supremæ Dei auctoritati, sanctissimæque voluntati ingens impingatur iniuria, quasi non rectè quidquam voluisset is, in cuius manu erat quidlibet velle, & verò etiam *Omnia quæcumque voluit fecit*: Sanè si hominem immortalem condiderit, omnia quæcumque iam fecit non benè voluit; & quæ malè voluit, disposuit etiam pessimè. Quid enim? nonne hanc, quam incolimus terram, humanæ habitationi destinato consilio creauit Deus? Iam verò, immortalem esse hominem si contingat, quis non videat errasse Deum, terramque condidisse quæ tantæ hominum multitudini, nec alendæ, nec 7.

verò

verò etiam capiendæ futura sit par ? Quòd si enim omnes quotquot fuerunt homines (immortales quos tu vis) hodie viuerent, quantum quæso, quamque innumerabilem multitudinem constituerent ? eam sanè, cuius numerum nulla humana mens posset complecti. Rationes tene si potes: aliquot tantum annorum seriem computatam dabo, eamque non totum genus humanum complectentem, sed partem tantummodò. Certè admissis quibusdam hypothesibus, quas fœcunditas primorum hominum penitus credibiles facit; his nempe; quod Adam viginti annis genuerit liberos viginti, mares decem, decem fœminas. His verò & deinceps aliis qui ab his descendunt, vt singuli proles viginti gignant, decem mares, fœminas decem, dentur anni quadraginta. demonstrat certè & bene Tacquctius noster, anno ab Adam sexcentesimo, vigesimo, iam datos orbi, hominum viginti mille milliones millionum. Qui verò viginti annos, viginti liberis generandis credit non sufficere, meminerit etiam patres illos primos, non ad quadragesimum solum annum, sed & ad ducentesimum, trecentesimum, & quod excurrit, genuisse filios; qui tamen omnes, sine dubio longè quàm numerati plures, in computum non sunt deducti. Cogitate iam si potestis quot myriadum millionum ab anno orbis 620. ad hæc vsque tempora per quinque mille nonaginta sex annos hominum facta sit adiectio. Denique eos etiam ad calculos reuocate, qui ad finem vsque mundi procreandi sunt homines: subductisque rationibus, illud tandem edicite, an terra sustentandæ tam ingenti multitudini possit sufficere, aut commodæ habitationi locum dare ? Certè non posset, erratum itaque à Deo foret turpissimè, immortales si sint homines, neque locum venturis moriendo cedant: totaque amplianda erit terræ machina, & spatia habitationi commodæ explicanda.

Taquet in Aritmetica pract. l. 5. c. 6.

8. Rursus immortalem si volebat hominem Deus, non ea, quâ nunc est, corporis constitutione efformandus fuerat, non eâ, quâ nunc, temperie subigenda membra, non tot tamque inter se pugnantes humores committendi; ex quorum solâ luctâ corpus atteri, vires minui, sensimque diffluere est necesse. Peccatum hic itaque rursus fuit, longeque ab hâc alia condenda fuerat natura. An verò tam impudens sit quisquam, vt hoc de sapientissimâ illâ Mente cogitare audeat, crimineturque, omnia

Imo & corpus humanum.

propter hominem qui fecerit, in homine isto condendo tam turpiter errasse? Absit sanè à piis modestisque auribus tam atrox blasphemia: quam modò non oppugno, ne actum sæpius, iterum agam.

Non ferret homo sine damno animæ, immortalitatem sui corporis.

9. Ego certè Diuini Numinis Prouidentiam supplex adoro & veneror, mortalem me quod fecerit. Id sanè rebus meis video prorsus conducere, vt Deo mortalem me miserumque planè subiiciam, quem fortasse per impudentem arrogantiam non agnouissem immortalis. Neque hâc in parte est quod sibi quisquam blandiatur, vt ante me dixisse memini: primi enim Parentis nostri exemplanimis clara sunt & domestica, quàm vt nos blandè palpemus. Scitis quid egerit, refractarius Deo & contumax: & tamen mortalis erat. Neque alia sibi fingat infausti Patris peior proles: mortales esse debuimus, & quidem miseri; ne nimiâ felicitate turgidi, æternas miserias æternorum incurij nobis conscifcamus. quod quidem longâ ratiocinatione nuper confecimus. Tract. 8. §. 5. Tract. 8. §. 5.

Vita nostra est miserrima: remedium miseriarum mors.

10. Iam id ago. Mortalis homo cum sis, miseriisque vndique expositus; cur tu mortem tantopere accusas, cur vitam homini iucundissimam eripere conquereris, cùm potius malorum omnium vna mors remedium sit & finis? Certè si rem accuratè expendimus, beneficium est maximum à Deo homini præstitum, vt miser esse cum debuerit, non tamen sit semper, neque adeo diu. Quis enim sanæ mentis protrahere, imo & trahere longæuam vitam cupiet, vltimæ senectutis pressus incommodis, toto resolutus corpore, sibi grauis terræque pondus, cui vix aliud sit hominis super, quàm quod viuat? nisi forte id etiam vis, vt è graui senectute, repentè ad iuuentutis vigorem pristinum redeas, iterumque futurus puer, vt iterum atque iterum incanescas. At quis non videat naturæ leges interturbare te, aliumque atque aliud esse te velle, quàm quod es modò?

11. Et verò tu qui tibi vitam, rem omnium charissimam, nulloque pretio æstimandam eripi per mortem doles; dic amabo, an adeo iucundè viuis, vt pro vitâ tuâ tam præfractè stes, vt nunquam mori placeat? vitam præteritam aspice, præsentem contemplare, futuram prospice; omnibusque ritè expensis, dic obsecro, quid adeò dulce habeat hæc tristis vita, quid amabile?

Tã sumus miseri, vt cum mus

12. Hoc enimuero stupendum est; nemo non de vitæ suæ genere conqueritur, eâ cum datur frui; & nemo non dicit iucundissimam,

mam, cùm vsus tam malæ rei morte eripitur. Mundum amaritudinibus plenum ingeminamus, inconstantem, infidum, perfidum, vbique lachrymarum esse materiam, dum viuimus inclamamus: dum mors medicinam tanto malo facit, vice versâ mundo inhæremus, mundum complectimur, totamque irascendi vim, in mortem conuertimus; illam ferocem, illam asperam, illam inexorabilem, illam malorum omnium maximum esse conuitiamur. Miseros nos inquit Gregorius. *Ecce iam mundus in seipso aruit, & in cordibus nostris floret: vbique mors, vbique luctus, vbique desolatio; vndique percutimur, vndique amaritudinibus replemur: & tamen cæcâ mente carnalis concupiscentiæ, ipsas eius amaritudines amamus, fugientem sequimur, labenti inhæremus. Aliquando nos mundus delectatione retraxit à Deo; nunc tantis plagis plenus est vt ipse nos mundus mittat ad Deum.* Quin ergo imus cùm mittimur, & cùm eundum est? cur non læti eximus, cùm carcer panditur? cur inuiti extrahimur & reluctantes? Quia nempe amamus miserias nostras nostras miseri; & opinione seducti, quam falsam tamen scimus, falli nos delectat & fallere. Adeo insertus est naturæ, etiam miserrimæ vitæ amor, vt ad medicinam ipsam expallescat, nec velit subleuari. Certè cum Senecâ exclamare libet: *O ignaros malorum suorum, quibus non mors vt optimum naturæ inuentum laudatur!*

miserias nostras.

S. Greg. hom. 28. in Eua.

Sen. Cõsol. ad Marciam c. 20.

Vt vt sit; id sanè manifestum iam est; quantumcumque de morte querantur homines, malè conqueri. Certum enim est, mortales & à Deo factos homines, & fieri mortales debuisse. certum est etiam, non tanti vitam esse, vt ob eam retinendam, conuitium aut morti, aut mortis auctori fieri debeat. Certum est quoque, naturæ tam ingenitam esse mortem quàm vitam, neque magis naturæ debitum est *esse*, quàm *desinere*. Certum est denique, prout nunc corporum compago & temperies fert, eum prout Seneca rectè asserit, *viuere nolle, qui mori non vult. vita enim cum exceptione mortis data est.* Illud itaque liquidò consequitur, aut hominem esse nolle te, aut morti cum obuenerit, debere acquiescere. Neque mortem post hac, vt naturæ contrariam criminare: falsa est accusatio. Mors vitæ aduersatur, fateor, & semper bene; naturæ verò, nunquam. Mortem enim æquè ac vitam, eadem natura fert: & si non ferat, non erit hæc natura. Cessent igitur, hâc in parte de morte quæ passim circumferuntur queri-

Tam naturalis est nobis mors quã vita.

13.

moniæ. Omnes mortales sumus, omnes morimur, quia omnes viuimus. Naturæ debitum soluimus: nemo conqueratur, cùm exigitur id quod debetur: iustum petitur. Omnes vectigal hoc cùm persoluant, nemo se non eximi ægrè ferat: nam *quis*, inquit Seneca, *queri potest in eâ conditione se esse, in quâ nemo non est?* & si est; nemo conditioni quam subiit, non paret vel voluntate vel inuitu: stultum verò est inuitum pati, & ingratiis, præstare quod possis bene. Ibidem.

§. III.

Ostenditur quod qui mori contentus est, etiam mortis tempori & horæ debeat acquiescere.

Quæritur homines de incertitudine & paruitate vitæ.

VErùm est, inquies, homo sum nec quidquam humani à me alienum puto, aut etiam alienum esse volo. neque sanè mortem detrecto, quam video naturæ esse ingenitam, & verò etiam magnum naturæ, imò Dei inuentum. Sed ad tempus mortis exhorreo. Dubia inprimis, hora est, & sic semper suspensi viuimus, rerum agendarum incerti, quia de vitâ semper dubij. Adde quod plerumque mors importuna accidat; hunc in ipso iuuentutis primordio, cùm spes magnæ cum annis succrescerent, incauta demetit; illum, cùm res domesticas componeret, filiorumque commodis maximè consuleret, subitò occupat; medio ex honorum cursu alium rapit; cùm cõiux adhuc in ætatis flore, liberi & multi & infantes; rationes necdum expensæ, domus plena litibus, quas vitâ superstite facile fuisset componere. Alium tum mors occupat, cùm post plurimos labores exantlatos, tranquillæ placidæque senectutis dabatur otio frui; alius alio tempore extinguitur, nunquam non alieno, nunquam non importuno: adeo vt semper parùm viuamus; verissimumque esse illud Patriarchæ moriendo comperiamus, *Dies peregrinationis meæ, parui & mali.* 14. Gen. 47.

Si dies nostri mali sunt, quomodo pauci sunt.

Verùm heus tu, qui dierum tuorum numerum tam accuratè expendis, & expendendo obmurmuras: quâ tu quæso ratione, dies tuos malos esse fateris. & *paruos* siue paucos esse conquereris, & certè si mali sunt, præstat paucos esse, ne diu durent dies mali. 15.

mali. Id sanè non satis capio: nisi fortè te magis delectant magna mala, & quod peius est, etiam diuturna. Mali si dies sunt, breues sint, ne diu simus infelices.

16. Nec tamen hoc iam vrgeo, aliter mihi tecum est agendum. Mortem fateris te non subterfugere; at de tempore, tota tibi iam est cum morte concertatio. An non te pudet, omnia Deo cùm permiseris, vitæ mortisque arbitro vitam tuam magnificè cùm commiseris, iam de tempore cum tam sapiente Numine velle licitari? An non is, qui omnia, quæ contingunt, vt tute fateris, hactenus præclarissimè composuit *in pondere & mensurâ*, mensuram aptam ætati tuæ non inueniet, neque annos ad iustum numerum poterit reuocare? Certè iam inde ab ipsâ æternitate, omnia complexus est, omnia circumspexit; & qui capillos ipsos capitis tui in numeros digessit, numerauit dies tuos, calculumque iam digestum in æternâ Mente, suo tempore com-
Iob 14. plendum, exarauit. Vidit id præclarè Iob: *Numerus mensium eius* (scilicet hominis) *apud te est; constituisti terminos eius qui præteriri non poterunt*, nec verò etiam præteriri debent, cùm ad tantæ Sapientiæ Mentem exactissimè sint dimensi. Quid igitur obstrepis miser, mensuramque plenam tibi non conferri indignè murmuras? an tu scis quantùm vitæ tibi debeat adiici, quantùm demi, bene vt sit rebus tuis? superuentura tibi quid ferat hora, planè ignoras felixne futura sit an infelix: insanè igitur vota extendis, nescius quantum ijs fortasse complexurus sis mali. Sanè si humanis rationibus vitam metiamur, verissimum est illud Senecæ: *quod multis diu vixisse nocuerit*, quod deinde multis
Sen. consol. ad Marciam c. 20. exequitur exemplis. *Si Pompeium*, inquit, *Neapoli valetudo abstulisset, indubitatus populi Romani Princeps excesserat: at nunc exigui temporis adiectio, fastigio illum suo depulit: vidit legiones in conspectu suo cæsas*: & quod turpissimum, se militis gregalis beneficio viuere. Nimius sim, si ad ista è longinquo accersenda aduerto animum, quæ quotidiana nobis sunt & domestica: quisque ad præteritam vitam deflectat oculos & mentem; illudque liquidò reperiet, longiorem vitam mala sibi accumulasse; & quidem tanta nonnunquam, vt dubium planè relinquatur, an tanti fuerit viuere. Quod quidem dico, si Dei consilium non spectemus in producendâ vitâ, sed solas opiniones nostras. Has ergo si tantum attendis; vnde id constat tibi, quòd non longè grauio-

Mors præoccupat mala futura, nobisq; euentura.

Quæ si sciremus nollemus diutius viuere

ra tibi ingruant incommoda, quàm quæ pertuleris miser? fortè bonorum omnium iactura impendet tibi; forte à dignitate per summam calumniam deijciere, omnibus posthâc ludibrio futurus; fortè mittendus in exilium; fortè ad vltimam egestatem redigendus; fortè filiorum grauissima infamia te expectat, & hâc tu viuere conditione velles? Nollem inquis; at incerta sunt isthæc mala, dubijque euentus. Fateor, sed conquerebaris modò tu, fastidiosum esse viuere, incertum mortis; ita fit, an ergo tam volupe est vitam protrahere incertum infamiæ, incertum malorum quæ ipsâ morte peiora sunt? Vide vt votis tuis quereliſque iniustis, tute te conficias, vitam mortis incertam non vis; & vitam longam vis, felicitatis incertam tamen, & forsitan maximo tuo malo protrahendam. Quin igitur, rem tibi tam incertam & dubiam illi committis, cui omnium temporum perspecta & expensa sunt momenta; cui notum est probè, quid quæque ferat dies, & cui tu oneri ferendo sis par? Vitam ille terminet aut extendat, qui vitam dedit; nec aliâ mente quàm vt eam, nisi tu non vis, felici sorte terminaret. Viue interim sine tædio securus Dei; & vt mortem non exhorreas, Deum patere.

Committe igitur te Deo, qui omnia futura nouit & expedit.

Male etiã de numero annorum vitæ nostræ querimur.

Patiar enimuero, inquis, & mortem & Deum: neque mihi 17.
longiorem vitam postulo, quam quæ mihi ab optimo Patre, sapientissimoque Deo est constituta, verùm hoc me excruciat, importuna toties in hominem quòd incurrat mors, rebusque quæ præ manibus sunt filum intercidat, tum cùm optima agendi erat opportunitas. Murmuras sanè egregiè: mori quidem vis, & vitam etiam longiorem non vis, quàm quæ tibi à Deo præfixa est: sed eo potissimum tempore terminari conquereris. Quinquaginta annis viuendum est tibi; acquiescis tu, nec plures vis: nolles tamen suo tempore terminari. Quid autem id est, nisi velle vt non eo tempore nascerere quô natus es? citiùs ergo aut seriùs te natum oportuit, imò seriùs, vt quinquaginta, quos viuere debes, anni pro voto tuo finiantur seriùs, quod quàm ineptum sit velle; nemo non videt. Neque ego certè video, vitæ tuæ Auctori quomodo acquiescas, qui ei de natiuitatis tuæ exordio litem moues, nataleſque tuos vis refigere? Quid mirum de vitæ termino tibi cum Deo nondum conuenire, quem de ipso exordio in ius vocas?

Si annos vitæ nostræ

Verùm, cùm nunquam opportuna sit dies quâ ex hâc luce à 18.
Deo

Deo euocaris, ſtatutumque tamen tibi cùm ſit aliquando de hâc vitâ diſcedere: ne vlla ſuper hâc re cum morte, dum aduenerit, deinceps ſit contentio, opportunè an adſit an importunè; tu ſanè tempus ſtatue, quô de hâc vitâ ſine tergiuerſatione vllâ vis diſcedere. idque vt non temerè proiectimque agas, tecum ipſe ſeriò delibera; totam tibi hominis ætatem ob oculos pone, eamque diem, imò horam ſelige, quam morituro tibi commodiſſimam iudicas & maximè opportunam. Illud profectò aſſerere audeo, nullam te deſignaturum eſſe diem, quæ tibi arrideat, quamque vt euites, non illico rationes plurimæ ſint occurſuræ. Neque adoleſcens mori cupies, quòd tum tantùm incipias viuere: neque in virili ætate, quòd tunc tantùm incipias agere: neque in ſenectute mori lubebit, quòd tunc tantùm vitæ commodis, tanto labore partis, incipias frui. ſic ſanè ſemper incipies cùm deſinendum eſt, quia nunquam volumus deſinere. Argumento huic nolo inſiſtere, quòd alio loco fuſiùs tractatum dabo. Illud nunc addo: quòd ſi tamen poſt multa molimina, certum nobis vitæ noſtræ terminum præſcripſerimus, eumque in decrepitam vſque deuexamque ætatem poſt centum annos abſoluendam diſtulerimus; certum eſt, illico cùm terminus ille comparuerit, facti pœnitentiam nos ſubituram, electioniſque tam præproperæ damnaturos nos. Ne tunc quidem erit opportunum mori, quòd lites adhuc componendæ ſint, quòd merces adhuc nauigent, quòd nondum filio proſpectum ſit, denique aliqua adhuc agenda ſupererunt, quorum tibi nulla erat, mortis diem eligenti, notitia. Sic ſemper nobis ipſis imponimus: nunquam moriendi eſt opportunitas, quia nunquam vellemus mori. Immortales eſſe nec poſſumus, nec debemus: mortales eſſe deſideramus, ſed nunquam mori. Quid interim aget Diuinum Numen? te certè, ſuper ætate tuâ acturus, in conſilium aduocare non poteſt, cui in hâc parte conſilium non eſt domi. Statuat igitur ille, qui ſtatuit omnia. Importunum mortis tempus quòd iudico, importunus mihi ipſi ſum. Moriamur ſanè cùm moriendum eſt, nec aliud agendum tum eſſe iudicemus; & nunquam moriemur importunè. Si filij curandi ſunt, curam illorum gerat Deus: ſi pauperes à tuâ morte ſunt futuri, pauperes eſſe voluit Deus, ideoque illis eriperis, ne diteſcant. Atque idem de quibuſcumque negotijs, quæ otium moriendi tibi eripiebant,

determinare debemus nunquam poſſemus.

Et tandem iraſceremur determinationi noſtræ.

eſto

esto iudicium; & tum demum placidè morieris. Satis is vixit, qui Deo vixit satis: multaque melior erit moriendi opportunitas, quam ea, quam arripit is, *cuius omnes viæ sunt iudicia*, iudicia inquam bene expensa & magno studio præmeditata, non congesta temerè. *Cognoui* enim *Domine, quia æquitas iudicia tua*: nihilque æquius, quàm illis modeste & placidè acquiescere. Psal. 118.

Bene etiã celat nos Deus horã mortis.

Acquiesco inquis; neque hoc iam ago, vt vitæ meæ metas figam, figat illas Deus, per me sanè licet. Verùm cur id saltem non conceditur, vt metas illas cognoscamus nos, quorum tanti interest id scire? cur igitur mortis diem, quam designauit Deus, morituro non aperit? hoc saltem mala mortis subleuaret plurimùm. Omnia seriò componerentur, & domus, & res, & familia, & quod præcipuum est animæ negotium: tum sanè iucundum foret emori, expectata dum veniret mors; iam verò in expectata dum venit, turbat omnia. Quid hîc à me expectatis Auditores, vt huic homini obstruatur os? Certè illud ad manum est dicere, non credere me curaturum res suas, nec verò animæ consulturum eum, qui se non nisi post annum moriturum certò sciuerit; quem modò video, incerta cum sit vita crastina, tam inconsultè res suas agere, & de salute æterna tam proiectè cogitare. Iam si tam negligentem proijcis omnia, cum nescis vitæ quantum sit super, quid ageres vitæ adhuc multùm protrahendæ securus? Deumne coleres dum viuis, quem non nisi moriturus vis agnoscere? Incertos igitur vitæ, magno consilio nos voluit Deus, ne nimiùm de fine vitæ certi, & vitam perdamus & finem. Vita enim nostra est, non viuere, sed benè viuere; finisque vitæ, benè mori, quòd si verò de morte certus fores, nec benè velles viuere, nisi dum moriendum est; nec licet velles, benè morereris, quia victum est malè. 19.

Et ipsi naturæ, peculiare per hoc præstat beneficium

Quàm verò id insanum est, credere excipiendam mortem placidè, lætosque abituros vitæ dies, mortis horam si daretur scire? quin imò sapientissimum id rursus inuentum est Dei, mortis tempus quòd celauerit. Quot enim conquerentium voces non exaudirentur? eorum, inquam, quibus breuis vita data esset, & aut in adolescentiâ terminanda, aut non vltra virilem producenda ætatem? Quantis animis vnusquisque staret, non tantum pro domo suâ, sed pro pelle & vitâ, non aliud acturus quàm de Deo conqueri. Adde quòd si vitæ terminus perspectus foret homini, plerique sanè vltimis annis iam imminentibus, 20.

diffluc-

diffluerent mœrore, conficerentur triſtitiâ, tam prope quòd ſit certa mors: & ſic timor futuri mali, dulcedinem omnem præſentis vitæ, ſaltem aliquot annorum ſpatio prorſus interturbaret. Iam verò omnes viuimus, omnes nos victuros credimus, nec vllus eſt qui ſibi non multos polliceatur annos: & licet fallamur, falli tamen nos neſcimus, aut ſcire nolumus; lætique vitam, dum datur, trahimus. Maneat id igitur probatum ſatis, & bonum eſſe mori, homo cùm ſis; & bene vitæ tuæ terminos à Deo præfixos; & bene etiam eos abſcondi, ne tu reſcias. His igitur acquieſcendum eſt, hominem agere in hâc mundi ſcenâ ſi vis.

§. IV.

Oſtenditur quòd qui mortis ſuæ tempori acquieſcit, etiam mortis modo, morbiſque mortem inferentibus debeat contentus eſſe. Morbos autem magnum eſſe artificium Dei declaratur.

21. VErùm vt clara ſint hæc omnia & manifeſta, necdum tamen vitæ ſuæ patrocinium deponit humana pertinacia. Et cùm de mortis tempore nihil habet quod opponat, de mortis modô, naturæ aut potiùs Deo intentat litem. De morbis, inquam, conqueritur homo, quibus miſerum hoc corpus variè affligitur, iiſque ſanè acutiſſimis. Quàm enim hoc durum eſt, tormentis tam grauibus, tamque diuturnis peſſimè excruciari? Febrium modò caloribus æſtuare, modò podagrâ neruorumque aculeis confici, modò capitis doloribus ad inſaniam vſque torqueri, modò pectoris, modò ſtomachi, modò laterum torminibus diſſecari? atque hæc mortis inſtantis ſunt prima tantùm veſtigia. Quàm ergo ferocem eſſe neceſſe eſt mortem ipſam, cuius tam horrenda ſunt præludia? *Querela de morbis.*

22. Itaque vt audio mori nunquam vis. Volo, inquies, quàm maximè; etenim homo ſum. An ergo mortis tuæ hora cùm aduenerit, ſanô, vegetôque cùm es corpore, violentâ morte vis perire? an caput gladio auferri, an laqueo collidi fauces, an aquis præfocari, an vulneribus transfigi cor? Minimè, inquies,

minimè; truculenta nimiùm sunt isthæc mortis genera: durum est nimis, subitò vitam eripi, cùm *tota* vt cum Saule loquar, *adhuc anima in me est.* Nescio sanè quô pactô tandem tecum agendum sit. mori vis, sed non subitò, non violentè; non etiam paulatim & pedetentim; & tamen mori vis. quis hæc intelligat? Sanè dic quod res est, mori nolle te; & morbos fatuæ tuæ voluntati velandæ tantùm te præstruere. 1.Reg.2

Ostenditur quod morbi sint pulchrimũ inuentum Dei ad destruenda nostra corpora paulatim.

Age tamen, tu qui morbos impetis, mortis, vt rectè censes, assecias & prodromos: Sed vide quàm abs re. Mori hominem debere censes, hoc est, desinere. Totam verò corporis machinam, subitò & non sine vi magnâ prosterni in terram, horridum dicis & truculentum. fateor; ita est. Quàm ergo egregium est naturæ, hoc est, Dei iuuentum, ita machinam hanc composuisse, vt compagibus membrorum, ipso vsu aut resolutis aut attritis, sensim & sine maximo tandem sensu dissoluatur & euanescat? Hoc sanè morbi præstant; fabricam non præcipitant, sed dissoluunt. Neque si vltima ægritudo præceps visa est, illa demolita est domum. suffossa iam dudum erant fundamenta; exesi muri, & sic facilè in præcipitium abiit. subitò lapsus apparuit, sed lentè cecidit. Sic fit; exeduntur paulatim ipso vsu vires corporis, mutuâque sese pugnâ conficiunt humores illi quibus corpus stat & viuit: edendo, laborando, studendo, aliisque vitæ honestæ exercitiis, multoque magis vitiis inhonestæ, atteruntur vires, absumuntur vitales animalesque spiritus, cerebri neruorumque necessarium alimentum: tetrior sanguis puriori iam consumpto sensim sufficitur; interuertitur humorum temperies; sanguis exuperat aut aduritur; & sic paulatim destruitur pulcherrima illa machina, decrescitque eâ lege, qua creuit; destruitur, vt constructa est. Quid hic de morbis conqueri potest homo, cui vel modicè perspectum est quòd homo sit? Dolores, inquis, tam vehementes esse & porrò intolerabiles. At sanè non omnes esse eiusmodi est in confesso. tu vero hos quòd sustineas, natura id fert tua, aut fortè quâ naturam oppressisti nimia ingluuies. Hoc iam tamen non disputo; istud ago. 23.

Morbos sæpe multos & vehemẽtes immittit Deus, vt

An non tibi iam ostensum est, terminum tibi à Deo præfixum esse, eique fassus es te prorsus acquiescere? Id iam peto; si murus aliquis aut ædificium hodie complanandum prorsus sit; & vesper ingruat tum cùm adhuc magna stat molis destruendæ pars; quid 24.

quid aget is qui domum penitus illo die deiectam vult; quòd suis id conducere rebus censeat? Sanè augendæ sunt operæ, accersendæ plures valentioresque manus, quæ validis ictibus superent structuræ pertinaciam. Rectè. At non vides ita tecum agi? Designatæ tibi mortis hora est in ianuis; valido tamen es robustoque corpore; nihil admodum in te detriuere morbi præteriti, segnes operæ, lentæ manus. & tamen destruenda est post duos menses tota fabrica; artifici sic visum Deo. Plures itaque profectò validioresque morbi, corpori tam firmo admouendi sunt, vt rem absoluant. tantam verò vim, sine magno cruciatu, inferri non posse manifestum est: hos tamen perferre necesse est, ne tuo tempore non moriaris. Non tantis exagitantur doloribus inualidi iam, ætateque fatiscentes senes, aut passim etiam fœminæ. In his enim, non multum roboris fuit aut firmitatis, in quam morbi, nexum corporis dissoluturi, valide incurrerent: & sic parum in fœminis passim est laborandum, in illis verò senibus iam & exesis, diu per annos plurimos laboratum est; sensim subtracta cæmenta, nerui molles, musculi flaccidi, pertinacia ferè nulla; & sic morbi placidè rem suam agunt, & modestè. At verò, vt te demoliantur virum oppidò fortem & robustum, vi sanè ingenti multisque morbis opus est, vt citò rem conficiant. Vbi verò admouetur magna vis, nil mirum, clamores excitari & tumultus.

præfinito tibi tempore moriaris.

25. Cur autem tanto molimine mecum agitur, inquies, cur non molliores adhibentur manus? Non audis? iam dixi: vt tuo prorsus tempore moriaris. Fateor, leuiori morbo exstingui poteras: at ille vt te conficeret statodie, longè citiùs debuerat incepisse. à decem annis languere debueras prout valido es beneque compacto corpore, vt iam post duos menses, lentè & sine dolore magno, sensuque morereris. An vero tam longa tabes conduxisset rebus tuis? vitam traxisses miser; lenteque dum moreris, nunquam vixisses bene: nec quidquam, aut te aut fortunâ tuâ dignum, potuisses gerere, languido & emarcido corpore: vixisses itaque incommodè, neque adeò morereris admodùm commodè. Iam verò vixisti commodè annis pluribus; an hoc tanti non est, vt propterea moriaris paulò incommodiùs? En an non egregium Dei inuentum morbi sunt? vt longam impertiatur valetudinem, nec tamen vltra præfixum tempus viuas, con-

Et hoc magno sanè beneficio, nempe vt diutius cõmodis præteritæ vitæ fruereris.

gerit operas, breuique conficit incommodo, quod leuiori quidem, sed longè diuturniori fuerat absoluendum. Non tamen hîc hæreo, vt morbos præclarissimum esse Dei inuentum penitus conficiam: pleniùs id est demonstrandum.

Morbos vehemẽtes immittit Deus, vt libenter exeamus ex hoc corpore.

Doles tu tuo corpori tam malè, esse vndiq; te vrgeri doloribus, 26.
nec vllas à morbis ferias dari. At scin quo consilio tanta incommoda permittat aut immittat Deus? Dicam; sanè vt tanto libentiùs ex hoc corpore excedat anima, in quo se præsentiscit haberi tam indignè. Virtus nostra est, volentes mori; abire ex hoc corpore, cum abeundum est, non extrahi inuitos. Atqui vt non inuitus abeas, corpus ipsum quod nimis adamas, molestiam tibi facescit & negotium. Quis enim adeo iners sit, vilisque animi, vt ædibus hospitis per vim velit immorari, à quo excipitur vultu ad omnem torui tatem composito, imo & violentè protruditur domo? At verò id tibi; mortalis, planè persuasum sit, quod præclarissimè monet Seneca, *non domum esse hoc corpus, sed hospitium: & quidem breue hospitium: quod relinquendum est, vbi te grauem esse hospiti videas.* An verò tam vrbanè tecum agitur hâc in domo, vt ei tam præ ractè adhæreas? *Non videmus*, ait Seneca, *quam multa nos incommoda exagitent, quam malè nobis conueniat hoc corpus? Nunc de ventre, nunc de capite; nunc de pectore ac faucibus querimur, aliàs nerui nos, aliàs pedes vexant; nunc dejectio, nunc distillatio: aliquando supersit sanguis, aliquando deest: hinc atque hinc tentamur & expellimur. hoc euenire solet in alieno habitantibus. At nos corpus tam putre sortiti, nihilominus æterna proponimus, & in quantum potest ætas humana protendi, tantum spe occupamus.* Ita ille. Sed quòd ego magis miror, tam putre corpus adamamus: quid facturi, si ne morbis quidem foret obnoxium? expellimur per vim & ab hospitio detrudimur, & tamen expellenti inhæremus; quid facturi porrò, si blandè excipiamur, corporique, velut lecto rosis facto, anima incubet ad delicias? certè mortalitatis nostræ tunc pœniteat, dolebitque homines quòd simus. Quotidie accidunt vires, corpus emarcescit. *& tamen* inquit sapientissimè D. Gregorius, *superba mens nostra*, nimiumque affixa corpori, *adhuc non vult hoc sponte deserere, quod quotidie perdit inuita.* Quid hâc re fieri potest stultius? sape tandem, ô homo, si homo es, & non animal rationis exors: de serenon grauatim deserentem te. Inurbanum habes hospitem,

Sen. epist. 20.

ſpitem, hoſpitium incommodum; idque ſummâ induſtriâ à Deo ſic, & ex arte eſt compoſitum, vt tædio tandem victus, ſponte tuâ & non inuitus, ex hoc moleſto, corpore dicam an ergaſtulo, liber abeas, alioquin expellendus etiam ingratiis. En rurſus morborum præclariſſimum inuentum.

27. Adde denique, morbos id etiam adferre commodi, quòd dolores vltimos aculeoſque, vt ſic dicam, mortis retundant, ſic vt à moribundo ſæpiſſimè vix percipiantur. Pulchrum enimuero naturæ ſeſe diſſoluentis artificium. Quòd ſi ſano vegetoque corpore, plenis vt aiunt ſenſibus, neruorum conuulſiones, viſcerum coarctationes, palpitationes cordis, mortiſque tormina, per quæ tandem anima exprimitur, eſſent ſufferenda; ſine dubio non parua foret carnificina mors. Fatebatur id morti iam proximus, quam ſuis ipſe manibus conſciuerat miſer Saul. Ferro incubat, auellitur per vim ex vegeto corpore infelix anima: non patitur exæſtuantis doloris vehementiam: *tenent me*, inquit, *angustiæ*: nec mirum, *& tota anima in me eſt*. At huic incommodo benè prouidit ſapiens Deus. Morbos præmittit, quibus animales vitaleſque ſpiritus exhauriantur paulatim, à quibus eſt omnis ſenſuum vigor: hebeſcit itaque caro, tactus obtunditur, quin & phantaſia ipſa, in quâ maximus pœnæ ſenſus reſidet, debilitatur, & ſæpè etiam prorſus occluditur; ſic vt torpeat, neque vllo ſenſu moueatur. Cùm autem maximus & præcipuus, neruis, muſculis, cæteriſque organis, per morbos ereptus eſt ſenſus, tum verò cætera morbi peragunt, deijciuntque, quæ reliqua eſt, corporis machinam; magnâ quidem vi & conuulſione membrorum, ſed exiguo ſanè ſenſu morientis.

Per morborum vehementiã lenitur dolor, qui in mortis articulo ſentiretur.

2. Reg. 1.

28. Non eſt itaque, quòd mortem ob morbos, mortis prodromos, crimineris. Maximum morbi ſunt naturæ diſſoluendæ beneficium; cùm ad hoc potiſſimum inuenti ſint. *Primò*, quidem vt moriaris, qui mortalis es, & mori debes. *Secundò*, vt tuo quod tibi præſtitutum eſt tempore moriaris. *Tertiò*, vt non inuitus, *Quartò*, etiam vt ſuauiter. Patere igitur morbos, qui mortalem eſſe pateris te. Neque rurſus caput tibi obtundito, vt moriturus morbi genus eligas; neſcis enim quid rationibus tuis conducat, quid vires tuæ ferant, mortiſque ſuo tempore oppetendæ neceſſitas. Diſpiciat hæc, qui omnia & omnibus proſpicit; tuum eſt benè expendenti ſingula, morboſque viribus tuis commetienti Deo, ſeriò acquieſcere.

Collectio argumentorum.

§. V.

Ostenditur mortem, ob æternæ salutis aut damnationis periculum, timendam non esse; neque idcirco horam mortis præsciri debuisse.

ILlud verò palmare est conquerendi genus, quod homines vitæ 29.
suæ retinentissimi, ab æternæ salutis, quæ à mortis articulo dependet, incertitudine, passim petunt. Mori, aiunt, non esset adeo difficile, nisi post hanc alia restaret vita. At verò ego contrarium assero; & quidem mortem naturæ infestam & timendam esse dicerem, nisi alia prorsus miseram hanc vitam exciperet, eaque longè felicissima. Quis enim vel ex ergastulo detrudi patiatur se, si nulla prorsus alia suppetit habitatio? Iam verò licet ex hoc corpore expellatur anima, parum id sanè curat; nihil hâc in parte inuita patitur, quin imò gaudet migrare se. scit enim quò exitura sit; æterna ob oculos habet, in quibus beneuolè & per summam humanitatem excipienda est, cælorum tabernacula; eò auolat, hæc suspirat.

Querela de morte ob incertitudinem vitæ æternæ.

Suspirare tu quoque videris mihi, illudque identidem inge- 30.
mere, imò & conqueri, tam incerta mortis hora quòd sit, à quâ tamen tota deinceps pendet æternitas. Quantæ enim id infelicitatis est, incautum nihilque tale cogitantem subitò aut casu, aut suffocatione, aut hominis nefarij manibus opprimi, oculosque claudere non nisi in alterâ aperiendos vitâ? iudicem interea subitò conspicere, è cuius iam iam ore, æterna felicitatis aut damnationis danda est sententia? Quid horribilius, quam lethali scelere correptum mori, nec seriæ pœnitentiæ tempus dari? Et verò, quamuis nulliùs sibi grauioris noxæ conscius quis sit, certè summum beneficium maximèque optandum esse nemo negauerit, ad mortem piè subeundam, seriò se posse componere, operibus bonis sanctisque attentiùs incumbere, sesèque per Ecclesiæ Sacramenta, ad futuram luctam fortiter subeundam, magnis animis comparare. Hæc autem tanta bona, nobis eripit mortis hora semper incerta, semper dubia, & idcirco cum anxietate semper expectanda. O si hanc saltem scire liceat! quanta illico

illico ſuboreretur turbatæ menti pax, quanta tranquillitas!

31. Egregiè enimuero tuas partes ſuſtines, qui ad vltimum vſque halitum inuenis, Deo quod opponas. Antequam tamen tibi reſpondeam, iſtud quæſo memineris; quòd ſi tantæ felicitatis eſſe ducas, horam mortis præcognoſcere, certè morbis tantopere conuitiari non debuiſſe te; nam eccum alterum, quod tibi à morbis datur beneficium. mortis inſtantis nuntium tibi ferunt, eamque dicunt eſſe in ianuis. Quid verò, vt tutè fateris, felicius tibi poteſt obtingere, quàm mortis momentum præſcire? nihil autem refert: an Angelo reuelante, an morborum vt ita dicam clamoribus, id reſcias, modò ſcias quæ demùm agatur res.

Idcirco per morbos admonet Deus.

32. At ſera nimiùm eſt, inquies, iſta mortis denuntiatio, quàm vt votis ſatisfaciat: multo enim antehac tempore aperienda foret fatalis hora, nuntius gratus vt ſit, opportunuſque rebus omnibus ritè peragendis. Itane verò? Age itaque en decretum tibi mortis aſſero. Euoluto ab hoc die anno, moriendum eſt tibi: ita perpenſis omnibus ſtatuit Deus. Illud porrò iam quæro, quid poſt annum moriturus, hâc horâ, quam nunc viuis, à te factum voles? fac ſanè id modò; & æquè ſecurus huius horæ morieris elapſo vitæ tempore, ſiue præfixum vitæ momentum præſciueris, ſiue etiam ignorâris. Neque verò de hâc horâ, quâ benè egi magis ſollicitus eſſe debeo, ſiue cras mortem oppetam, ſiue poſt annos decem. Quod ſi autem iam agis pœnitenda aliquando, certè iam mentem moreſque muta, & non habebis quod pœniteat, quandocumque demum moriturum. Quid enim refert ſcire te an neſcire mortem tuam, vt benè viuas hodie, cùm id probè ſcias, quid hodie à te requirat Deus? Equidem illud credo, te nullius grauioris tibi culpæ conſcium, modeſtè agere res tuas, vacare pietatis officijs, domeſticæ aut etiam publicæ rei curam gerere, prout tua fert conditio, eaque agere quæ virum probum decent. Iam ſic tecum ratiocinor, quod ſi poſt menſem moriturum ſcires te, aliquamne neceſſitatem aut legem aliam à Deo tibi impoſitam crederes agendi, aut alia, aut maiora, quàm quæ iam agis, ignarus mortis? Ego certè non arbitror: nam cùm Deus fatalem mihi horam, exactè calleat, nunquam tamen præceptum vllum de vitæ ratione immutandæ mihi manifeſtat. Itaque cùm ea ago, quæ ſtatus mei ratio exigit, certus ſum ea me agere, quæ modò agere me vult Deus.

Vt modo bene agas, nil refert ſcire te an neſcire, quãdo moriendũ ſit.

Quid

Quid igitur interest, scire me an nescire mortem meam; cùm neque mortis conscientia, neque eiusdem ignorantia, quidquam vicissitudinis rebus à me agendis debeant, aut etiam possint conferre? Certè si cras moriturus sum, aliud hodie præstare non possum, quàm quod vult Deus. Idem autem vult à me præstari mortis conscio & ignaro.

Neque melior ad mortem cõparatio, quã in ipso mortis articulo, agere quod Deus à te requirit.

At verò, inquis, si scirem cras mihi è vitâ discedendum esse sanè orationi vacarem impensiùs, totum me coram Sanctissimâ Eucharistiâ in terram supplex coniicerem, vt sic in charissimi sponsi conspectu animam exhalarem. Ita tu quidem, & pro sensu tuo piè. Verùm cùm Deus iam resciat te crastino moriturum die, nihil tamen eiusmodi tibi præcipit; præcipit autem rebus tuis vacare te, officio satisfacere, domum curare & liberos. Iam quæro, quam tu conducibiliorem, ad bene moriendum præparationem esse existimas, an agere ea quæ tibi aut mortis timor, aut etiam priuata deuotio suggerit, an verò ea quæ requirit Deus? requirere autem ea quæ officij tui sunt, nemini potest esse dubium. Profectò mentis meæ fuisse video sapientissimum & piissimum virum Vincentium Caraffam Societatis nostræ olim Præpositum Generalem. Is cùm à prandio, de more societati nostræ visitato, laxaret animum; vrgeretque quispiam quid tandem acturus esset, si extemplò ipsi moriendum foret, *Ego verò* ingenuè & asseueranter dixit, *non aliud agerem, quam quod in præsentiâ ago*, id est, *animo relaxando vacarem: non inquam aliud quàm hoc ipsum agerem.* Asseueranter id dixit Vincentius, sed intrepidè id peregit Rodericus de Hormazas, raræ inter culinæ sordes virtutis vir. Is ab Angelo tutelari, mortis postridiè instantis admonitus, manè quidem piissimè sacram synaxim accepit; toto deinceps die, culinæ pro vt solebat, coquus vacat, vesperi fratribus accubituris parat, & verò porrigit. peractis omnibus, ad lectulum sese, sanus vt videbatur vegetusque confert; sacro Oleo se inungi postulat; nec mora, placidissimè emoritur. Hæc tu qui audis, quid cogitas? sanctos eos fuisse viros inclamas, animas innocuas, conscientiâque rectè factorum fretas. Talem & te esse existimo nulli certè lethali culpæ obnoxium. Verùm si sancti erant, cur non etiam sanctioribus operibus vitam concludunt? an ea sanctorum virorum est, in mortis articulo, sat digna occupatio, animum ex lege relaxare, cœnamque instruere? Est sanè: neque

33.

Bartolus in eius vitâ l. 1. c. 10 in fine.

Siguenza in hist. Hieronymianorũ.

neque vlla est dignior, quàm quæ ex Dei mente sit actio. Dei autem mentem Vincentio quidem declarabat Religionis lex & consuetudo, Roderico autem à Præpositis iniunctum coquendi officium. Hoc age hodie, quod hodie exigit à te Deus; neq; præstantiorem morti præparationem potes præmittere, moriturus etiam vesperi: nunquam mors inueniet te meliùs occupatum.

34. Sed quid si incautum opprimat, aut isthic loci, vbi nulla Sacramentorum ritè suscipiendorum datur occasio? Dicam: hoc si contigerit, præsertim si nullâ culpâ meâ, mecum ipse tum statuam sine Sacramentorum adminiculo, emori me, Deum voluisse. Neque propterea magis conquerar, quàm de optimo patre reuerens filius, quod sibi in patriam reuersuro, cum de necessarijs impensis optimè prospexerit, non tamen adhuc longè lautius viaticum erogarit. Viaticum certè Deus morituro si concesserit, erit profectò infinitas quòd agam gratias pro tanto beneficio; sin verò denegarit, acquiescam illicò, & sanctissimam tam boni Patris adorabo voluntatem. & fortasse hâc tam promptâ voluntatis meæ cum Diuinâ conformatione, non parum eius meriti compensabo, quod Sacramentorum perceptio contulisset. Neque verò hæc à me ita dici cogitate, quasi si solatium subitò morituris ostendam ea sapientissimæ & verò sanctissimæ, diuinarumque rerum apprimè conscia Gertrudis mens fuit & responsum, planè heroicum & dignum Virgine Deo penitus dedicata. Longo sanè tractu montis, in profundam vallem, immani lapsu cum decidisset casu nescio quo, illæsa tamen & innoxia surrexit, non exigua edens signa lætitiæ. Nemo non crederet gaudere Gertrudem, mortem quòd euasisset; at verò lætabatur illa se tam prope à morte abfuisse: &, ah inquit, pia Virgo, quam fortunatus fuisset casus hic, si totam me meo sponso coniunxisset! Admirabatur dictum adstantium aliquis; &, nonne pœnituisset, inquit, si sine sanctæ Ecclesiæ Sacramentis, ex hâc vitâ fuisset decedendum? Erubuit Virgo; & sanè, respondit, longè ampliùs pœniteret me, si vel in minimâ etiam re aut atomo, sanctissimæ Dei voluntati me non penitus conformarem. Quid ad hæc Sanctorum religiosissima exempla reponis modò, tu qui nescio quo Sanctitatis prætextu, mortem non tam rectè vis instituere, quam detrectare? Essne aliquid quod opponas? aut mortem cur exhorreas?

Etiamsi subitò & sine Sacramentorum perceptione moriẽdum foret.

D. Gertrud. l. 1. insinuat. diuin. c. 11.

Nunquam melius morieris, quàm cum moreris, etiamsi infelix tibi obtingat æternitas.

Est sanè, inquit, idque præcipuum, quòd ab eo temporis articulo tota dependeat æternitas. sit id vti dicis. An idcirco detrectanda vnquam mors, an potius rectè componenda vita, vt eam consequaris mortem, quam felix æternitas sit secutura? Non tamen id iam dico. illud nunc assero, quod fortasse minimè expectas, vt os tibi penitus occludam. Quocumque demum tempore moriturus sis, benè an malè finiturus vitam, in statu gratiæ discessurus an hostis Dei; nunquam tamen opportuniorem nacturum te horam quâ moriaris, quam eam quæ tibi morituro obtinget. Quid si ergo mortalibus peccatis obnoxium mors inueniat? an non illico ad æternas pœnas infelix anima rapietur? Rapietur certè. Quô pactô igitur opportunè, & è re suâ ex corpore egreditur anima æternùm peritura? Dicam, non quid ego, sed quod grauissimi censent Patres. Illud in primis certum est, homines sceleribus immersos, longâque improbitate implicatos, neque à peccatis si pergant viuere discessuros, per summum Dei beneficium ex hâc vitâ rapi, ne longè sibi grauius supplicium peccando conscisant. Nam vt rectè D. Ambrosius, *Impio amara mors, & tamen amarior vita quam mors; grauius est enim ad peccatum viuere, quam in peccato mori; quia impius in quantùm viuit, peccatum auget; si moriatur, peccare desinit*, minoribusque iam excedit pœnis obnoxius, quam si seriùs moreretur. Beneficium est itaque ipsis vitam vel inuitis eripi, vt rectè alio loco Ambrosius, *ne plura delinquant, quibus vita, fœnus est delictorum.* Quid, quod & gratulandum esse de tam infaustâ morte contendit mitissimus cæteroquin Bernardus? *Magis*, inquit, *oportuit eis gratulari; siquidem bonum est ei, si sic agere perseuerat, vt flagitijs eius, quibus voluntas modum non ponit, vel necessitas finem ponat, expedit ei qui semper in animâ moritur, vt corpore citius moriatur.* Consentit planè magnus Chrysostomus, illudque addit ad rem meam maximè quod facit. *Gaudeamus igitur & nos, cum iustum viderimus interijsse, vel potius quando aliquem etiam ex desperatis. Nam ille quidem discedit laborum suorum mercedem accepturus; hic verò quidpiam de peccatorum suorum numero detraxit.* Ita ille. 35.

Vt docent aliqui sancti Patres.

D. Amb. l. de bono mortis c. 1.

D. Amb. l. 2. de Abel & Cain c. 10

D. Bern. serm. de fallacia præsentis vitæ.

D. Chryf. in epistolam ad Philip. tom. 3.

Scio equidem quid repositurus sis. Nempe sceleratum illum si vita superesset, eam in melius commutare potuisse. Verùm est potuisset quidem: sed an tu facturum fuisse existimas, id quod potuit? 36.

potuit? audi Chrysostomum. *Sed fortasse inquis, vitam viuus*
Ibidem. *mutasset suam. At non illum rapuisset Deus, si vitam esset mutaturus.* Et ne Chrysostomum hæc temerè dixisse arbitreris, en vt
D. Chrysost. hom. 69. ad populum. sibi constet, alio loco idem tractans argumentum, *& si*, inquit, *peccator quidem abijt, peccata repressa sunt, nec si Deus pœnitentiam acturum sciuisset, ante pœnitentiam eum rapuisset.* En quam constanter & dilucidè idem asseueret. Quæ quidem omnia de concursu ordinario gratiarum intelligenda existimo.

37. Act. 1. 7. Collige tandem mentem animosque quisquis es, neque de momento *quod Pater in suâ potestate posuit* sis sollicitus, sed vitæ momentum hoc, quod in tuâ manu est seriò compone. Bonam
Sen. ep. 30 mortem vis, benè nunc age & bonam facies. *Tu quidem*, vt rectè Seneca *mortem, vt nunquam timeas, semper cogita.* Sed mortem dum cogitas, naturæ finem cogita, non supplicium. Superuacaneus est timor ille sollicitus, imo & vehementer noxius; nam præsentis vitæ vsum & dulcedinem eripit, neque ad futuram mortem, fausta vt sit, quidquam magnopere confert. Agamus itaque quod agendum est; benè viuamus dum viuimus, rectè morituri dum erit moriendum.

§. VI.

Cum mortis momentum aduenerit, hoc age, vt bene, hoc est, lætus moriaris. Actus, quos excitare debent morituri, exponuntur.

38. ITaque cùm iam ad vitæ terminum peruentum fuerit, tum verò summo animi impetu adnitendum est, vt vltimum articulum bene claudas: vt quodcumque in ante actâ vitâ peccatum est viuendo malè; corrigas moriendo benè. Benè autem mori, nihil est aliud quàm libenter mori. reliqua enim quæ suscipienda sunt Sacramenta cum deuotione suscipere, est bene se ad mortem præparare. Benè autem ad mortem se componere, non id quidem adhuc est bene mori; istud enim est bene viuere, cum mors propinqua est, aut tum cùm moriendum est. Benè autem mori esse censeo, libenter, lætè, & gratanter ex hâc vitâ discedere. Sic post longam nauigationem lætus est viator, cum portum *Quid sit bene mori.*

tum conſpicit; lætior cùm tenet: nec inuitus è naui extrahitur; exit ſponte ſuâ, gratiſque nauis Gubernatori actis, & ſocijs magnâ humanitate valedicens, patrios lares gaudens ſubit, miriſque incedit imò & diffluit lætitijs.

In mortis articulo agẽda Deo gratia pro vitæ vſu, eiuſque Diuinâ prouidentia.

Hoc tum præcipuè agendum eſt, Auditores, cùm non tam vitæ, quàm moleſtiſſimæ nauigationis finem tenemus: ad portũ appulſa eſt nauis. Quid impalleſcimus, vbi patria eſt præ oculis? Exeamus profectò ex hoc corpore; è naui in portum deſcendimus. Totaque cum tam feliciter inſtituta ſit nauigatio, certè primum illudque præcipuum, quod à nobis requiritur, eſt, vt ingentes planè gratias agamus Sapientiſſimo illi nauis noſtræ Directori Deo; primò quidem, quod nauis huius corporis inquam vſum, mare mundi enauigaturis tam liberaliter conceſſerit: deinde quod tantâ curâ, ſapientiâ, & ſtudio, totam vitæ noſtræ ſeriem ita ſit complexus, vt eam tandem ad finem vſque, & quidem feliciſſimum perduxerit. 39.

Excitet ſe anima, vt libenter excedat ex hoc corpore.

Tum verò ad te ipſum mentem reflectens, Eia, inquies, quid ſtamus? quin exilimus in optatam tam diu patriam? Egrediendum eſt Anima; vita iam peracta eſt, laboribus finis imponitur; & *amodo iam dicit ſpiritus vt requieſcas à laboribus tuis.* Scena peracta eſt, actum eſt ſatis; à theatro diſcedendum eſt. Rectè Seneca: *Quomodo fabula, ſic vita: non quamdiu, ſed quam bene acta ſit, refert. Nihil ad rem pertinet quo loco deſinas; quocumque voles deſine: tantum bonam clauſulam impone.* Impones autem ſi diſcedas volens; velis verò, quia totius fabulæ aut vitæ auctor Deus ita ſtatuit. 40. Apoc. 14. Sen ep. 77. inſi. ne.

Eoſq; actus quã poteſt intẽtiſſimè eliciat.

Itane ſtatuit? hunc ergo finiendæ vitæ articulum mihi deſignauit Deus? ita ſit; ita volo vt ſit; nec verò volo inuitus. Perſonam quam mihi Deus impoſuerat in hoc vitæ theatro, peregi. Itaque veſtes ſcenicas deponamus; *cupio ſanè diſſolui & eſſe cum Chriſto.* Sentio vires labant, ingruit mors; diſcedimus tandem Anima, deponendum eſt corpus; ſed veſtis tantum fuit. Itaque vt rectè Chryſoſtomus *tantâ facilitate corpus exuamus, quantâ veſtimentum*: ad ſomnum componimur, idcirco denudamur. Vale interim infirma caro; vale incommoda quamuis, chariſſima nihilominus laborum nauigationiſque peractæ ſocia: in ſepulchrum, id eſt, in patriam domum inferenda es, non tamen à me prorſus deferenda: illic quieſce donec optatiſſima dies aderit, 41. Ad Phil. 3 Chryſoſt. hom. 67. ad pop.

Cum vitâ ſpe reſurrectionis ſui corporis;

rit, quâ in feliciſſima, nunquamque diſſoluenda redituri ſumus oſcula & amplexus. Tu quidem in puluere dormies, noſtra autem conuerſatio in cælis erit. Verùm id tibi ſit ſolatio: *inde etiam Saluatorem expectamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* tum verò *ſimul cum Domino erimus.* Vale itaque corpus, ſed non æternùm; Deus ita ſtatuit, Deo parendum eſt.

Ad Phil. 3

42. Et vos quoque, quotquot hic adſtatis, nauigationis meæ ſocij & commilitones pij, ſaluere iubeo; non abeo à vobis, ſed præcedo. portum teneo, congratulamini felici. Vos porrò quem inſtituiſtis tenete curſum, & breui ſalua erunt omnia. Aliudne eſt quod à me requiris ô magnæ vitæ mortiſque Arbitrer? Præſto ſum, & mori paratus & viuere. Viximus, moriendum eſt. Itaque corpus depono; ad ſomnum compono oculos. In manus tuas commendo, quem reddo ſpiritum. Tu repetis, ego dò. Nihil ampliùs à me requiritur; itaque inclinato capite, *In pace in idipſum dormiam & requieſcam, quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.*

Et ſic ab eo volens diſcedat.

Pſal. 4.

TRACTATVS XVI.

Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete: & pax Dei quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras in Christo Iesu Domino nostro. *ad Philip.* 4.

Synopsis omnium præcedentium Tractatuum seu demonstratiua deductio, & connexio totius argumenti.

PROOEMIVM.

FInis hic demum fuit, & scopus, ad quem totus hic ratiocinationum decursus collimauit, Gaudium ab Apostolo tam magnificè commendatum vobis ob oculos ponere, artemque exponere, quâ certò, facili tamen illud negotio consequamur. Non enim totam diuinæ Prouidentiæ seriem vobis clarè & fusè explicare, fuit animus: illud tantum attingendum arbitrabar, quod videbatur sufficere, ad excitandam ingentem planè de Diuinis decretis opinionem: quâ ritè conceptâ, procliue videbam fore vnicuique voluntatem suam tantæ Menti, in omnibus quæ eueniunt, exactissimè conformare. Vnde tandem existet verum gaudium, & lætitia, siue quies mentis, quâ dabitur syncerè frui, medias inter procellas, & turbines huius mundi constitutis. Quod an apud vos consecutus sim, sanè ignoro: illud tamen scio, neque mihi voluntatem rectè cogitationes meas exponendi, neque vobis studium percipiendi, attentionemque defuisse.

Istud operæ pretium futurum arbitror, si non singula quidem retulero, sed artem totam procurandi Gaudij, tantâ rerum farragine fortasse implicatam, aut certè non tam clarè expeditam, diluci-

dilucidè quasi per epitomen, vno velut aspectu contemplandam proposuero. Totum orationis filum retexendo, manifestum faciemus artificium; illudque fiet euidens, omnia vnico tantùm, eoque firmissimo argumento fuisse superstructa. Itaque veritates solas, quarum rationes fusè expossui, meditabundus percurram; & euellam radicitus, vti spero, quas hactenus habui peruersas de rebus opiniones, vnicam ferè perturbationum omnium, quæ me vndique iactarunt, originem & fundamentum.

INTRODVCTIO.

1. DAte mihi hanc veniam, Auditores, vt mutata paululum dicendi ratione, non tam ad vos, vti fieri assolet, tota dirigatur oratio, quàm ad me ipsum. Sinite me mecum agere res meas, & cogitationibus meis meditabundum interesse. Omnia enim quæ circa me sunt, cùm plena tumultibus esse audiam, egredi sanè domo meâ non ausim; ne perturbationibus, quibus totus, quantus est, mundus inuolui dicitur, incautus implicer, & abripiar. Domi itaque meæ me contineo, cogitationes omnes intra me retraho; visurus porrò an quietem, tranquillitatemque, quam solam verum gaudium esse scio, quamque foris inuenire non est vbi perturbantur omnia, intra mentis meæ terminos non detur reperire. Sanè Gaudium vult Seneca, cuique domi suæ nasci. Agite igitur, totamque cogitationum mearum seriem, attentâ vos mente sequimini: Quietem animi in hoc rerum tam perturbatarum labyrintho si reperero, filum habebitis, quo vos ex omnibus rerum viciſſitudinibus facilè extricabitis; quietemque animi, ad quam omnes suspirant, quamque consequuntur pauci, tandem dabitur obtinere. Hâc mihi per humanitatem vestram datâ veniâ, ad quietem me compono, & rationes meas mecum sic instituo.

In animo quærenda est quies, non verò extra se.

TRACTATVS I.

2. NEmo ferè vllus est qui non asserat, imo & conqueratur, orbem vniuersum plenum esse molestiis, difficultatibus plenum. Et quidem inducor facilè, vt id ita esse credam, tam multi cùm sint, qui id affirment viri omni exceptione maiores, & verò

Tumultibus & molestiis plenus dicitur esse mundus.

rò etiam rem experti. Verùm cùm moleſtiarum tantarum originem examino, illud mihi obtrudunt illico, non aliam tot perturbationum eſſe cauſam, quàm quòd totus quantus eſt *Mundus in maligno poſitus ſit*, idcirco omnia peſſum ire, idcirco turbari omnia, nemini quietem dari. *Omnes quæ ſua ſunt quærunt*, & ſua dum quærunt, inueniunt aliena; nec inueniunt modò, ſed & rapiunt, iure an iniuriâ nulla eſt curatio. Amici plerumque ſunt aut ignoti, aut incerti; & hi etiam pauci; inuidi, calumniatores, contumelioſi, hoſtes, publici & manifeſti. Vix quidquam ratione geritur, ſed pro potentium lubentiâ, aut potiùs libidine dominandi. Si quis vir frugi eſt, contemptui eſt; deprimitur, irridetur. Vt ad ſumma quæque faſtigia eleueris, ſufficit eſſe adulatorem inſignem, mendacem, periurum, linguâ procacem, promptum manu, audere quidlibet, nihil timere, ne Deum quidem. Si verò corpus ipſi noſtrum, animumque attendimus, Deus bone, quot viciſſitudinibus implicamur miſeri! Iam morbis iactamur, & quidem innumeris; iam vtcumque valetudine fruimur, iam languoribus, doloribuſque diſſoluimur. Si homines quibus conuiuimus attendamus; iam ab iis amamur, iam deſerimur; iam prodimur, iam iuuamur; iam in cælum laudibus extollimur, iam in barathrum vſque detrudimur. Qu'd, quòd fortunâ iactamur variâ, rarò proſperâ, ſemper ferè aduersâ? Imò nec cælum ipſum ſatis cōſtat ſibi. iam ſunt hyemes frigidiſſimæ, iam æſtibus terra aduritur; iam conſtringuntur frigore membra, iam caloribus diſſoluuntur; iam ſerena eſt aura, iam pluuia, iam dubia, nunquam eadem. Hinc fames, hinc frugum malignitas, hinc peſtilentes auræ, hinc morbi innumeri, hinc denique intempeſtiuæ mortes. Quid vero iam bella commemorem tum domeſtica, tum publica. Strepunt litigantium clamoribus Iudicum ſubſellia; tremunt ſub Martis furore Prouinciæ integræ; domi & foris omnia perturbantur. Et quis tot inter tumultus, tot inter gemitus & ſuſpiria, tot inter clades & ruinas, quis inquam dabitur quieſcendi modus? Quo pacto ſtabo ego, vbi circa me mouentur omnia?

1. Ioan. 5.

Philip. 2.

Verùm tãtum omnia eſt cuique propria ſci licet phãtaſia aut

Hæc mihi paſſim homines obganniunt, & quidem magno ſupercilio. Verùm cum ea, quæ in animo intus meo aguntur, penitius inſpicio, hominum dicteriis ſtatui non tam facilè credere poſthâc. Video enim mundum immerito accuſari, neque moleſtiarum

lestiarum myriades esse, prout vulgus opinatur, sed tantum vnicam, quæ mihi omne negotium facessit. Ea verò in me ipso est, & quidem vitiô meô. Vnica, inquam, quæ in me perperam dominatur phantasia dicam an peruersa opinio, eaque sola est turbarum omnium quæ in me concitantur origo, aut certè occasio. Commodum me id monuit Epictetus: *Homines turbantur non rebus, sed iis quas de rebus habent opinionibus.* Tota autem opinionis meæ peruersitas in hôc est posita, omnia quòd velim fieri arbitratu meo. Hoc quòd non fiat, idcirco displicent omnia; quæ verò displicent, turbant mentem, cùm eueniunt. Hanc autem ipsissimam esse perturbationum originem, liquidò mihi manifestum est: nam si hæc omnia quæ contingunt modò, meâ directione euenirent, & imperio, etiam si longè deteriori ratione tota volueretur rerum series, & funditus pessum irent omnia, totusque turbaretur orbis, riderem sanè ego omnia, & summa cum animi mei voluptate aspicerem mundi ruinas, quem scio, non nisi voluntate meâ corruere. Placerent itaque tunc ea, quæ modò improbo; quod autem placet, nunquam turbat: id enim est, quod volo esse. Non igitur id dicendum est posthac mihi, mundum vniuersum plenum esse doloribus, plenum difficultatibus, & molestiis, illud tantùm dicamus quod res est, hoc vnicum in mundo mihi molestum accidere, nihil in eo fieri arbitratu meo, nihil inquam agi, prout ego agendum iudico. En tota hominis perturbatio.

opinio, quòd nihil in orbe rectè agatur.

Epict. in Enchi. c. 10.

4. Quod si ergò ppinionem illam, æquam an iniquam nihil moror, si tamen eam vtcumque siq possim deponere, meamque mentem vniuersitati conformando, omnia approbem quæ eueniunt & pro vt eueniunt, velimque ita esse vt sunt: tum certè non video mentis meæ quietem perturbare quid possit, etiamsi tota inuerteretur cæli terræque machina. id enim fit, fieri debere quod opinabar. At fieri non debuit, inquis. Istud vos disputate, quibus vacat esse perturbatis; illudque mox examinauero. Interim ita mea sit fert opinio, stulta ea sit an vero sapiens, parùm refert; hæc satis est quieti meæ: quidquid enim mihi dixerint, non credam ego mihi officere id quod factum volo: volo autem, quia opinor sic factum oportuisse.

Hæc corrigenda, vt quietus sis.

5. Stultè ergò hactenus quieta volui omnia quæ circa me sunt, quietem tot votis desideratam vt obtinerem, qui phantasiam

Et quidem sola; vt tu circes om-

Vt debere fieri prout fiunt.

ipse meam tantummodò ad quietem debui componere, pacata mihi vt sint omnia. Ridiculum id sanè sit, si vectorum quispiam mari vectus, ventos omnes silere velit, vndas quiescere, non moueri rudentes, non inuerti vela, non remos agi, non transcurrere transtra epibatas, non flecti gubernaculum, sed altum omnia tenere silentium, priusquam ad somnum se placidè componat; certè id vult quod obtinere non poterit; & si obtineat, id prorsus fiet damno suo; non enim nauigabit vbi nullus est motus. Sanè dormire si velit, medios inter tumultus ventorum, & classiariorum sua procurantium, imo & aliorum ludentium & debacchantium insanas voces, nullum superest remedium, nisi phantasiam modestè vt sopiat. Sopiet autem, si isthæc omnia ita prorsus fieri debere opinetur, neque cuiquam silentium imponendum esse nisi sibi, vt somnum capiat.

Hoc autem iudicare & velle, in manu vniuscuiusque est.

6. Ita profectò est. Quid ergò demens ego cogitationes meas toto vagari passim orbe patior, cur omnia admordeo, cur iudicium fero de singulis, neque cunctis intermisceo? An componere ego volo, & emendare omnia extra me quæ sunt? Certè dum cuncta sollicitus compono, neminem perturbo magis quam me ipsum, nihil emendo, & solum me excrucio. Quid ergò agendum est mihi. Certè id quod præclarè admonet Epictetus: *Non postulabo posthâc ea quæ fiunt arbitratu meo fieri; sed vt sapiam, ita fieri quæque volam vt fiunt.* Aliorum enim voluntates inflectere, in manu mea non est; meam verò immutare, id sanè est. Si nihil hactenus factum est prout volebam ego, præstat sanè me velle posthâc, facta esse omnia prò vt fiunt. Hoc autem velle, erit facillimum, opinionem vnicam si correxero, iudicemque rectè cuncta fieri, quæcumque fiunt. Hoc si euicero, quieta in animo meo erunt omnia, vtcumque turbetur foris. Epict. Enchir. c. 13.

TRACTATVS II.

7. SIc est inquis. Verùm hic Rhodus, hic saltus. Quo pacto enim omnia rectè agi, rectè mihi persuasero, qui vel oculis ipsis nihil non pessum ire perspicio? Naturam enim si specto, quanta in aëre est sæpè inclementia? modò ventis, procellisque toto cælo decertatur, modò fulmina terram concutiunt, modò hyemes vltra quàm par est frigidæ, modò æstates torridæ, modo fruges

aut

aut vento aut calore absumptæ, modò fame & peste pereunt passim omnia, modò mare tempestatibus agitatum exæstuantes fluctus extollit, quasi si toti orbi exitium minitetur: & hæc omnia rectè fieri dixero, quæ video non ratione, sed casu ferri? Iam verò, si humana specto commercia, quid hic demum rectè fit? An non omnia plena mendaciis, periuriis, falsâ fide, fictâ amicitiâ? An non contentionibus, & litibus fora perstrepunt, bellis prouinciæ? Quîd, quod pessimo cuique tantum licet, quantum lubet; iisque ferè pateant aulæ, dignitates, honores, & diuitiæ, quæ modestis hominibus occluduntur; illi elati, hi humiles, illi in deliciis, hi in egestate summâ. An non hæc omnia casus fert? Quid autem bene fit, quod casu fit?

8. Ita ego ipsemet mecum. Verùm cùm hanc quam pessum ire credò orbis machinam, hominumque commercium adeo turbatum, stare videam nihilominus tam longâ annorum serie, omnesque rerum, cælorum, fortunarum, hominumque vicissitudines ire videam & redire; orbem vniuersum susque deque inuerti, nec tamen euerti, aut à cardinibus suis dimoueri; tum certè grauissima mihi incidit suspicio, gubernatorem aliquem clauo assidere, qui ista hæc dirigat; oculos vt lateat, mentem tamen sanam latere non potest. Sicque mihi video contigisse, quod homini nauticæ rei ignaro, Indico in mari nauiganti, is sanè, cum in vastissimo illo oceano constitutus, transtra cogitabundus obambulat, epibatasque considerat tota transcursantes naui; modò malos conscendere, modò ad carinam se dimittere; modò vela, modò antennas explicare, modò contrahere; modò in ortum proram dirigere, modò in dexteram læuamque deflectere; modò rudentes stringere, laxare modò; omnia pauidus contemplatur, omniumque rationes à nautis dum exigit, nec responsum ab impeditis hominibus æquum fert; nec si ferat, quidquam intelligit, vtpote nauiculariæ artis ignarus planè. Hinc turbata cùm credit omnia (quis enim id non credat, tantam tamque variam vltrò citroque cursitantium epibatarum varietatem dum contemplatur?) toto turbatur corpore, perituramque se prorsus credit, aut vadis impactum, aut malâ fame. At verò cum interiùs gubernatoris conclaue subintrat, hominemque multâ iam canitie grauem, mappæ, quam præ oculis expansam habet, incumbentem sedulò videt, rhomboque desig-

Neque vt hoc iudicemus necesse est scire omnium rerũ rationes. Declaratur id per comparationem.

nantem accuratione maximâ; clepsydras vndequaque pendentes, astrolabia, annulos, quadrantes excipiendæ solis altitudini, pyxidem nauticam, regulas, & circinos elegantissimè confectos, & in rationes graduscq; quæque suos distincta instrumenta dum admiratur; ephemerides denique & tabulas declinationum, refractionum, & altitudinum dum obstupescit; ijsque omnibus vti senem illum, vt cursum nauis dirigat; eum esse qui è conclaui mandata dat, cuique omnis illa epibatarum turba tacita & turbens pareat, tum demum omnis abit illico ex animo timor, & recte agi cuncta credit. An tamen rationes omnes intelligit cur singula imperentur? minimè gentium. Quid igitur hominem paulò ante tam perturbatum sedat? sola quam de naueleri concepit arte & industriâ, ingens & tamen cæca opinio.

Sufficit scire omnia à Deo dirigi.

Itane verò? sola hominem opinio in media morte constitutum placat? Quid ergo me rerum omnium rationibus inquirendis diserucio? Quid mundum tot casibus inuolui queror? Quid me cogitationibus meis perturbo, singula dum examino? Satius est profectò ab hominum strepitu è turbâ sese submouentem altius rem inspicere, & an non aliqua Mens sit quæ cunctis imperet, sedulò perquirere. Intraui itaque Dauide præeunte *Sanctuarium Dei*, conclaue inquam, Prouidentiæ Diuinæ, Sanctioris Concilij aulam, de quâ mihi D. Augustinus in aurem ingesserat, *Nihil fieri sensibiliter, & visibiliter*, imo nullo prorsus modo, *quod de interiore illâ aulâ aut non iubeatur, aut non permittatur.* Intraui inquam curiosus rei; & ecce subitò apparuit *Antiquus ille dierum Deus*; hunc videbam in *conspectu suo habere omnes vias meas*, imo & mortalium omnium. Stupebat sanè mecum Dauid, & admirabundus exclamauit illico; Quid demum hoccè rei est? *Tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam, & omnes vias meas prævidisti. Ecce Domine tu cognouisti omnia nouissima & antiqua: & in libro tuo omnes scribuntur. Ecce tu mensurabiles fecisti dies meos.* Omnia inuestigas, omnia rimaris, omnia expendis, omnia trutinas. Certè stupore percellor, *Non est sermo in linguâ meâ.* Itane aguntur omnia ab vnâ Mente, & quidem vnicâ, quæ mihi casu videbantur volui? profectò humeros iam contraho, incusoque ipsemet me.

9. Aug. l. 3. de Trin. c. 4. Dan. 7. Psal. 138.

Modo ingentem de ipso habeamus opinionem.

De hac igitur, omnia prorsus dirigente Mente, præclaram ego ingentemque opinionem si concepero, facilè rebus omni-

10.

bus

bus acquiescam; & verò eam habere me debere, Diuina cum sit, facilè suspicor: nam vt Epictetum ipsum, quamuis Ethnicum dicentem audio, *Religionis erga Deos immortales* (pro suo errore Diuinitatem in plures diuidit, quam ego in vno adoro) *præcipuum illud est, rectas de eis habere opiniones.* Eæ autem sunt, *vt sentias, & eos esse, & benè iustèque administrare omnia.* Vnde illud consquitur, *Parendum esse eis, & omnibus ijs quæ fiunt acquiescendum, & sequendum vltrò, vt quæ à Mente præstantissimâ agantur.*

Epict. in Enchir. c. 38.

11. Illud itaque mihi iam agendum est, non vt rerum omnium caussas intelligam, vt exinde sentiam omnia rectè agi; sed vt magnam illam de Dei Mente, per quam aguntur omnia, opinionem in me concitem. Neque enim vector ille rei nauticæ ignarus, naucleri studia cum aspexit, illico nauiculariæ artis, instrumentorumque omnium rationes tenuit; ne nomina percepit quidem; verùm singula vt aspexit, suspexit omnia. Visus admirationem, admiratio opinionem de nauclero ingentem peperit, opinio autem omnem detersit animi perturbationem.

12. Opinionem itaque præclaram de Diuinâ Mente mihi vt efformarem, non Deum ipsum contemplatus sum, sed instrumenta quibus vtitur ad dirigendam hanc Vniuersi machinam, curiosiùs aspexi; & quidem maiora primùm, vt quæ in oculos se præ cæteris inferebant. Consideraui totam cælorum expansam pellis instar superficiem, eamque quot stellis tot adamantibus exornatam, tentorium tantummodò esse comperi, quo tota interior tegeretur machina. Tum verò Solis, & Lunæ ingentes globos, magnitudinem, situm, calorem, lumen, cursus varios; terræ verò dispositionem, cauernas, antra, concauitates excipiendis marinis aquis, decliuitatem deuoluendis fluminibus accommodatam contemplatus, omnia percepi ita inter se connexa; distantias, situm, magnitudinem singulorum corporum eam inter se habere symmetriam, vt nec sibi propinquiora esse possint, ne se conficiant; nec verò etiam remotiora, vt mutuò sese influxu, & amplexu foueant, & iuuent. Hoc cum vidi, stupui illico, & magnâ admiratione desixus exclamare lubuit, *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius enuntiat firmamentum. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & sanctus in operibus suis.*

Hanc vt in nobis cõcitemus, considerãtur instrumenta admiranda, quibus Deus vtitur in mũdi directione.

Eaque non casu facta, sed summâ industriâ.

Ridiculum autem, imo & stultum mihi visum fuit, quod ma- 13.
leferiata quædam capita mihi suggerebant, casu & per atomorum incertos lapsus, tam præclaram machinam coiisse. Quis enim non pueriles inter nænias reponat, quasque tædio leuando decantent ad colum anus, si quis magno mihi fastu & verborum apparatu narret, & verò etiam persuadere nitatur, hanc quam hîc videmus molem nullo architecto designante, nullisque adhibitis operarum manibus casu assurrexisse, sic forte sibi incumbentibus infinitis, quæ ex maris littore, vento huc delatæ fuerant arenulis; quæ tempestate cessante sibi inuicem insidentes, columnas aliæ, aliæ muros, aliæ fornicem efformarint, arte nullâ, merô casu? Ne hara quidem aut exile tuguriolum exstrui potest sine artificis ideâ. & hanc tantam machinam, tantâ proportione & symmetriâ, sine Mente aliquâ demens ego constructam arbitrer? Quid, quòd & motus omnes tam ingentium corporum, tot iam annorum millibus eundem cursum tenent, tot inter varietates, implexosque motus semper constantes, & similes sibi?

Ad sublunarii corporum generationē & conseruationem.

At verò cum præclarissima illa cælorum corpora, non eò for- 14.
mata esse conspicio, vt sint, sed vt instrumenta sint, quibus tota naturæ series dirigatur, & verò etiam fœcundetur, & subsistat; tum sanè stupore abreptus fateri coactus sum; *Magnificata esse opera tua Domine, & nimis profundas esse cogitationes tuas*, neque *esse cogitationes similes tuis.*

Quid enim? An non id liquidò constat, lucem omnem è Sole 15.
existere; illum esse per quem noctium dierumque inæqualitas, hyemis, æstatisque vicissitudo, herbarum omnium & frugum diuersitas, amœnitas, fœcunditasque originem suam trahunt? En vt calore suo vapores è mari hauriat, qui frigore postmodum contracti, in nubes coguntur; dissoluti verò rursus, pluuiam tanquam haustra rigandæ terræ opportunè propinant. Hinc ventos, hinc niues, hinc grandinem, hinc fulmina video existere, totamque sublunarium rerum varietatem. Taceo nunc Lunæ labores indefessos; æstum illum maris admirandum quem secum trahit, orbi tam necessarium & commodum, taceo frigidiores influxus, quibus ardor Solis temperetur, fœcunditas terræ & animalium foueatur: taceo ingentes terræ cauernas, in quibus metalla & saxa tam varia, non nisi Solis calore excoquuntur

quuntur; quæ quidem maximam mihi sanè artificis, hæc instrumenta tam aptè, concinneque ad vsus suos adhibentis industriam, magnificentiamque liquidò commendant, præterquam *quod multa abscondita sint maiora his.*

TRACTATVS III.

16. HOc ego dum attentus considero, tum verò putidum planè mihi visum est, quod quidam cum Aristotele Philosophi ausi sunt statuere, Dei Prouidentiam non nisi vsque ad lunam descendere, sublunaria verò non curare. Indignum enim esse, aiebant illi, tantum Numen minutissimis animalculis, herbis, imò & sordibus sese impendere, quas vel manibus contrectare turpe sit viro. Cum hominibus verò non tam rectè agi, vt Deum credibile sit se iis impendere. An enim tantarum fortunarum inæqualitatem, permittat Deus, & scelera non impunè fieri modò, sed & præmiis plerumque affici? *Hinc patet Deum curare sublunaria.*

17. Fœdæ sunt hæ blasphemantium voces, & verò etiam Philosopho indignæ. nescio quo pacto Aristoteli ingenium in Lunâ hæserit. Age enim, quisquis es; Diuinæ Prouidentiæ Censor temerarie. Cælorum orbes curare Deum dicis tu, sublunaria non curare. At verò quis artifex instrumenta artis suæ exacta vt sint curat, ad opus verò ipsum cui instrumenta adhibentur non attendit? Horologium vt horæ designentur conficit artifex; rotas summâ accuratione distribuit, polit, excauat, tympana cochleasque ritè inserit, campanum æs superimponit, appendit pondera: horæ autem vt malleo aut indice designentur id verò non agit; aut si horis vtcumque inuigilet, certè quadrantibus non attendit, minutis verò multo minus; nimis enim hæc quidem exilia sunt, quàm vt iis procurandis sese impendat tantus artifex. Næ tu automatis imperitus es, qui isthæc dicta dicis; næ tu artifici es iniurius. Etenim non nisi vt horæ indicarentur, tota constructa est machina. Machinam ergò curet, qui horas negligit? Et rursus horis attendat, cui minuta ipsa non sunt in pretio? minuta sanè horas constituunt. Hæc si in hoc artifice sunt perridicula; in Deo certè sunt prorsus indigna.

18. Rursus enim cum animum ad ea, quæ in hoc terræ globo eueniunt, sedulus aduerto; illud liquidissimè perspicio, nullum esse *Etiam minima.*

esse in nubibus nimbum, aut ventum, aut meteorum; nullum in mari motum; nullam in terrâ aut animantium, aut herbarum, ne minimi quidem flosculi, aut limacis exortum, qui non à Sole & Lunâ initium sumat, alimentum, & occasum. Illudque vel ex eo collegi clarissimè, quòd motu Soli adempto, breuissimo tempore animalia perirent omnia, totaque terra in squallidas arenas abiret illicò; aut frigore perpetuo constricta, nullum animalibus præstaret vsum. Quis itaque sanus mihi, nisi insanum me reddiderit, persuadeat, cælestes orbes & corpora accurare Deum, sublunaria verò contemnere; cùm istud liquidò constet, solùm ad sublunaria curanda, efformanda, alenda, & conseruanda, cælorum globos inuentos esse, & constructos? Instrumenta hæc sunt: & verò instrumentis inuigilat artifex, operi verò non attendit? Indignum id Deo dicis, exiguùm nimis, Deoq; si ea curet inglorium. Attamen honoris sui quamuis tenacissimum, tamen audio quasi iactantem se, non tantùm quod sit imbrium, sed quod sanè valde minutum est, quòd sit *stillæ roris pater. De vtero eius egressa quòd sit glacies, & gelu de cælo quod genuerit.* De cælo, hoc est per orbium cælestium corpora. Et verò Christus ipse Paterni honoris propagator egregius, palam proclamat, *ne passerem quidem in terram cadere sine Patre suo, omnesque ab eo capillos capitis esse numeratos.* Iob 38.

Neque eã curam indignã Deo.

Et verò, cur Deo indignum dicam ego, minutissimo etiam animalculo aduigilare, nec tamen eum dedecere Solis orbi assistere? quasi verò aut hoc, aut illud Deo dignum sit, si Dei sese impendentis voluntatem excipias. Quinimò si rectè rationem ineo, magis Deo digna est formicæ, culicisque efformatio, quàm ipsius Solis; magis certè admirandum est in illis artificium; nam si tres, quatuorue in Sole motus sint, infiniti sunt in culice. Quid in Sole, formicæ studijs, affectionibus, laboribusque, simile reperies, si animalculi artificium spectes? Verùm ne comparationem instituamus, illud dicam cum Augustino. *Quis disposuit, quis fecit ista? expauescis in minimis, lauda magnum. Qui fecit in cælo Angelum, ipse fecit in terrâ vermiculum.* Nemo autem mihi blasphemus obtrudat, quòd Deus fecerit quidquam indignum se. 19. D Aug. in ps. 144.

Atque ex his omnibus, maximam sanè opinionem concipere incœpi, de Mente, omnia & singula, non maxima modò sed & minima 20.

minima quæque producentis, curantis, conseruantis Dei. Ingens sanè Mens, quæ tanta circumplectitur.

TRACTATVS IV.

21. VErùm quia id mihi in mentem venire poterat, eum qui tantis rebus vacat, operamque rebus tam diuersis vno tempore, varijsque locis impendit, fortassis errare nonnunquam, aut obliuione, aut incuriâ, aut etiam inscitiâ; petitâ priùs à summo Numine veniâ, arcanum illud conclaue aut *Sanctuarium*, altiùs subij, totamque isthic Diuinæ Scientiæ, seu Theologiæ bibliothecam, & quidem non vnicam, sed triplicem sum contemplatus. Deus immortalis! Quid ibi non vidi, quid non stupui! neque tamen libros ipsos inspicere datum fuit; titulos tantùm, & quidem cursim perlustraui.

Ad excitandã ingentem de Deo opinionem consideratur triplex scientia Dei.

22. Ac prima quidem quæ intranti occurrit Bibliotheca, seu Scientia, est ea, quam Theologi vocant, *Scientiam simplicis intelligentiæ*. Simplex Intelligentia, quia nihil extra se operatur, tota in intelligendo consistit. Deus bone quanta abyssus! Hâc enim comprehendit omnes, quotquot sunt possibiles creaturæ; mundos possibiles infinitos, qualis hic quem modò incolimus, vnus est; creaturarum species infinitas, infinita in quâuis specie individua, infinitos Angelos, homines infinitos, infinita animalia, quæ nunquam tamen futura sint, nisi in solâ Mente Dei. Eamque Scientiam ita vidi Deo competere, vt sine hâc Deus non foret. Si enim præter eas, quas condet creaturas, alias possibiles non cognoscat; certè ijs conditis, exhausta erit condendi potentia; nemo enim id conficere potest, cuius ideam nõ habeat animo præconceptam. Illud etiam vidi cognitiones illas, non esse in Deo diuersas, aut sibi inuicem succedentes; sed omnes omninò simultaneas, inuariatas, claras, semperque constantes sibi. Quin imò, id quoque perspexi clarè, omnes illas cognitiones simul iunctas, nihil aliud esse quàm ipsum Deum. Adeò vt si vel minima deforet, Deus esse desineret. Hanc verò scientiam Deo prorsus esse necessariam, vt liberè, quæcumque vellet, posset condere, etiam est manifestum. Liberè inquam; quomodo enim mundum condere si volebat, hunc & tamen liberè condidit, si nullum alium præter hunc, possibilem esse non cognoscebat?

Scientia simplicis intelligentiæ.

Incogniti sanè non datur electio; & vbi electio non est, libertas non est.

Scientia Visionis.

23. Tum verò ad secundam Bibliothecam contemplandam conuersus, inueni isthic *Scientiam Visionis*, vti eam Theologi appellant, quâ omnia quæ re ipsâ extra Dei mentem ponenda & futura sunt, extra se iam posita, quasi præsentia æternitati suæ, clarissimè intuetur; & omnia rursus actu vnico. Hic verò omnium quotquot sunt, fuerunt, aut futuræ sunt creaturarum historiæ, per suos titulos in ordinem sunt digestæ. omnium inquam, non hominum modò, sed & animantium, herbarum, saxorum, atomorum, adeò vt vel minimæ formicæ tota vita isthic descripta sit, & quidem in varia velut capita, paragraphosque digesta. qui parentes, vt ita loquar, quo loco nata, quo die, quâ horâ, quid singulis diebus egerit, quid comederit, quæ bella gesserit, vbi perierit, & quâ morte; nihil denique isthic deest, quod ad completam, perfectamque formicæ pertinet historiam. Atque hoc modo omnium prorsus creaturarum isthic digestæ sunt, quasi per volumina, historiæ; quas omnes sagax Deus, simul & quidem actu vnico perspicit, & contemplatur; vnaque si deesset arenulæ cognitio, rursus Deus non foret.

Scientia conditionalium.

24. Quid tandem de immensâ illâ, quæ & tertia est Bibliotheca dicam, quam *Scientiam conditionalium* appellant? Huius sanè tanta est amplitudo, vt circa vnicam solummodo creaturam, prorsus sit infinita. Nouit enim non tantùm quid agam Deus, aut quid porrò etiam acturus sim deinceps; sed & quid acturus in quâuis conditione, situ, loco, tempore constitutus; quid acturus si modò Romæ sim; quid si à centum annis vixissem; quid si in regiâ dignitate constitutus. Et quia infinitæ sunt circumstantiæ, infinitæ hominum rerumque combinationes, quæ singulæ in me possunt cadere; manifestum est, infinitam esse quam de me solo habet scientiam conditionatam; & de rebus omnibus, etiam possibilibus, scientiam infinities infinitam. Atque hanc habet, vt iam dixi, distinctam Deus, claram & euidentem, totamque concludit, & complectitur actu vnico. An non hæc sufficiant, vt ingentem prorsus, neque quæ verbis exprimi possit, de tantâ Mente in me excitent opinionem?

TRACTA-

TRACTATVS V.

25. IAm verò, quòd animum meum stultè antehac perturbatum maximè componit, & sedat, est quod totam hanc, quanta quanta est, scientiam rebus suis agendis adhibere videam Deum. Quid enim me iuuet, scientiam me naucleri agnoscere, eam si naui dirigendæ videro non impendi? Ego autem scientiam tam vastam, in Deo & agnosco, & mihi, totique orbi video adhiberi. *Totã hanc scientiam orbi dirigẽdo adhibet Deus.*

26. Mundum enim aliquem aut creaturam vt condat, video eum totam possibilium rerum scientiam peruolutasse, eam vt seligeret, quam liberè crearet. Sic, vt me conderet omnes omninò homines possibiles perspexit, eorumque historiam in primo volumine peruoluit, & cum meâ, adhuc possibili tantùm comparauit. Tum verò omnibus perpensis, me inter cæteros selegit, quem in lucem hanc suo tempore proferret: itaque me, librum possibilium quasi legens, clarâ voce pronuntiauit; & hæc prolocutio Psal. 148. Dei, mea est creatio. Nam *ipse dixit, & facta sunt.* adeò vt sicut vox mea quâ τὸ *sol* pronuntio, verbum illud format, & in lucem profert; ita quòd ego sim, nihil sit aliud quàm esse me Verbum externum legentis, & loquentis Dei. Hinc, sicut verbum quòd proloquor ita ab ore meo dependet, vt nec diutius sit, nec clarius, nec submissius, quam mea fert prolocutio; ita prorsus omnes quotquot sunt creaturæ, ab ore Dei pendent, vt si Deus esse desinat, aut nolit loqui, perituræ sint illicò creaturæ omnes, vti verbum meum desinit esse desinente me, aut nolente loqui. Psal. 32. Certè *Verbo Domini cæli firmati sunt*; nec cæli tantùm sed & quidquid orbis complectitur, *& spiritu oris eius omnis virtus eorum.*

27. Hinc sanè quòd me maximè securum facit, est, clarè videre nunc me, nihil prorsus in rerum naturâ casu fieri, sed maximâ industriâ, consilio, & scientiâ dirigi omnia, & attemperari. Nam si casus, est euentus non præcognitus, quique præter opinionem mentemque agentis, ex aliquâ actione sequitur; quomodo casus aliquis in Deum possit cadere, quem video ab ipso, triplici & quidem diuersâ scientiâ, cognosci & percipi? Rursus, si ea quæ solam naturam sine libero hominis arbitrio spectant, consideramus; certè non casu ea Deum agere rectè quis dixerit, cum ad euentus illos exhibendos cælestia conformarit, & disposuerit in- *Nihil igitur casu fieri manifestum est, neque in iis quæ à naturâ dependent.*

strumenta. Non hyemes ergò, non æstates, non pluuias, non ventos, non terræ ariditatem, non calamitatem segetum, non marium tempestatem, non fluminum violentos lapsus, non exundationes, non fulmina, non tonitrua, non culicum aut locustarum examina, non aëris putrefactionem, non morbos, non pestes, nihil denique casum terre possum arbitrari; cum vt hæc omnia suo quæque tempore euenirent, videam magna illa corpora, cælestesque globos, quasi instrumenta ex arte & industriâ fuisse disposita. Amens sanè sim, si hæc casum tulisse credam.

Neque in iis quæ à libero pendèt hominum arbitrio.

28. Iam verò, an ea, quæ ex libero hominis pendent arbitrio, sine Numine euenire mihi persuadeam, cum ea ipsa sæpius per Prophetas prædixisse sciam Deum, & prorsus eo quo contigerunt modo? Quô pactô illa scire potuit, sine vllo errandi periculo, si casu tantummodò, & non de industriâ Diuinæ Mentis accidissent? Certè ne libertati vllum præiudicium inferat, in vastissimo illo volumine, scientiâ inquam conditionalium, contemplatur prouidus Deus, quid quisque homo in quâuis occasione, & rerum quibuscumque circumstantiis constitutus liberè, & pro suo quo gaudet arbitrio facturus sit: hisque ritè circumspectis, eas positiones, circumstantiasque rerum seligit, in quibus ita suo quiuis vtetur arbitrio, vt libera eius actio, euentui quem Deus menti præfixum habet, certò, infallibiliterque deseruiat. Et sic, si causas proximas ad effectum concurrentes spectas, sæpe casum dices; si Deum causas remotè disponentem, consilium imo & fatum seu effatum Dei esse fatebere. Id quidem in Absalonis & Iosephi historiâ, imò & in Christi sanctissimâ Natiuitate mihi factum est manifestum.

Omnia igitur bene fieri quæ à tali Mente fiunt vniuersim iudicandum est.

29. Hæc cum ita sint, quid me de rerum euentibus posthâc perturbo, quos tantô consiliô, tantâ arte à sapientissimâ illa Mente video prouenire? An ego fortasse adeò amens sim, vt Deum credam aliquid ignorasse, quod meliùs sit; aut si sciuit, facere noluisse?; aut si voluit, facere non potuisse? Aut tam proiectæ sim audaciæ ego, vt cum Alfonso Rege, Deum corrigere me posse credam, qui ne tantùm quidem habeo industriæ, vt vel minimam pluuiam rite & ex arte, è nubibus mihi concreditis possim exprimere?

Illique acquiescendum.

30. Nimis alta animo meo iam de Diuinâ Sapientiâ insidet opinio, quam vt eam vellicem, aut dubitare possim aliquid non rectè

ctè fieri. Tacebo profectò posthâc. Tonet, ningat, pluat, æstates ardeant, sæuiant hyemes, dissindatur terra, pereant segetes, langueant animalia : ego certè approbabo deinceps omnia, neque benè fieri dubitabo, quæ Sapientissimi Numinis arbitrio, æternisque legibus video decurrere ; & quidem ita decurrere, vt gloriam Numinis, cui amplificandæ omnia Dei opera subseruiunt, liquidò, apertèque manifestent. *Vniuersa enim propter semetipsum fecit Dominus.* Prou.16. Absit ergò vt quidquam malefaciat, propter se quod facit.

TRACTATVS VI.

31. HAc ergò opinione penitus imbutus, tum demum ad querelas, quibus Diuina Prouidentia impetitur me conuerto ; illudque liquidò video, futiles illas prorsus esse, imò quæ Diuinæ Mentis sagacitatem apprimè commendent, & declarent. Quid enim ? Dei non esse clamant homines, scelera tam nefaria perferre ; homicidia, adulteria, veneficia, idololatriam, aliaque crimina Diuino honori officere ; neque si humana curaret Deus, tantam passurum sibi iniuriam irrogari. Ita tu quidem, qui Diuinas artes non perspicis. At verò istud ego video, quamuis scelera malè ab hominibus perpetrentur, optimè tamen permitti à Deo, ne vllum libertati humanæ inferat præiudicium. Libertatem autem suam hominibus constare quòd velit, id quidem Sapientissimo fit consilio. Glorioſum enim est Regi, non à mancipijs vi & necessitate coactis, sed à liberis hominibus spontanea obsequia excipere, quæque vltrò & liberè subditi Regi deferant. Mancipiorum obsequia sat multa habebat Deus. Omnes omninò inanimes, animatæque creaturæ rationis expertes, Deo obsequuntur, sed necessariò. Dæmones ei parent Dominumque agnoscunt, sed vi, tormentisque coacti. Angeli idem præstant, voluntariè quidem sed non omnimodis liberè. Aliud itaque obsequij genus requirebatur voluntarium & tamen liberum. Hoc ab hominibus, ad gloriæ suæ propagationem petit Deus. Libertatem itaque homini dare debuit prudens Numen; hanc verò si dederit, certè scelera permittere necesse fuit, ne ipsi non liberè seruiatur.

Neque refert esse in mundo scelera.

Malèa, sūt in mūdo, sed benè à Deo permittuntur.

Ratio prima.

32. Quid, quòd per ipsa scelera, gloriam suam magis orbi fecerit

Ratio secunda.

manifestam? Scelera certè si abfuissent, numquam cruentum illud sacrificium in aræ Crucis fuisset immolatum. & tamen milior ex illâ morte, ad Patris offensi gloriam facta est accessio, quàm per omnia quotquot fuerunt, aut erunt scelera, possit detrahi. Rursus scelera si committi non potuissent, certè neque Dei legesferentis Dominium, & Iurisdictio; neque scelera tolerantis Patientia; neque Misericordia condonantis; neque Amor pœnitentem complectentis vnquam mundo patuissent; hominemque latuissent præclarissima attributa Dei. En vt ad Gloriam Dei manifestandam maximè faciant ea, quæ tu Diuinorum ignarus, Diuinitati credebas officere.

Ratio tertia.

Adde quòd & aliena scelera, rebus etiam humanis conducere videam. Præbent enim ea probis patiendi materiam ingentem, virtutis exercendæ campum aperiunt, Martyriorum quin imò gloriam Deo afferunt. non enim tot fortissimis sanctissimisque viris gauderet Ecclesia, nisi tyrannorum scelera permisisset Deus. Denique præclarissima Diuinæ Gloriæ augmenta dabunt scelerati, Iustitiæ vindicatiuæ, æternitate totâ, daturi documenta. Hinc sanè illud conficio, maximè è Dei gloriâ esse, peccata permitti: nam vt præclarè Augustinus: *Non enim Deus omnipotens (quod etiam infideles testantur, Rerum cui summa potestas) eum summè bonus sit, vllo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi vsque adeò esset omnipotens & bonus, vt bene faceret etiam de malo.* 33. D. Aug in Enchir. c.10.& 11.

TRACTATVS VII.

Neque scelleratos in hoc mundo esse felices conqueri possumus. Magnâ id ratione permittit Deus.

HInc verò iam prorsus capio, alterum querelarum, perturbationumque argumentum; quodque non paucos excruciat, *Quare* scilicet *via impiorum prosperetur, & taceat Deus deuorante impio iustiorem se?* Cur sceleratissimis hominibus fortuna sit prospera, optimo cuique aduersa. Præterquam enim quòd hæc impiorum felicitas fidem meam quàm maximè confirmet: cùm id mihi exinde manifestum fiat, aliam post hanc superesse vitam, aliud tempus expectandum, quò præmia Virtuti, sceleribus supplicia sint deputanda; cùm iustus sit Deus, neque tamen in hâc vitâ aut supplicia à cunctis exigat, nec verò cunctis etiam præmia largiatur: illud præterea ex hâc tam inæquali fortunarum 34. Hier 11. Habac. 1.

tunarum distributione existit commodi, quòd hinc liquidò discam, nec bona esse, nec mala quæ vulgus eo nomine stultè appellat. Hoc igitur, vt rectè Seneca, *est propositum Deo, Sapienti viro ostendere, hæc quæ vulgus appetit, quæ reformidat, nec bona esse nec malæ; apparebunt autem bona esse, si illa non nisi bonis viris tribuerit; & malæ esse, si malis tantum erogauerit.* Alia itaque necesse est esse bona, quæ solis bonis tribuantur. Et hoc rursus spem acuit expectatione futuri.

Sen l. de Prou c 5.

35. Et verò quid me tam vaga & inæqualis fortunarum deliciarumque distributio tantopere torquet? Illud enim cum mecum perpendo, manifestè comperi, nec malos omnes à bonâ fortunâ excludendos; neque bonos etiam omnes, & solos, felices esse debuisse. Nam si mali omnes & soli felices sunt, iam passim homines peruersi fient, vt sint fortunati. Rursus si mali omnes à fortunæ bonis excluduntur, peiores longè euadent, Diuinumque Numen offendent quasi iniuriâ irritati: præterquam quod miserijs efferati, iura omnia etiam humana pertringentes, totam maleficijs, furtis, & rapinis perturbaturi sint Rempublicam. Neque rursus boni omnes & quidem soli, felices esse possunt; plurimi enim delicijs peruersi, Virtutis semitâ desertâ, in omne prolaberentur nefas. Nec rursus omnes bonos infelices esse conuenit, ne non sit qui Diuinum cultum diuitijs promoueat, aut qui sceleratorum hominum impudentiæ, pro dignitate se opponat. Nihil itaque de tantâ fortunarum inæqualitate habeo quod conquerar, quam video inducendam omninò fuisse, vt rectè sibi constarent omnia.

Neque aliter fortunarum distributio esse debuit, quâ bonos inter malosque promiscua.

TRACTATVS VIII.

36. NOn minus insanum esse iam perspicio, quòd me tanta ingeniorum, geniorumque diuersitas, quanta inter homines reperitur hactenus perturbarit: quasi si è re nostrâ non esset, tam multos reperiri homines stupidos, amentes, tristi indole, tetricos, deformes, colericos, præcipites, tardos, sanguineos, atrabilarios, fungos denique & stipites; quibuscum tamen necessariò viuendum est, non sine summo tædio & molestiâ; vbi sanè iucundissima videtur futura vita, eiusdem si forent homines indolis & naturæ. Stultas profectò eiusmodi cogitationes esse illico comperi,

Ingenioru item geniorumque varietas maxima esse debuit.

comperi, cùm otiosus ego, ciuitatem hanc in suas classes cœpi distribuere, & colericis quidem, & tristibus, & sanguineis, & sapientibus, & amentibus sua dare statiua & castra. Nunquam erraui magis, quàm cum me maximè credebam sapere; tanta enim est hominum inconstantia, vt nunquam ijdem sint, nullum etiam certum diu obtinere possint locum.

Ad sustentationem commercij humani.

Denique absque illâ diuitiarum, ingeniorumque varietate, humanum commercium prorsus interiret, aut sanè viueremus miserrimè. Quid enim? An si omnes æque diuites, æque ingeniosi; quisquam alteri seruire volet, & subijci? An aliquis viliora exercere opificia? An segetes curare, an panem pinsere, an ædificare domos, an alteri esse à pedibus? Et tamen sine his natura non stat; aut si stat, non stat commodè. Magno itaque artificio, opum primò inæqualitatem induxit Deus, vt necessitas ipsa ad laborandum adigeret, pauperioresque diuitibus dum inseruiunt, sibi faciant benè. Geniorum item varietatem finxit, vt pro suo quisque genio ad diuersas artes mentem liberè applicaret. Corporis ideo variam constitutionem esse voluit, vt alio & alio genio præditus quiuis esset, & ad alia atque alia exercitia aptiori. Atque hæc omnia tantâ industriâ, tanto consilio, tam multis expensis circumstantijs cùm peregerit tantus Deus, tam vasta Mens; sanè non habeo quod opponam; approbo omnia, quæ in rerum naturâ condita sunt, & illis planissimè acquiesco. 37.

TRACTATVS IX.

Hinc sequitur approbandas esse omnes publicas calamitates, pestes, bella, Regnorum euersiones,

His itaque rectè generatim constitutis, tum certè cœpi ad ea quæ inter homines particulatim aguntur, oculos mentemque deflectere. Et isthic occurrerunt, primò patriæ calamitates, seditiones, bella, prouinciarum deuastationes, & excidia: & quidem quod me maximè perturbabat, erat, quòd hæc aut Principum iniuriâ, aut militum ignauiâ, aut etiam insolentiâ, aut pessimò Optimatum consilio viderentur accidere. At verò cum penitius rem inspicio, video sanè hæc Dei non de hominibus modò, sed & de Regnis integris rectè disponentis esse decreta. Ita sunt res humanæ, vt felicitas diuturna esse non possit, ne tandem noceat. In omne nefas abeunt Respublicæ, quibus diu fortunatis esse datur. Idcirco fortunam migrare vult Deus, & 38.

quasi

quasi æstum volui, ne longâ malaciâ putrefiant vndæ. Quîd igitur bellorum tumultus miror, quîd hostium agmina in Prouinciam inuolare? Fortuna sedes mutat; hostes baiuli sunt, qui fortunam humeris suis efferant. An verò etiam priuatus quis, ædes mutat sine strepitu, sine curruum, baiulorumque tumultu?

Quas magno consilio procurat & magnâ industriâ disponit Deus.

39. Neque verò hic est, quod ego aut Regum insana consilia, aut Principum insolentiam, aut Præfectorum discordiam, aut militum incuriam, & ignauiam, aut populi seditiones tantopere incusem. Instrumenta enim hæc sunt, per quæ Deus felicitatem è regnis effert: id verò populi merentur scelera, hæc hostes nostros fortes faciunt; *Peccatis enim nostris Barbari fortes sunt*; & ob populi effrenes mores, sanctissimi etiam & castris, & Regno nonnunquam exuti sunt Reges. Scelera nostra sunt quæ Regibus consilia adimunt, optimatibus prudentiam, militibus fortitudinem, ciuibus concordiam. Hæc itaque Dei, bono nostro nos castigantis cùm sint supplicia, & quidem iure, meritoque optimo inflicta, illud certè restat, vt exosculer castigantis manum, nec quidquam obmurmurem. Nam verissimum est illud Augustini. *Sæuire videtur Deus cùm ista facit; ne metuas, nunquam sic sæuit, vt perdat. Quando malè viuis si parcit, plus irascitur. Omnes istæ tribulationes flagella sunt corrigentis, ne sit sententia punientis.*

Aug. in Psal. 65.

TRACTATVS X.

Quisque etiam suo statu contentus viuere debet.

40. OMnibus denique quæ extra me aguntur rite compositis & peractis, tum demum domum meam me confero, & isthic video turbatum quid sit, & quæ perturbationum scaturigo. Atque illud imprimis comperio hanc primam inquietis meæ esse originem, quòd me ipso contentus non sim; alius videor esse debuisse; ipse mihi non placeo, nec id quod sum. Quid igitur mirum illi displicere omnia, qui sibimet ipsi non placet?

Nã à Deo sumus id quod sumus.

41. Hunc autem mihi aculeum vt eximerem, tum verò mecum sic egi. Quîd tu miser homuncio cum sis, quîd te sapientissimæ illi Menti quæso opponis, quasi tu melius esse quid debueris, quàm sis modò? An tu aliquid iuris habebas vt esses in rerum naturâ, præ omnibus qui condi poterant hominibus, qui tamen nullam aliam lucem habebunt, nisi eam quam in Diuinâ rerum

possibilium scientiâ sunt consecuti? Nonne ex altissimâ illâ Mente, quasi ex Ideâ profluxisti? Nonne is te in hanc mundi tabulam eduxit, & eâ te in conditione posuit, in quâ nunc es? exilis es, humilis, egenus, æger, Rex, mendicus, seruus, aut Dominus; & hoc ipsum ab ipso es, *vnusquisque enim proprium donum habet à Deo.* At verò non alium voluit te is, è cuius manu & voce es id quod es. hoc gloriæ suæ imprimis iudicauit conducere. Egregium enim verò sit facinus, si masculi minores in picturâ ab artifice in locum minus præclarum coniecti, litem mouere incipiant, queranturque se non tam viuis coloribus expressos; educi se velle clamitent, veluti ijqui in primâ tabulæ facie, magis stant conspicui. Quasi verò pictor artis suæ rationem habere non debeat, & singula efformare prout idea, & perspectiuæ fert ratio.

Qui statū cum tanquam conuenientissimum nobis selegit.

An omnes Reges esse debent, omnes diuites, omnes eximij? 42.
quæ demum tunc erit vniuersi symmetria? Et quid tanti interest, quam demum ego partem agam, si illam ingeniosè exprimam, si artem mei conditoris benè agendo commendem? Adde, quod omnibus circumspectis, viderit sapientissimus meus Deus, conditionem hanc quam modò obtineo mihi maximè conuenire; hanc ad salutem procurandam mihi solam conducere; neque in vllo prorsus statu, me aut salutem meam, aut eius honorem præclariùs promoturum? Quin ergò tam altæ Ideæ acquiesco? An ille qui omnia in pondere, & mensurâ fecisse deprehenditur, in me solo credendus est errasse? Et qui ne formicam quidem condidit, cui non omnia exactissimè sit admensus, quæ naturæ tam exili visa sunt conducere; mihi propter quem creata sunt omnia, quidquam denegauit, quod ad bonum meum, artisque suæ commendationem requirebatur? Insanus certè sim, si id suspicer. Non igitur me hâc in parte turbabo posthac; à Deo sum, id quod sum; & vt Dei sim, sum id quod sum. Bene itaque mihi est, nec aliud esse posthac, si liceat, velim; ne tantæ sapientiæ me opponam.

TRACTATVS XI.

Si statu tuo contentus sis, etiam

HOc autem si prorsus velim, statuique meo aut conditioni si 43.
acquiesco, tum demum omnibus quæ me ad hunc statum perduxe-

perduxerunt euentibus, necesse est vt penitus acquiescam. Externa ea sunt quædam, quædam interna. Externa vt parentes, natiuitatis locus & tempus, educatio, propinquorum mors, fauor aut inuidorum æmulatio, nobilitas aut obscuritas generis, prospera fortuna aut aduersa. Interna sunt, animi aut corporis dotes, ingenium, hebetudo, membrorum vires aut languor, atque his similia.

iis quæ te ad eum statum perduxere adiumentis acquiescas necesse est.

44. Quid verò de his demens conquestus sum hactenus, qui Dei adinuentiones & artes non attendi? mediocrem quia mihi conditionem in mente suâ designarat Deus; idcirco humilibus nasci me parentibus voluit, nec iis qui ad altiora me studia applicarent. Manuum labore viuere volebat me; idcirco ignobiles mihi natales procurauit, vt ab ipso exordio durioribus assuescerem, & necessitate, & verò etiam parentum inductus exemplo. Sic iam facilè sortem meam fero, ad quam deiici prorsus fuisset intolerabile. Plebeius esse si debui, an commodiori modo ad eum poteram statum deduci? Quid ergò queror, aut parentes præmaturè ereptos mihi, aut fauores denegatos, aut abiudicatam litem, aut fortunæ vices asperas? Plebeium me voluit Deus, pauperem & deiectum; & verò ego alius esse non volo. Acquiesce igitur adiumentis illis, per quæ factum est, vt statum tibi tam conducentem obtineres.

Siue ea externa sint.

45. Neque iam adeò de animi corporisque dotibus Deo litem moue; nec de ingenio tuo, aut formâ, valetudineuè corporis, est quod conqueraris. Hæc enim ipsa sunt, quæ statui tuo procurando fuerunt adiumenta. Neque tuas cum alienis dotes compara, quietus vt sis. *Vnusquisque enim proprium donum habet à Deo, vnus quidem sic, alius verò sic*, pro vt status vniuscuiusque & conditio requirebat. Et verò si te alteri comparare vis, omnia simul appende, & quæ habet incommoda, à commodis quæ sola tu trutinas, ne disiunge: verum & bona & mala tua, cum alienis bonis & malis, æquâ lance expende: videbisque confestim, nihil prorsus deesse tibi, iustissimâque trutinâ omnia tibi fuisse appensa.

1. Cor. 7.

Siue etiam interna.

Nec tua cũ alienis cõpara, vt quietus sis.

TRACTATVS XII.

Si statui acquiescas, etiam iis quæ statum tuum efficiunt contentus sis oportet.

HInc illud rursus liquidò consequitur, quòd, si statu meo contentus viuam, nihil etiam debeam velle adiectum conditioni meæ, ne parùm quidem. An enim ob exiguam planè rem, ob exiguas opes, exiguam valetudinem, exigua commoda, æquum est queri me de benefactore meo, qui omnia reliqua mihi præstitit, præter exiguum quid, quod ego ingratus appeto? Certè nihil mihi deesse video; sola me mea excruciat inuidia. In vicinâ domo paulò plus quòd videam commodi, idcircò mihi deesse videntur multa. Paupertate meâ lætus viuerem, si nemo ditior esset me. An verò hoc tolerandum est, aliena me quod excrucient bona; benefactorique meo ingratus quòd sim, idcirco quòd in alium magis mihi visus est beneficus? At verò non fuit; mea enim, meo statui commensurata sunt; adiiciendum est nihil, ne statum mutem; meus mihi proprius est, & solus meus. 46.

Neque alius inuide.

Neque plura expete ob curam filiorum,

Quòd autem filiorum cura, diuitiarum mihi augendarum mentem iniicit, nugæ sunt, & cupiditatis meæ tegumenta sanè puerilia. Filiorum curam à Deo habeo; igitur & filiorum ipse est Dominus. Si pauper sum, etiam filios pauperes voluit Deus; idcirco voluit ex me nasci, & quidem plures esse voluit, vt præ me, pauperiores adhuc essent. Curandi igitur liberi; sed magis curandus Deus, mentisque meæ tranquillitas. Plures opes nolo, vt mihi & ipsis bene sit, dum viuo; mortuo verò me, filiorum curam aget, vt solet, Deus. 47.

Neque bonorum operum faciendorum prætextu.

Neque maiores mihi aut opes, aut dignitates, aut scientiam, aut ingenij quidquam adiici, cupio, quasi maiora tum aut Misericordiæ, aut virtutum aliarum opera præstiturus: prætextus hi sunt, inuentaque, sed falsissima. Illud enim liquido comperi, cum fortunâ mutandum me, neque facturum ea quæ modo volo; video enim nihil tam facile inter opes, quam beneficentiæ venam exarescere. Vix quisquam miseretur, qui miser non est; nec miseriis tangitur alienis, qui suis non vrgetur. Non itaque aliud volo, nec tantillô quidem augeri desidero, ne illicò aliud fiam; & verò etiam alius: Sufficit id quod sum. 48.

TRACTA-

TRACTATVS XIII.

50. STatui verò si acquiescam; quam illud est ridiculum, quòd malis, & aduersitatibus, quæ nullum non statum circumstant & agitant, nolim vrgeri? Nolo itaque homo esse, qui aduersa nolim perpeti. Certè qui nec vento, nec vndis moueri vult, nauigare is non vult; & verò ei displicet nauigandi conditio. Quid maleuolas linguas, quid dicteria, quid calumnias, quid inuidias, quid iniurias exhorresco? Venti sunt, quibus nauigatio nostra promouetur. Sed bonum nauis meæ directorem habeo, & eum quidem, cui parent venti, & mare; imò qui tempestates illas immittit, ac idcircò securus sum. Moueor & non commoueor; turbor, sed minimè perturbor. Illud enim vidi, non malis nos turbari tantoperè, quam opinione mali; aduersa nos putamus ea, per quæ cursus noster felicissimè promouetur. Hoc quidem & in Israëlitico populo conspexi, & in me præcipuè; auersatus sum olim ea, quæ maximè mihi, vt iam video, profuere. Itaque Deo me committo, *non patietur ille nos tentari*
1. Cor. 10. *supra id quod possumus, sed faciet etiam cum tentatione prouentum*; neque tempus, neque modum, neque materiam patiendi mihi præscripsero: Dei aduersa immittentis manum aspiciam; illam exosculabor supplex, & verò etiam adorabo; illudque dicam
Iob 19. Psal. 30. *Manus Domini tetigit me*, & *in manibus tuis sortes meæ*, à quibus pati, summa est felicitas.

Item si status tibi tuus placet, placeant etiã ea quæ illi necessariò annexa sunt molestiæ.

TRACTATVS XIV.

51. QVòd si ergò mihi persuasero, statum meum, conditionemúe optimam esse inter omnes, quæ mihi poterant contingere; tum denique etiam istud statuam, ea me debere exhibere opera, quæ à statu meo expectantur; deinde ea amplectenda esse, quæ conditionem hanc necessariò consequuntur. Quis enim faber conditione suâ dicat contentum sese viuere, ferrum quem tædeat domare, & incudi incubare malleis? Religiosi actiones quid me sollicitum tenent, si in matrimonij statu à Deo collocatus sim? Quid iuuenum opera senex moror, quid viri fœmina, quid valentis æger? Certè ea non petit Deus. Cur ergò importunus

Rursus opera Statui tuo propria ne displiceant.

ea nolenti obtrudo, mihique quasi de re benè actâ blandior? Sanè quæ agenda sunt, agam; neque alia, nisi mea opera exigere potest Deus; neque picturam sibi delineari postulet parens à filio, quem textrinæ addiscendæ puerum admouit; neque aliena exiget Deus, qui *vnicuique reddet secundùm opera sua*, non verò secundùm aliena. Matt. 16.

Neque de labore cõquerere.

51. Operibus verò meis si contentus sim; sanè de molestiâ, & labore ijs annexo non est quod ingemiscam. Neque de malleorum pondere, nec de carbonum fuligine, est quod faber quæstionem moueat; hoc enim est fabrum agere, aliter ferrum non cuditur; nec sine labore sum id quod sum, nec ago id quod agendum est.

Neque de dolore qui laborem cõsequitur.

52. Laborem autem vti necessariò sequitur dolor, sanè & cum res occurrerit, dolendum est mihi, & rursus gaudendum est quòd rectè doleam. Fletus & suspiria conditionem nostram necessariò consequuntur, fateor; verùm illud etiam didici, gaudere quî possim, eò quòd fleam & quòd doleam. Illud enim gaudium in eo situm esse perspexi, vt corpore in lachrymas resoluto, animus sibi constet. Constabit verò, si iudicet rectè hæc euenire, quæ tantorum sibi gemituum sunt causa; tum verò velit ea contingere, & approbet quin imò sanctissimam Dei voluntatem, nolitque non dolere. Hoc est gaudere quòd doleas; hoc denique est inter corporis agitationes & procellas, stare immotum, id est quiescere.

Sed cũ dolendum est, gaude quòd doleas.

TRACTATVS XV.

Tãdem & morti acquiesce.

53. VLtimum tandem restabat, quod conditionem nostram consequitur, quodque me turbabat maximè, rem extra Prouidentiam Dei considerantem; est autem illa, tantis hominum calumnijs impetita, amara vt vocant Mors. Verùm nihil ego difficultatis in eâ comperi, quæ non afflicta sit. Terribilem eam dicunt homines, *primò* quòd vitam omnemque vitæ dulcedinem eripiat. *Secundò* quòd inexspectata adsit. *Tertiò* quòd per morbos inferatur sæpè molestissimos. *Quartò* quòd ab eâ felix aut infausta pendeat æternitas. Audiui hæc quidem sæpè, imò & credidi.

Quia natura, quâ contentus es, debita.

54. Sed cùm rem benè expendo, mortalem cùm sciam esse conditionem

ditionem meam, eamque sic esse velim, quid conqueror conditioni meæ satis fieri? An ergò immortales homines esse oportuit? Non igitur conditioni meæ acquiesco id si velim, præterquam quòd Deo sim iniurius. Cur igitur magis conqueror mori me, quam esse? Vtrumque enim mea fert natura. Et verò an adeò dulcis est hæc vita, vt morti eam eripienti, tantopere succenseam? Cur igitur de malis vitæ semper conqueror, si malis eripi nolo? Aut cur mortem exhorresco, per quam fit, vt tantis malis tandem eximar?

55. Incerta verò quod sit & inexspectata; hoc quidem, meæ est incuriæ, cum nullo non tempore expectari debeat; illud verò, magnum Dei beneficium est. si enim de certâ mortis nobis horâ constaret, non liberet viuere, vtpote quibus vltimi & iam cogniti vitæ anni, mortis instantis memoriâ in luctus irent; & sic metu futuri, præsentis vitæ dulcedo prorsus amaresceret. Iam viuimus, & mortis incerti viuimus, & læti vtcumque viuimus; & quia mortem nemo præsentem videt, vitâ fruimur. *Incerta si sit, incertæ esse conueniebat.*

56. Morbos verò, Naturæ, Dei inquam video esse inuentum pulcherrimum. Per eos enim percipio *primò* naturam paulatim dissolui, & sic fieri vt moriamur, mori qui debuimus. *Deinde*, vt præstituto moriamur tempore. *Tertiò*, vt non inuiti discedamus ex hoc misero corpore, in quo tam acerbè anima hospitatur. *Quartò* denique, vt etiam suauiter moriamur, efficiunt. Obstupefaciunt enim morbi vigorem sensuum, phantasiam defatigant, neruos hebetant; & sic animæ excedentis luctam, corporisque contractiones vix persentiscimus. Quid igitur morbos accusamus, pulcherrimum naturæ sese dissoluentis artificium? *Morbi, artificiũ sunt dissoluentis se naturæ.*

57. Denique vltimum istud momentum non est quòd timeam, sed malam vitam, quæ sola momentum illud facit esse terribile. Momentum autem illud scire nolo, nec verò necessarium id est: nihil enim vt me ad illud comparem requirit Deus, nisi id quod modò ago, si ago benè. Illud solum mihi agendum tum incumbet, vt cum moriendum erit, moriar etiam benè, hoc est, lætè & libenter. Gratias itaque agam Deo meo, Conditori meo, Gubernatori meo, momentum illud cum appetierit; & scenâ iam peractâ, *Corpus deponam velut vestimentum*, illud ad patres suos remittam, vt cum ijs in puluere dormiat. *Mea interim conuersatio erit in cælis*, donec tempus illud adsit, quo Saluator meus veniat, *Articulum ipsũ mortis bonum facies morien.do latè.*

veniat, *qui reformabit corpus humilitatis meæ, configuratum corpori claritatis suæ*; Tum *verò simul cum Domino erimus*. Hæc vitæ meæ scena, hic decursus, hic exitus. Ad Phil. 3. 1. Thes. 4.

CONCLVSIO.

58. IAm verò, quid demum est in conditione meâ, de quô meritò possim conqueri? imò quid non est, de quo mihi non gratuler, Deoque gratias agam, si fieri posset, etiam infinitas? An non ea felix dicenda est vita, quæ ad æternam ducit felicitatem? An alius esse volo qui ad tanta natus sum, & per ea quæ iam accidunt felicissimè isthuc deuehor, & deducor? Certè mortalis sis licet homo, multisque, vt tu quidem credis, miserijs implicatus, nihilominus vti rectè Poëta; *Quod es, esse velis, nihilque malis.* Hoc omnis lætitiæ est compendium, imò solum in hâc vitâ gaudium. Illud autem quouis in statu datur obtinere: & verò si tuo contentus viuis, propterea quòd Deo ita sit visum, sanè re-ipsâ iam obtines.

59. Cæterùm, finge tibi quascumque vel imaginatione assequi potes delicias, commoda & voluptates, cælestes modò excipias, nullam sanè reperies, quæ huic comparari possit. Audeo dicere non aliud gaudium in mundo dari, præter animum securum sui, & verò contentum suo. Cælum is est, Paradisus est, situs quamuis in medio terræ; inter medias tempestates semper illic serenum est; alias si delicias quæritis, nequicquam quæritis; fucatæ sunt aliæ omnes, falsæ sunt, quæque multum habeant nominis, nihil rei. Huic ergò quærendo insistite; intra vos est, neque alio loco inuenitur, quàm in animo rectè constituto.

Verùm, vt vidistis, tota mentis rectè ordinandæ ars, ab eximiâ illâ, præclarâque de Diuinâ Sapientiâ opinione, & existimatione dependet; omnis tranquillandæ mentis fundamentum hæc est. neque singularum rerum rationes perquirendæ sunt, vt mentem places, euentibusque acquiescas; illud solum sufficit, fixum ratumque habere, nihil præter Sapientissimæ Mentis ordinationem, cuius tantam concepisti existimationem, in totâ naturæ serie euenire.

60. Scio quidem, summâ cum animi voluptate, singularum quæ circa nos contigerunt rerum, exactissimas rationes, perspectu-

ros

ros nos tum cùm *reuelatâ facie* Sapientiam illam increatam in cælis dabitur intueri; illic summo cum gaudio *admirabiles adinuentiones* tantæ Mentis approbabimus, eas æternitate totâ decantaturi. At quod isthic oculis ipsis sumus intuituri, hoc nunc fide credimus, & verò etiam, naturæ benè ratiocinantis ductu, vtcumque assequimur: sic vt in pias illas voces admirationis & gaudij plenas cum Psalmistâ erumpere meritò possimus: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & sanctus in omnibus operibus suis.*

61. Æterna Mens, Prouidentia sancta, Sapientia infinita! Ah! quî fieri potuit, vt me tanto tempore latueris, quæ toto orbe tam es manifesta? Cæcum heu me, & verò stolidum & insipientem! In quibus denique errorum tenebris latui, tam præclaram lucem hactenus quòd non conspexi! O quantas tibi gratias debeo, Æterna lux, tenebras tam tristes quòd discusseris! Certè, *hoc vnum* cum Demetrio *de te conqueri possum, quod non ante mihi Voluntatem tuam notam feceris: prior enim ad ista veniissem, ad quæ nunc vocatus adsum.* Quid igitur à me exigis Magne Deus? infinita Mens, quid requiris? *Vis liberos sumere? illos tibi sustuli. Vis aliquam partem corporis? sume; non magnam rem præmitto; citò totum relinquam. Vis spiritum? Quidni? nullam moram facio, quò minus recipias quod dedisti. A volente fers, quidquid petieris Quid ergò est? Maluissem offerre, quam tradere: quid opus fuit auferre? accipere potuisti. Sed ne nunc quidem auferes; quia nihil eripitur nisi retinenti. Nihil cogor, nihil patior inuitus; nec seruio Deo, sed assentio; eo quidem magis, quòd scio omnia certâ & in æternum dictâ lege decurrere.*

Sen. l. de Prou. c. 5.

62. Et hic quidem apex est, Auditores, totiusque perfectionis culmen; non tantùm ea quæ eueniunt, nobis accidere vt patiamur; sed vt calculum non inuiti, at sponte nostrâ sine hæsitatione adijciamus, nostroque suffragio facta penitus comprobemus. Hoc est gaudere rem ita se habere, pro vt se habet; hoc est magnificum illud, & verò etiam heroicum *Fiat voluntas tua*; illud autem, summa est, non voluntatis tantùm, sed & iudicij cum Deo conformatio. Hanc denique sequi debet prompta gratiarum actio, quâ Directori nostro optimo & maximo summas habeamus grates, tanto consilio, & industriâ id nobis quòd selegerit, in tantâ rerum, conditionum, & fortunarum varietate, quod

rebus noſtris ſalutique iudicabat maximè conducere, & verò etiam ſuam gloriam præclariſſimè promouere.

64. Quid ad hæc, Auditores? Quô demum eſtis animô? An aliquando tandem ſine vllâ hæſitatione vos, veſtraque omnia tam Sapienti Deo committetis? An adhuc fortaſſis iudicium veſtrum, quod vidiſtis quàm ſit tenue, quàm cæcum, quàm inconſtans, arbitrio omnia circumſpicientis, veſtramque ſalutem tenerrimè adamantis Dei, vultis interponere? vbi ergò tanti Numinis exiſtimatio? vbi præclara, quam concepiſtis de Sapientiſſimâ Mente opinio? Aut aliquid fortaſſe detractum cupitis, aut adiectum æternæ Prouidentiæ præclariſſimis decretis? Ne quæſo tantam Deo veſtro, imò & vobis ipſis iniuriam inurite. Illud certè cum Epicteto vobis ingeram. *Homo, aude tandem ſublatis ad Deum oculis dicere: Tracta me poſt hac arbitratu tuo; eiuſdem tecum ſum animi, nihil recuſo, quod tibi videtur; quo voles ducito: veſte quâ voles induito. Vis me fungi magiſtratu? Priuatam vitam agere? Manere, exulare, pauperie conflictari, opibus abundare? Ego te apud homines defendam*, rectèque omnia circa me agi mordicus tuebor; & nuſquam partes tuas agam impenſiùs, quàm vt contra corporis mei ſemper obmurmurantis inſanas affectiones, decreta tua ſanctiſſima propugnem. Apud Arria. l. 2. c. 16.

65. Quod ſi eximium hunc de Diuinitate ſenſum altè animo imbiberitis, Auditores, tum verò dicam ego vobis, feliciſſimos inter mortales eſſe vos; eam vos conſecutos eſſe, quam mundus dare non poteſt pacem; illudque cum Apoſtolo vobis gratulabundus occinam, vt iſthic terminetur vbi incepta eſt oratio; *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete; & pax Dei quæ exſuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Amen.* Ad Philip. 4.

FINIS.

ELEN-

ELENCHVS

TRACTATVS I.

PROOEMIALIS.

Ostenditur gaudium perpetuum, seu quietem animi, etiam in hoc mundo comparari posse. Artis huius summa est, non res sibi, sed se rebus prout eueniunt, accommodare: & vt hoc possis, maximam de Deo habere opinionem, cuius nutu omnia gubernantur. fol.1.

SYNOPSIS.

§. I. *Optatur omnibus verum Gaudium; optimum sanè votum quod in hoc mundo possumus apprecari.* fol.2.

§. II. *Gaudium hoc, in quiete animi consistere. Ostenditur autem, hanc quietem in mediis mundi fluctibus posse obtineri, mutatâ tantùm, quam de rebus habemus, opinione.* fol.6.

§. III. *Opinio autem quam præcipuè oportet corrigere, est quòd non res nobis, sed quòd nos rerum euentibus debeamus accommodare, sic vt velimus fieri omnia prout fiunt, quæ impedire non possumus.* f.11.

§. IV. *Vt autem iudices omnia bene fieri, rei euentus non in seipsis, sed in Dei dirigentis omnia, dispositione considerandi sunt.* f.17.

PARS I.

Excitatur magna de Dei Prouidentiâ opinio, quæ sit omnis Tranquillitatis primum fundamentum.

TRACTATVS II.

Ostenditur fusius, quòd vt omnibus rerum euentibus acquiescas, habenda sit maxima de Dei Prouidentiâ opinio. Hæc autem excitatur primò ex consideratione instrumentorum, quibus vtitur Deus ad gubernationem vniuersi. *fol.23.*

SYNOPSIS.

§. I. *VT acquiescas omnibus rerum euentibus, certò statuendum est omnia à Deo dirigi, & maxima de eius Prouidentiâ, habenda existimatio.* fol. 24.

§. II. *Vt autem opinionem magnam de Dei Prouidentiâ efformes, non est necesse singulares omnium euentuum scire caussas. sufficit vniuersalis de Dei Prouidentiâ cognitio. Quod ostenditur comparatione nauigantis de Naucleri sui peritiâ iudicium ex instrumentis quibus vtitur, efformantis.* fol.28.

§. III. *Comparatio applicatur iudicio, quod de diuinâ gubernatione ferre debemus.* fol.32.

§. IV. *Vt igitur magnam illam de Dei Prouidentiâ opinionem excitare incipiamus, considerantur generatim instrumenta corporea, quæ Deus vniuersi gubernationi adhibet, nobisque sunt conspicua. vt Cælum, Sol Luna, Terra.* fol.35.

§. 5. *Instrumenta autem ea, non casu sic constructa, sed summo iudicio à Deo vsibus suis aptata esse considera. Refellitur hîc sententia eorum qui per atomos & quidem casu vniuersum conditum concipiunt.*

cipiunt. fol. 39.

§. 6. *Adde quod tam præclara instrumenta non ideo confecerit Deus, ea tantùm vt essent in rerum naturâ, sed vt per ea Naturam ipsam visibilemque hunc mundum aptè dirigeret. Exponitur vtcumque quo modo Deus cælestia corpora ad sublunaria curanda adhibeat.* fol. 43.

TRACTATVS III.

Vt autem opinio, quam de Dei Prouidentiâ animo fixam habere debemus, magis augeatur: ostenditur eum etiam minima quæque & vilissima, vti nobis quidem videntur, dirigere, & Prouidentiâ suâ complecti. *fol.* 47.

SYNOPSIS.

§. I. *EX tam constanti cælestium corporum situ & circumuolutione, Philosophi Ethnici vnum tantùm esse collegerunt summum Deum omnium gubernatorem. Et quidem rectè.* fol. 48.

§. II. *Non rectè tamen voluere Dei gubernationem ad sublunaria se non extendere.* fol. 51.

§. III. *Deum sublunaria, & quidem minutissima quæque curare probatur ex ipsa corporum cælestium constructione & fine.* fol. 54.

§. IV. *Deum vero cælestibus corporibus velut instrumentis vti, ad sublunarium curationem, expenditur & fusè declaratur.* fol. 57.

§. V. *Deum esse & non alium qui eum in finem cælestibus vtitur, amplius expenditur & probatur ex Scripturis.* fol. 61.

§. VI. *Adeo autem non esse Deo indignum, vt potius sit gloriosissimum minima quæque producere, eorumque curam gerere. Exponitur maximum in minimis artificium.* fol. 63.

§. VII. *Hinc concluditur in omnibus etiam minutissimis naturæ euentibus, admirandam esse & adorandam Prouidentiam Dei.* fol. 67.

TRACTATVS IV.

Verùm cum non sufficiat, scire me omnia à Deo administrari, vt omnibus rerum euentibus acquiescam, nisi id etiam intelligam sapienter administrari omnia: ad formandam penitus magnam, quam de directione Dei concipere debemus, opinionem, attenditur infinita Dei sapientia & scientia. *fol.70.*

SYNOPSIS.

§. I. *Quod si prout omnia à Deo fieri, ita sapienter etiam fieri, & in bonum finem ordinari, mihi persuasero; tum verò video, in omnibus rerum euentibus, acquiescere debere me.* fol.71.

§. II. *Vt autem hoc ipsum mihi persuadeam, non est opus omnium euentuum tenere causas, easque iustas esse vt iudicem: tantùm id certò statuendum est, à Dei sapientiâ hunc euentum esse destinatum, & facilè tunc acquiescam, rationesque quibus defendam factum, multas inueniam.* fol.73.

§. III. *Exponitur magis iam dicta praxis.* fol.77.

§. IV. *Vt autem summam de Dei sapientiâ concipias opinionem, variæ eius scientiæ, seu sciendi modi exponuntur. Ac primò quidem, vt Theologi eam vocant, scientia simplicis intelligentiæ.* fol.80.

§. V. *Quam necessaria fuerit ea scientia, ad creandum & ordinandum hoc Vniuersum, seu hanc, quæ modo est, creaturarum seriem.* fol.83.

§. VI. *Exponitur scientia visionis, & quo modo Deus creaturas reipsâ aliquando creandas, ordinet ac disponat.* fol.87.

§. VII. *Exponitur sed breuiter scientia conditionalium, quæ Deo necessaria ad dirigendos actus liberos Angelorum & Hominum, eosque euentus qui ex libero pendent arbitrio.* fol.92.

TRACTA-

TRACTATVS V.

Tandem ex dictis ostenditur nihil prorsus temerè aut casu fieri, sed summo Dei judicio, attentione, & ratione. Rationum autem percipiendarum humanam mentem capacem non esse, liquidò demonstratur. *fol.* 95.

SYNOPSIS.

§. I. PRoponuntur rursus tres Scientiæ Dei, veluti tres libri quibus Deus studeat, vt inde deducatur nihil casu, sed studio fieri omnia. fol. 96.

§. II. Ostenditur itaque primò, nihil casu creatum aut productum, sed destinato Dei consilio. Exponitur nouo modo, quid Creatio, quid Conseruatio sit in Deo; in creaturis verò quid sit Dependentia à Creatore. fol. 100.

§. III. Deinde ostenditur nihil casu aut temerè in rerum iam creatarum naturâ aut actionibus fieri. Quod quidem rursus Primò in rebus ratione, & libero arbitrio carentibus probatur. fol. 104.

§. IV. Secundò, nihil etiam in iis qui à libero hominum arbitrio dependent euentibus, casu fieri respectu Dei, & quomodo illo vtatur sic vt infallibiliter suam consequatur mentem, explicatur. fol. 107.

§. V. Omnia igitur benè & optimè euenire statuendum est: nec nos miseros mortales, eos esse, qui quidquam possimus in hâc rerum serie reprehendere; corrigere verò, multò minus. fol. 113.

DISSERTATIO THEOLOGICA.

Responsio ad ea quæ Reuerendissimus Dominus Ioannes Caramuel de Scientiâ conditionalium docet in Theologiâ suâ fundamentali. *fol.* 120.

§. I.

§. I. *Scientia conditionalium, quâ Deus omnia conditionatè futura illimitatè nouit, receptissima est apud Theologos omnes.* fol. 120.

§. II. *Eam tamen ad pauca quædam limitare & restringere conatur Caramuel sed malè.* fol. 121.

§. III. *Ostenditur quàm improbabiliter Caramuel finxerit decreta absoluta Ceilitarum & Saulis; deinde quòd illis adhuc positis, Deus non potuerit infallibiliter prædicere Dauidi futuram proditionem Ceilitarum, sine Scientiâ conditionalium illimitatâ.* fol. 125.

§. IV. *Sine vllâ probabilitate fingit Caramuel duo decreta humana, Israëlitarum vnum, Ethnicarum alterum, vt explicet testimonium 3. Reg. 11.* fol. 132.

§. V. *Tyriorum & Sidoniorum decreta, de acceptandâ Religione, quæ miraculis confirmaretur, gratis fingit Caramuel.* fol. 135.

§. VI. *Iterum fingit decretum inauditum in iusto rapto, vt explicet locum Sap. 4.* fol. 138.

PARS II.

Respondetur dubiis quæ Diuinæ Prouidentiæ solent opponi.

TRACTATVS VI.

Optimè à Deo permitti peccata in hoc mundo, demonstratur: ac propterea neminem iis turbari debere. *fol.* 142.

SYNOPSIS.

§. I. *Inculcatur iterum omnia à Deo benè fieri; nosque capaces non esse qui de rerum euentibus iudicemus, aut quidquam statuamus.* fol. 143.

§. II. *Vt autem plenè acquiescamus, iudicemusque omnia optimè fieri,*

fieri, ostenditur quod finis vltimus omnium actionum Dei, sit eius Gloria. Hinc desumitur noua praxis gaudendi in rebus prosperis, quæ & aduersis conuenit. fol.147.

§. III. *Hinc etiam ostenditur bene à Deo peccata permitti. Primò quidem, quia glorioſius Deo à Creaturâ libero arbitrio præditâ liberè, quàm ab alijs necessitate obediri.* fol.152.

§. IV. *Secundò, quia per peccata Gloriam suam amplificat; ostendendo nimirum longè plures perfectiones, quàm si peccata nulla esse potuissent, aut non fuissent.* fol.156.

§. V. *Tertiò, quia Deus iis vtitur ad bonum & vtilitatem hominum; quæ summa Dei ars est & gloria.* fol.161.

TRACTATVS VII.

Ostenditur bona & mala huius mundi, bene dari etiam malis: sic vt nec soli & omnes mali bona habeant, aut mala; nec etiam omnes & soli boni bonis affluant, aut malis vexentur. Itaque non affligat nos fortuna aliena. *f.*165.

SYNOPSIS.

§. I. QVare via impiorum prosperetur, *non intelligemus perfectè nisi* in nouissimis eorum. *Vt modò acquiescam, sufficit scire me, Deum sic disponere.* fol.166.

§. II. *Sed licet perfectè rationes omnium non intelligam, id tamen video, felicitate impiorum Deum vti, vt nos magis in Fide confirmet, præsertim Resurrectionis, & futuræ Vitæ æternæ.* fol.159.

§. III. *Deinde per felicitatem impiorum, justos confirmat in spe.* fol.170.

§. IV. *Tertiò per felicitatem impiorum, magnitudinem cælestis Gloriæ demonstrat. Patere igitur felicitatem eorum, tibi tam vtilem.* fol. 174.

§. V. *Rectè tamen nec solis malis bona, nec solis bonis mala eueniunt; vt hinc discas, nec quæ vocantur bona, vera bona esse, nec quæ*

mala verè esse mala. Hinc vtraque æstima prout sunt, non prout nominantur. fol. 177.

§. VI. *Ostenditur denique diuisionem fortunarum aliter institui non debuisse, adeoque non potuisse nisi eo quo iam modo facta est. Itaque felicitati alienæ ne inuide, & alienis malis acquiesce.* fol. 182.

TRACTATVS VIII.

Ostenditur bonos & malos promiscuè inter se habitare debuisse. Item non bona fortunæ modò, sed & dotes corporis & animi, hominibus non æqualiter debuisse dari Itaque ne te affligant defectus nec miseriæ alienæ, aut etiam propriæ. *fol.* 189.

SYNOPSIS.

§. I. PRoponitur *ingens hominum, non fortunis modò, sed naturæ dotibus inter se differentium, & nihilominus promiscuè inter se habitantium, varietas, multarum perturbationum caussa. Verùm homines inter se tam varios, promiscuè tamen habitare debuisse ostenditur.* fol. 190.

§. II. *At, inquies, diuersitatem illam geniorum Deus inter homines inducere non debuerat. Proponitur obiectatio; omnia scilicet æqualiter diuidi debuisse.* fol. 196.

§. III. *Quod vt refutetur, ostenditur sine maximâ opum fortunæque inæqualitate, genus humanum licet condi potuerit, conseruari tamen non potuisse.* fol. 199.

§. IV. *Expenditur quanto artificio tantam muniorum differentiam inter homines Deus inuexerit. Atque hinc euincitur, ingeniorum & inclinationum tantam varietatem planè fuisse orbi necessariam.* fol. 202.

§. V. *Tandem, tantam naturæ ingeniorum, fortunæ, & officiorum mutationem & varietatem, saluti nostræ conducibiliorem esse ostenditur.* fol. 209.

PARS

PARS III.

Ostenditur quòd omnibus rerum euentibus acquiescendum sit.

TRACTATVS IX.

Agitur quomodo calamitates cladesque publicæ aspiciendæ sint, vt per eas non turbemur. *fol.* 215.

SYNOPSIS.

§. I. *PRoponuntur præcipuæ querimoniæ, quibus circa rerum publicarum euentus, solent homines inquietari.* fol. 216.

§. II. *Vt his satisfiat, ostenditur imprimis, omnes naturæ calamitates, deinde etiam Prouinciarum & Regnorum ortus & occasus, à Deo esse iudicante id rebus humanis conuenire. Quod cuique debet esse satis, ne turbetur.* fol. 220.

§. III. *Per malam rerum publicarum administrationem regna perdi, regnorumque fortunam transferri ostenditur: idque quatuor modis.* fol. 226.

§. IV. *Vt ergo Regni felicitatem imminuat, aut etiam planè transferat Deus, permittit maleferiatos Reges, insana Magnatum consilia; ignauiam militibus immittit; Præfectorum insolentiam, populique dissentiones excitat.* fol. 229.

§. V. *Ne verò quis conqueri de Deo possit quòd hæc permittat aut immittat, ostenditur ob peccata populi, ab eo Regna fortunamque transferri.* fol. 236.

§. VI. *Itaque acquiesce publicis malis: quod vt facias, non clades ipsas, sed Deum auctorem primò, deinde peccata, caussam nimirum impellentem, aspice.* fol. 240.

TRACTATVS X.

Vnumquemque suo statu contentum debere viuere generatim ostenditur. *fol.*243.

SYNOPSIS.

§. I. VT *quisque contentus sit esse id quod est, id sibi persuadeat, à Deo sic se in orbe constitutum sicuti est.* fol.244.

§. II. *Quia id nemo considerat, ideo nemo vnus suâ conditione contentus est. Ostenditur autem quàm id contra rationem sit.* fol.247.

§. III. *Ostenditur deinde, quòd statu suo non esse contentum, sit totius Vniuersitatis tranquillitati & ordini se opponere, quod sanè absurdum.* fol.253.

§. IV. *Occurritur obiectionibus. Ac primò ostenditur quòd quiuis in suo statu possit Deo perfectè seruire.* fol.258.

§. V. *Secundò, neminem posse iudicare, quòd alio in statu, perfectiorem vitam esset acturus.* fol.260.

§. VI. *Ostenditur tertiò, ideo tibi, statum quem habes, selegisse Deum, quia is tibi saluti consequendæ erat aptior.* fol.264.

TRACTATVS XI.

Ostenditur vnumquemque vt suo statu contentus sit, etiam debere acquiescere omnibus qui præcesserunt euentibus, quibusque ad eum statum est perductus. *fol.*269.

SYNOPSIS.

§. I. EXponitur *quid propriè sit status: quomodo ad eum, & per quæ adiumenta à Deo perducamur: & quando in eo sit perseuerandum. Deducitur id per aliquot casus.* fol.270.

§. II. *Qui suo statu contentus est, etiam meum adiumentis omnibus,*

bus, hoc est euentibus, qui extrinsecùs illum ad hunc statum perduxerunt, contentum esse necesse est. fol.277.

§. III. *Item & internis quas habet animi dotibus, necesse est vt acquiescat.* fol.282.

§. IV. *Denique vt suis etiam dotibus contentus quisque sit, eas cum alienis ne comparet; nec si maiores tuis in alio compereris, illi inuideas.* fol.287.

TRACTATVS XII.

Ostenditur quod qui suo statu contentus est, etiam iis bonis & malis quæ illum statum constituunt, debeat acquiescere. Hoc est, dignitati, opificio, opulentiæ, parcitati bonorum, paupertati &c. *fol.* 293.

SYNOPSIS.

§. I. *VT statui tuo pleniùs acquiescas, magis ostenditur, optimè id factum, vt in nostrâ manu non esset eligere quem vellemus.* fol.294.

§. II. *Nihil itaque statui tuo demptum vel adiectum cupias, si tuo contentus es. Nec alieno adiectum dole quod deest tuo.* fol.298.

§. III. *Ideo autem nihil tibi adiici vult Deus, ne statim te tui status fastidium subeat, illumque in eum qui tibi non conuenit, commutare velis* fol.303.

§. IV. *Occurritur obiectioni de filiorum curâ habendâ. Item ostenditur quòd modicum quid additum statui, statum mutet tibi peculiarem & proprium. Exponitur duplex status; genericus alter aut specificus, alter peculiaris & indiuiduus.* fol.306.

§. V. *Ostenditur nocituruum id tibi, si per diuitias incrementum statui tuo fiat; neque ea te facturum bona opera diuitem, quæ facturum te pauper credis; imo ne ea quidem quæ pauperior modò facis.* fol. 310.

§. VI. *Exemplo Eulogii dicta confirmantur.* fol.312.

TRACTATVS XIII.

Ostenditur quòd qui statu contentus est, etiam difficultatibus omnibus quæ extrinsecus adueniunt, quæque statum necessariò comitantur, debeat acquiescere. *fol.* 318.

SYNOPSIS.

§. I. *Passim queruntur homines pacem suam & quietem, per difficultates extrinsecùs superuenientes interturbari.* fol. 319.

§. II. *Verùm ostenditur ideo turbari homines, quòd harum difficultatum auctorem & directorem Deum, numquam præ oculis habeant.* fol. 321.

§. III. *Deinde quòd aduersa sibi esse falsò credant ea, quæ prosunt maximè & rem promouent. Quomodo autem aduersa prosint, declaratur.* fol. 325.

§. IV. *Vt autem bono tuo & bene patiaris, imprimis noli Deo patiendi materiam immittendam, aut modum præscribere: verùm velis pati quidquid, & prout euenerit; non quod tu elegeris.* fol. 331.

§. V. *Et vt patiaris libenter ea quæ tibi accidunt, semper mala aspice vt à Deo tibi magno consilio immissa, etiam ea quæ per malitiam humanam obueniunt.* fol. 334.

TRACTATVS XIV.

Ostenditur eum qui suo statu contentus est, etiam acquiescere debere omnibus ijs, quæ ab illo statu expectantur, quæque illum necessariò consequuntur. *fol.* 341.

SYNOP-

SYNOPSIS.

§. I. *Qui individuo & singulari suo statu contentus est, etiam operibus quæ ab illo statu expectantur, sit contentus.* f. 342.

§. II. *Qui operibus sui status contentus est, debet etiam molestiis acquiescere, quæ in operibus illis exercendis reperiuntur: item illis quæ ea opera consequuntur.* fol. 347.

§. III. *Traditur modus quo excipiendæ sunt molestiæ & dolores, vt in iis constitutus, iis tamen acquiescas; hoc est, vt in dolore gaudeas.* fol. 349.

§. IV. *Ostenditur propositâ praxi, dolores ipsos vehementer subleuari, commodèque ferri.* fol. 355.

§. V. *Declaratur quo pacto, tuo statu contentus licet sis, possis nihilominùs incommoda tui status auertere, imo & statum ipsum quandoque cum feliciori permutare.* fol. 357.

TRACTATVS XV.

Ostenditur eum qui statu suo contentus est, etiam morti, & mortis horæ, & mortis modo, penitus debere acquiescere, & lætum hoc est volentem mori. *fol.* 364.

SYNOPSIS.

§. I. *Ponuntur quatuor rationes, ob quas mors vulgo habetur terribilis, mox refutandæ.* fol. 366.

§. II. *Verùm si contentus es humano statu, etiam mortalis esse debes, & verò etiam velle mori.* fol. 368.

§. III. *Qui verò mori contentus est, etiam mortis tempori & horæ debet acquiescere.* fol. 372.

§. IV. *Qui autem mortis suæ tempori acquiescit, etiam mortis modo, morbisque mortem inferentibus contentus esse debet. Morbos autem magnum Dei artificium esse declaratur.* fol. 377.

§. V. *Ostenditur mortem ob æternæ salutis, aut damnationis periculum,*

culum, timendam non esse: neque horam mortis conuenienter præsciri aut debuisse aut potuisse. fol. 382.

§. VI. *Itaque cum mortis momentum aduenerit, hoc age vt benè, id est lætè siue libenter moriaris. Exponitur per quos actus id sit agendum.* fol. 387.

TRACTATVS XVI.

Synopsis omnium præcedentium Tractatuum: seu demonstratiua deductio, & connexio totius argumenti, cum conclusione. *fol.* 390.

AD MAIOREM DEI GLORIAM.

ERRATA.

fol. 36 lin. 19. est tua. leg. &. fol. 61. lin. vltima frigere leg. frigore. fol. 110. lin. 21. pignoræ leg. pignore. fol. 118. lin. 32. gustu leg. gustui. fol. 139. lin. penul. à fine. omnium. leg. omnia. fol. 255. lin. 3. à fine felicitati. leg. felicitatis. ibid. lin. vltimâ, cursum. leg. cursim. fol. 296. lin. 27. incipias. leg. incipies. fol. 297. lin. 15. ipse leg. ipsæ. fol. 286. lin. 6. à fine manus. leg. manu. fol. 331. lin. 16. flacci. leg. flocci. fol. 380. lin. 8. à fine. facto. leg. farto. fol. 385. lin. 21. ostendam. leg. obtendam.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS.

PER FLANDRO-BELGICAM.

EGo infrascriptus Præpositus Prouincialis Prouinciæ Flandro-Belgicæ Societatis IESV, ex potestate mihi factâ à Reuerendo Admodum Patre Ioanne Paulo Oliua Vicario Generali eiusdem Societatis, eam facio D. IACOBO MVRSIO Typographo Antuerpiensi, vt imprimat librum cui titulus: ARS SEMPER GAVDENDI *ex sola diuinæ Prouidentiæ consideratione, demonstratâ, & per Aduentuales conciones explanata à P. Alfonso Antonio de Sarasa Societatis* IESV, quem prius examinarunt atque approbarunt Theologi nostri. In quorum fidem hisce manu propriâ subscripsi, easque solito officij mei sigillo munitas dedi. Antuerpiæ 23. Iunij 1664.

FRANCISCVS DE CLEYN.

APPROBATIO.

QVod Apostolus inculcat, nempe gaudere in Domino semper, quodque Sapiens optimum sub Sole esse iudicat, scilicet lætari hominem in opere suo; idipsum faciendi artem liber hic inscriptus, ARS SEMPER GAVDENDI, demonstrat & exponit per præclaros gratosque discursus ac digressiones doctissimas, quibus homo Christianus cum omni fortunâ æque aduersâ ac prosperâ docetur componi, & ad lætandum omni tempore siue nubilo, siue sereno, & in omni rerum euentu, seu tristi, seu læto instituitur ex consideratione diuinæ prouidentiæ, quæ ex parte diuini intellectus est Dei sapientia, in voluntate, Dei bonitas, Dei æquitas, Dei potentia; bonitas in distributione bonorum, æquitas in permissione malorum, potentia, quâ facit de malis prouenire bona. Datum Antuerpiæ 4. Septemb. 1664.

IOANNES DE CAPVA.
Canon. Cath. & Lib. Cens.

SVMMA

SVMMA PRIVILEGII REGII.

PHILIPPVS Dei gratia Hiſpaniarum, Indiarumque &c. Rex Catholicus, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ &c. Sereniſſimus Belgarum Princeps diplomate ſuo ſanxit, ne quis *Librum cui titulus eſt* ARS SEMPER GAVDENDI *ex ſolâ Diuinæ Prouidentiæ conſideratione demonſtrata Authore* P. ALFONSO ANTONIO DE SARASA *Societatis Ieſu Sacerdote* citra IACOBI MEVRSII, Typographi Antuerpienſis voluntatem vllo modo in Belgio intra nouem Annos proximos imprimat, aut alibi terrarum impreſſos, in has inferioris Germaniæ ditiones importet, venalesúe habeat. qui ſecùs faxit, confiſcatione Librorum & pro ſingulis Exemplaribus peregrinis huc illatis, triginta florenorum penſione multabitur: vti latiùs patet in Litteris datis Bruxellæ die 29. Iulij. M. DC. LXIV.

Signat

LOYENS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX

RERVM PRÆCIPVARVM QVÆ IN PRIMA PARTE ARTIS SEMPER GAVDENDI CONTINENTVR

Absalon.

ABsalonis suspendium non casu, sed ex Dei ordinatione contigit infallibiliter, sine vllo tamen liberi arbitrij præiudicio. Tr.5.n.26

Aduersitates.

Aduersitatibus Deus iustorum quædam mala opera hîc castigat, vt postea eorum bona opera citiùs & plenè remuneret. Tr.7.n.10

In aduersis iustus se futuri expectatione consoletur. Tr.7.n.14

Aduersitates consultò immittit aut permittit Deus, vt tali tempore & horâ tristis sis, quâ tristitia tibi tunc conueniebat. Tr.13.n.9

Aduersa vocamus ea quæ sæpe sunt maximè prospera. Tr.13.n.12.& seq.

Aduersitatibus mundum replet Deus, vt fastidio sit, & vt de cœlo cogitemus Tr.13.n.16.& seq.

Aduersitates quomodò accipiendæ sint, vt patienter tolerentur. Tr.13.n.20. & seq.

Aduersitates suis amicis cur immittat Deus. Congeruntur rationes plures. Tr.13.n.33.34. *vide. V.* Patientia.

Alfonsus Rex Castellæ.

Alfonsi Regis blasphemia, quâ multa se in primâ creatione mundi correcturum fuisse iactitabat, egregiè à Deo castigata. Tr.5.n.32

Animus, Animi dotes.

Animus Sapientis semper serenus. in Dedicator. pag.2

Animus conformandus est rerum euentibus. Tr.1.n.18.& seq.

Animi quies in hoc mundo haberi potest, licet in eo moueantur omnia. Tr.1.n.12.& seq.

Animi dotes in hominibus maximè diuersæ. Tr.8.n.9. & seq.

Per diuersitatem geniorum, indolis & ingenij, diuersitatem muniorum & statuum in humanum genus induxit Deus. Tr.8.n.29.& seq.

Nemo iustè potest conqueri de animi dotibus, quòd maiores non habeat. Tr.11.n.29

Nemo posset sibi aptiores animi dotes præ iis quas habet eligere, si daretur optio. Tr.11.n.31.& seq.

Multi sibi de ingenio & iudicio suo admodum abbland.untur, eoque contenti sunt. Tr.11.n.34.& seq.

Tuas dotes alienis ne compara, ne pro tuis fias ingratus. Tr.11.n.37. & seq.

Apes.

Apum admiranda industria demonstratur, dum omnes suas cellulas constituunt hexagonas æquiangulas, & consequenter æquilateras. Tr.3.n.34

Bella, bellorum effecta.

Bellorum crudelitas. Tr.9.n.4
Bellorum exitus infelix. Tr.9.n.6
Bellorum origo temeraria. Tr.9.n.7
Bellorum tumultus excitantur, dum regnorum fortunam alio transuehere statuit Deus. Tr.9.n.18.19
Consilium principibus, & fortitudinem militibus Deus adimit in regnis quæ statuit destruere. Tr.9.n.26. & seq.
Milites maximè obscuri Romanum primò imperium, & deinde Gotthicum in Hispaniâ debellarunt. Tr.9.n.29
Hispani pauci & obscuri Mauricam ferociam debellarunt. Tr.9.n.29

Bona & mala fortunæ.

Bona & mala promiscuè à Deo dantur tam malis, quàm bonis, & quidem instè, idque ob varias rationes. Tr.7.n.22. & seq.
Bona & mala quæ vulgus sic vocat, non sunt nec mala nec bona, sed ineptè sic appellantur. Tr.7.n.25.26
Bona hæc, tantùm instrumenta sunt vnde facias bene vel malè. Tr.7.n.27
Et bona fiunt vel mala, benè illis vtendo vel malè. Tr.7.n.28
Boni & Commodi nomina etiam malè confunduntur. Tr.13.n.14
Bona fortunæ aliter distribui non debuere, quàm inter bonos & malos promiscuè. Tr.7.n.29.
Mala non esse danda solis malis. Tr.7. n.36.37
Nec bona danda solis malis. Tr.7. n.38.39
Nec bonis solis danda bona. Tr.7.n.40
Nec bonis solis danda mala. Tr.7.n.41
Si bona fortunæ æqualiter omnibus essent data, non consisteret genus humanum. Tr.8.n.21. & seq.
Per inæqualitatem diuitiarum, diuersitas muniorum & functionum inter homines inducitur. Tr.8.n.29
Bona & mala in eodem homine per interualla benè miscet Deus. Tr.8.n.41
Bona hic si sint perpetua, obliuiscetur homo Dei. Tr.8.n.42. & seq.

Carolus V. Imp.

Caroli Quinti in Algertanâ clade fortitudo & patientia. Tr.9.n.34

Cæli, cœlestia corpora.

Cælestium corporum consideratio. Tr.2. n.19. & seq.
Insanum est dicere cœlos coiisse casu. Tr.2. n.29. & seq.
Ex cælestium corporum constanti situ & circumuolutione, Ethnici collegerunt vnum tantùm esse Deum. Et recte eos collegisse demonstratur. Tr.3.n.1. & seq.
Cælestia corpora sublunaribus vti instrumenta deseruire, fusè ostenditur. Tr.3. n.21. & seq. Tr.2.n.38.
Vide V. Luna, Sol.

Conformitas cum voluntate Diuinâ.

Duplex Dei voluntas: vna antecedens & absoluta,

absoluta, cui numquam licitum est se opponere. Tr.14.n.32
Altera subsequens & conditionata, cui sæpe debemus resistere. Tr.14.n.33
Possumus autem Diuinæ voluntati conditionatæ resistere, quamdiu pendet conditio. Tr.14.n.35. & seq.
Negotiis agendis adhibenda sunt omnia media possibilia, successus verò relinquendus Deo, & approbandus quiscumque demum fuerit. Tr.14.n.42

Creatio, Creatura.

Creatio quid sit, nouo modo exponitur, & ostenditur quid sit locutio extrinseca Dei. Tr.5.n.8
Creatura autem est terminus locutionis Diuinæ, seu verbum Dei extrinsecum. Tr.5.n.10.11
Conseruatio creaturæ est pronuntiatio Dei actu durans. Tr.5.n.12
Creaturæ à Creatore dependentia quid sit, & quanta. Tr.5.n.13.14
Creaturarum diuersis modis Deo obsequentium sunt quatuor genera. Tr.6.n.25

Cupiditas.

Habendi cupiditas minimi adiectione illicò crescit. Numquam satur. Item cupiditatis generatio. Tr.12.n.26

Damnandi.

Credibile est Deum damnandis prouidisse de statu in quo minùs habituri sunt damnationis. Tr.10.n.41
Numquam melius morietur peccator, etiamsi damnetur, quàm quando morietur. Tr.15.n.35.36

Dauid.

Dauid non attendit ad Semei sibi conuitiantem, sed ad Deum conuitiatorem illum in se immittentem. Tr.13.n.32

Deus.

Deus mundi gubernator. Tr.2.n.2.3
Dei in gubernando mundo accuratissimum studium describitur. Tr.2.n.13.14
Deum esse, & quidem vnicum, ex situ & circumuolutione cœlorum collegerunt Ethnici. Probatur rectè eos collegisse. Tr.3.n.1. & seq.
Deum esse qui cœlestia corpora, tanquam instrumenta, sublunaribus corporibus generandis & conseruandis adhibet. Tr.3.n.27. & seq. Tr.2.n.38
Deus etiam minima animalcula efformat. Neque adeo hoc Deo est indignum, vt summam in iis artis suæ magnificentiam ostendat. Tr.3.n.31. & seq.
Deus maximus in minimis. Ibidem.
Diuinorum decretorum rationes particulatim non sunt indagandæ. Sed vt iis acquiescas, magna imprimis de Dei sapientia habenda est opinio. Tr.4.n.4. vsque ad 20. Tr.7.n.2.3.4
Cur Deus creauit has creaturas, & non alias. Tr.4.n.33. & seq.
Deus ex Idæis suis vniuersum, & res futuras omnes ordinauit. Tr.4.n.40. & seq.
Respectu Dei nihil casu fieri demonstratur. Tr.5.n.17. vsque ad 31
Deus omnia fecit propter hominem; & hominem propter suam gloriam. Tr.6. n.8.9.10
Cur Deus peccata permittat. Tr.6.n.18. vsque ad finem Tract.
Cur Deus impios sinat esse felices. Tr.7. n.1. vsque ad 22

Deus castigabit impios tempore suo, quod Deo præscribendum non est. Tr.7. n.21

Deus omnia bona fortunæ optimè distribuit, dando ea promiscuè tum bonis, tum malis. Nec aliter fieri debuit, aut potuit benè hæc distributio. Tr.7.n.29.& seq.

Deus bona naturæ optimè distribuit, dando ea promiscuè. Tr.8.n.16. & seq.

Deus per tantam geniorum & corporum inæqualitatem genus humanum conseruat. Tr.8.n.27. & seq.

Deus vtitur humanis adminiculis, vt hominem ad statum aliquem vocet. Tr. 11.n. 5. & seq.

De Diuinis attributis quo modo sit philosophandum. Fol.122.n.4. Fol.141 n.39

Vide V. Prouidentia Dei, *item* Scientia Dei.

Diuitiæ.

Diuitiæ optimè à Deo distributæ, quia promiscue malis & bonis. Nec homines eas possent aptè distribuere. Tr.7.n.29. & seq.

Diuitias diuidi debuisse inæqualiter inter homines. Tr.8. n.22. & seq.

Diuitiæ non sunt expetendæ vt inde facias bona opera. Nam si diues esses, ea opera quæ iam tibi præstituis, non faceres. Tr.12.n.30.& seq.

Probatur id exemplo cuiusdam Eulogij. Tr. 12.n.34. & seq.

Vide V. Bona & mala fortunæ.

Dœmon.

Dæmonis technæ sunt, hominem ad mutandum statum permouere sub specie maioris perfectionis. Tr.11.n.13

Euentus.

Velis omnia fieri, vt fiunt quæ emendare non potes. Tr.1.n.23. & seq.

Euentus rerum non in seipsis, sed in auctore Deo sunt spectandi. Tr.1.n.26. &seq. Tr.5.n.29.Tr. 9.n.10.& seq.

Euentuum singulorum rationes non sunt inuestigandæ, vt statuas omnia à Deo esse, & sapienter ordinari. Tr.4.n.4. & seq.

Omnia à Deo sapientissimè fieri priùs statue; & tunc singulorum euentuum rationes facilè inuenies. Tr.4.n.9. vsque ad 20

Humanum ingenium nimis est limitatum, quàm vt de rerum euentibus certò iudicet quid sit melius fieri aut non fieri. Tr. 5.n. 34. & seq. Tr.6.n.2. & seq.

Homines in iudicio de rerum euentibus ferendo excæcantur amore proprio. Tr. 5.n.35. & seq.

Nemo potest ea quæ vniuersim fiunt corrigere; & ne pluuiam quidem vnicam ordinare, nisi fiat Deus aut Deo par. Tr.5.n.38

Euentibus omnibus vt acquiescat, sufficere debet homini, eos sic à Deo esse ordinatos. Impudentis autem est in ius vocare quod Deus fecit. Tr.7.n.2. & seq.

Negotiis omnibus adhibenda sunt omnia media possibilia; successus verò relinquendus Deo, & approbandus quiscumque fuerit. Tr.14.n.42

Eulogius.

EVlogius pauper, ad opera misericordiæ admodum pronus; diues factus, in omnem abiit inclementiam. Tandem fortunæ pristinæ, & sibi redditur. Tr. 12.n.34. & seq.

Fœmina.

FÆminis alia necessariò debuit indi sanguinis & cerebri temperies quàm viris. Tr.8.n.33

Hinc est quòd facilè earum defectibus viri debeant indulgere. Tr.8.n.34

Filij.

Filiorum cura multos habet nimiùm & malè sollicitos. Tr.12.n.24

Fortuna.

Fortuna quæuis sapienti viro materia virtutis est. In dedicatoria pag. 3

Fortuna Regnorum toto orbe paulatim circumfertur. Tr.9.n.16

Nihil fortè aut casu fit respectu Dei. Tr. 4. n. 17. vsque ad 31. Tr. 11. n.6. & seq.

Fortunam eam passim appetunt homines, cui ferendæ non sunt pares. Tr.12. n.19. & seq.

Vide. V. Bona & mala fortunæ.

Gaudium.

GAudium quid sit. In dedicatoria. pag. 2

Gaudium non est in corpore. Tr.1.n.10

Gaudium seu animi quies haberi potest in hoc mundo, quantumuis in eo moueantur omnia. Tr.1.n.12. & seq.

Gaudium interpellat vnica opinio. Hæc sola detrahenda est vt gaudeas. Tr.1. n.15. & seq.

Vt gaudeas, te rebus compone, neque res ex tuo arbitrio satagis componere. Tr.1. n.22.23

Nec velis omnia fieri arbitratu tuo; sed quæ corrigere non potes, velis fieri vt fiunt. Tr.1.n.24.25

Gaudij fundamentum primum est magna de Diuinâ Prouidentiâ opinio. Tr.2. n.5.6. item 41.42

Gaudeat homo quod sit instrumentum Dei: & se à Deo tractari permittat prout ipsi placet, tam in prosperis quàm in aduersis. Tr.6.n.14. & seq.

Quibus actibus attendenda sit Dei Prouidentia, vt ei acquiescas, & tuo semper gaudeas. Tr.10.n.42.& seq.

Quomodo excipiendi sint dolores & molestiæ, sic vt in dolore gaudeas, & gaudeas te dolere. Tr.14.n.18. vsque ad 27

Vtilitates huius praxis proponuntur. Tr. 14.n.27. & seq.

S. Gertrudis.

S. Gertrudis noluisset vno momento vitam producere ad recipienda Sacramenta, in vitæ amittendæ periculo. Tr.15.n.34

Hispani.

HIspanorum de Mauris relatæ victoriæ. Tr.9.n.29

Homo.

Homines opinionibus turbantur, & non rebus. Tr.1.n.14. & seq.

Homines turbantur quòd se rebus non accommodent. Tr.1.n.18

Hinc non turbantur homines, sed seipsos turbant. Tr.1.n.19. & seq.

Homo non potest iure conqueri quòd hôc & non alio modo sit efformatus. Tr.4. n.36.37

Hominem quemuis eiusque conditionem ex Ideis suis ordinauit Deus. Tr.4.n.47

Humanum ingenium nimis limitatum est, quàm vt possit rectè iudicare quid sit melius fieri aut non fieri. Tr.5.n.34. & seq. Tr.6.n.2. & seq.

Homines in iudicio de rerum euentibus ferendo, excæcantur amore proprio. Tr.5. n.35.& seq.

Nemo potest ea quæ vniuersim sunt corrigere, imo ne pluuiam vnicam ordinare, nisi fiat Deus aut par Deo. Tr.5. n.38.39.

Homo non nisi insanè optat propter se mutari & turbari vniuersum. Tr.5.n.43

Itaque vt sapiat homo, accommodet se vniuerso. Tr.5.n.44

Omnia Deus fecit propter hominem, & hominem propter suam gloriam. Tr.6. n.8. & seq.

Homo est instrumentum gloriæ Dei. Itaque ab eo tractari se permittat prout ipse vult. Tr.6.n.14. & seq.

Homines incapaces sunt vt melius bona distribuant, quàm prout nunc distributa sunt à Deo. Tr.7.n.30. & seq.

Hominum ingens in moribus, indole, & aliis animi dotibus diuersitas describitur. Tr.8.n.1. & seq.

Homines non possunt sic distribui, vt omnes qui eiusdem sunt gentis simul habitent. Tr.8.n.7. & seq.

Homines ex se nullum habent ius vt vnus altero maior sit. Totum id dependet à dispositione Dei. Tr.10.n.15.16

Hominum nulli concedi debet priuilegium vt possit eligere aliud esse quàm est: sed suo contentus debet viuere. Tr.10. n.17. & seq.

Homo benè agat partem quam à Deo accepit & in hoc consistit gloria quam ab homine expectat Deus. Tr.10. n.23

Homines passim appetunt statum cui ferendo non essent. Tr.12.n.19. & seq.

Qui mortalis est, debet contentus esse quod aliquando moriatur. Tr.15.n.6

Si immortales sint homines, Deus mundum hunc, imò & corpus humanum, malè fecit. Tr.15.n.7.8

Quàm ingens fuerit hominum ab orbe condito multitudo, rudi calculatione exhibetur. Tr.15.n.7

Homines tam sunt miseri, vt miserias suas ament. Tr.15.n.12

Ideo ex hâc vitâ, morbis quasi per vim expellendi sumus. Tr.15.n.26

Infans Snecanus.

INfans prope Snecam in Frisiâ, post ingens maris diluuium, inuentus inter vndas in cunis suauiter dormiens cum catello. Tr.1.n.13

Ingratus.

Deo ingrati sumus, quia beneficia quæ à Deo accepimus cum alienis beneficiis comparamus. Tr.11.n.36

Beneficia nostra cum alienis malè comparamus. Tr.11.n.39. & seq.

Ingrati sumus Deo, quia velut pueri alienis bonis inuidemus. Tr.12.n.14. & seq.

Inuidia.

Ineptè inuidemus alienis bonis. Tr.11. n.41. & seq.

Ex inuidiâ fit quòd parum nobis videamur accepisse à Deo; quia nempe plus datum credimus alteri. Tr.12.n.13. & seq.

Quàm puerile vitium sit inuidia. Tract. 12.n.16

Jonas.

Ionas in mediâ tempestate positus, poterat tamen dormire. Tr.1.n.12

Joseph.

Iosephi Patriarchæ historia nihil continet casu factum: ex Dei destinatione contigerunt

gerunt omnia, sine vllo tamen liberi arbitrij humani præiudicio. Tr.5.n.27

Israëlitæ.

Israëlitæ per Magistratuum inferiorum ferocia imperia ad seditionem concitati, qui Regis jussa vtcumque tulerant. Tr. 9.n.30

Israëlitæ numquam de Ægyptiacâ seruitute excutiendâ cogitassent, si clementiùs fuissent habiti. Tr.13.n.18

Liberum arbitrium.

Liberum arbitrium quomodo stet cum infallibili ordinatione Dei. Tr.5. n.24. & seq.

S. Ludouicus.

S. Ludouicus licet sanctissimus, & piam causam sustinens, infeliciter tamen pugnauit. Tr.9.n.34

Luna.

Lunæ situs & qualitates. Tr.2.n.25

Matrimonium.

Matrimonium est status indissolubilis. Tr.11.n.3

Vtitur Deus adminiculis humanis vt homines ad certum quoddam matrimonium vocet. Tr.11.n.4

Matrimonia respectu Dei non coalescunt casu. Tr.11.n.7. & seq.

Morbi.

Morbi sunt pulcherrima inuentio Dei ad destruendum paulatim nostra corpora. Tr.15.n.23

Quare Deus sæpe morbos valde vehementes immittat. Tr.15.n.24

Et quidem tum id facit Deus, ingens præstat naturæ beneficium. Tr.15.n.25

Per morbos ex hâc vitâ expelli debemus, quia miserias nostras tantopere stulti adamamus. Tr.15.n.26

Morborum vehementiâ abstergitur dolor qui in ipso mortis articulo sentiretur. Tr.15.n.27

Per morbos nos Deus instantis mortis admonet. Tr.15.n.31

Mors,
Præparatio ad mortem.

Ob quatuor potissimum rationes mors habetur terribilis. Tr.15.n.1. & seq.

Homines in hâc terrâ non poterant esse immortales, nec conueniebat eos tales esse. Tr.15.n.7. & seq.

Tam naturalis nobis est mors quàm vita. Tr.15.n.13

Mors præoccupat futura mala nobisque euentura. Tr.15.n.13

Malè conquerimur de incertitudine, & breuitate vitæ. Tr.15.n.16

Malè etiam conquerimur de præstituto nobis certo vitæ termino. Tr.15.n.17

Vitæ terminum non possemus nobis ipsis rectè determinare Tr.15.n.18

Vitæ terminus rectè celatur à Deo, nec nobis reuelatur. Tr.15.n.19

Nihil refert scire aut nescire mortis horam, vt modò bene agas. Tr.15.n.32

Optima ad mortem præparatio est, agere id quod Deus à te requirit eo ipso tempore quo es. Probatur id exemplo Vincentij Caraffæ, & Roderici de Hormaz. Tr.15.n.33

Contentus sis mori præstituto tibi à Deo tempore, etiamsi sine Sacramentorum perceptione moriendum tibi foret; exemplo S. Gertrudis. Tr.15.n.34

Numquam melius morieris, quàm cum morieris, etiamsi infelix tibi contingeret æternitas. Tr.15.n.35.36

Quid

Quid propriè sit bene mori. Tr.15.n.38
Qui actus excitandi sint in ipso mortis articulo, vt sanctè moriaris & alacriter. Tr.15.n.39. & seq.

Mundus.

Mundus est ad instar nauis. Tr.2.n.1.
Mundi seu nauis huius gubernator Deus. Tr.2.n.2
Mundum terrestrem ferro & igni diuidimus, qui tamen comparatione cœli merum punctum est. Tr.2.n.20
Mundi ordinatio Deum nuntiat & deprædicat. Tr.2.n.21.32
Mundi terraquei situs, superficies, & declinitas admirabilis Tr.2.n.26.27
Ostenditur dementia eorum qui sentiunt hunc mundum casu ex atomis coaluisse, aut coalescere potuisse. Tr.2.n.29. & seq.
Ex mundi structurâ colligitur Deus, & quidem vnicus. Tr.3.n.1. & seq.
Mundus totus quomodo ex ideis Diuinis sit effformatus. Tr.4.n.40. & seq.
Mundus casu non voluitur, nec quidquam casu fit, sed omnia contingunt & singula, Deo ea & permittente & dirigente. Tr.5 n.17. vsque ad 31
Mundus amaroribus repletur, vt tandem sis fastidio, & de eo deserendo cogitemus. Tr.13.n.16.& seq.

Nauis, Nauigatio.

Nauis est mundus. Tr.2.n.7
Nauis huius gubernator Deus. Tr.2.n.2
Nauigationis magnæ artificium vtcumque exponitur. Tr.2.n.8.9

Opera.

Numquam citius seruitur Deo, quàm dum præstantur opera quæ cuique statui sunt propria. Tr.10.n.25. & seq.
Cui placet suus status, etiam placeant opera quæ illi statui sunt propria. Tract. 14.n.4
Homines passim ad illa anhelant opera, quæ alteri à suo statui sunt propria: sed malè. Tr. 14.n.7. & seq.
Opera cuique statui propria debent placere Deo; & illa sola potest iustè exigere, non item alia. Tr.14.n.11

Opiniones.

Opinionibus turbantur hominem magis quàm rebus Tr.1.n.14
Opinio vnica tantùm detrahenda est homini vt felix sit: & quæ. Tr.1.n.15. & seq.

Patientia.

Aliter clades & miserias à Deo immissas patiuntur Ethnici, aliter Christiani. In quo consistat hæc diuersitas. Tr.9. n.38.39
Vt bono tuo & benè patiaris, ne præscribas Deo quid pati velis, sed paratus sis pati quidquid visum Deo fuerit, idque sine vlla exceptione. Tr.13.n.20
Item à quocumque te volet Deus pati, paratus sis pati. Tr.13.n.23. item n.29. & seq.
Quomodo exercenda sit patientia in rebus quas non potes euitare & emendare: item quomodo in iis quas potes euitare. Tr.13.n.24.& seq.
Cur mala amicis suis immittat Deus. Tr. 13.n.33.34
Quomodo excipiendi sint dolores & molestiæ, sic vt in dolore gaudeas, & gaudeas te dolere. Tr.14.n.18. vsque ad 27
Ostenditur id fieri posse exemplo comœdi exhibentis partem personæ tristis & lachrymantis. Tr.14.n.22

Hæc

Hâc praxi multùm subleuantur dolores, imo nonnumquam tolluntur omnino. Tr. 14.n.27. & seq.

Peccatum.

Peccata Deus permittit, ne officiat libero arbitrio. Illi autem non vult officere, quia glorioſius eſt Deo liberè ſibi creaturas ſeruire. Tr.6.n.19. & ſeq.

Per peccata gloriam ſuam Deus amplificat; oſtendendo nimirum longè plures perfectiones & attributa, quàm ſi nulla fuiſſent peccata, aut eſſe potuiſſent. Attributa illa deſcribuntur. Tr.6.n. 28. & ſeq.

Peccata meliùs permittuntur à Deo, quia iis vtitur in aliorum hominum bonum. Tr.6.n.39.

Peccata propria ſunt multis occaſio maioris ſanctitatis. Tr.6.n.39. & ſeq.

Peccata aliena ſi potes, impedi; ſi non potes, tolera prout ea tolerat Deus. Tr.6. n.44. & ſeq.

Peccatores multos in hâc vitâ felices eſſe, bene permittit Deus. Tr.7.n.6. & ſeq.

Peccatores non habebunt excuſationem impietatis ſuæ, ſeu felices hîc fuerint, ſeu infelices. Tr.8.n.48

Ob peccata populi tum publica, tum priuata, iuſtè caſtigat Deus regna integra. Tr.9.n.31. & ſeq.

Ob peccata populi caſtigantur à Deo Reges optimi. Tr.9.n.34

Ob peccata populi, hoſtes aliàs ignaui & barbari, fortes ſunt. Tr.9.n.36

Scelera triumphantium hoſtium, ſuo etiam tempore caſtigabit Deus. Tr.9.n.37

Inter criminum complices Deus nonnumquam diſſentiones ſeminat, vt ſic à peccatis mutuis eos abſtrahat. Tr.13.n.19

Proſperitas.

Proſperitas impiorum iuſtos confirmat in fide, præſertim Reſurrectionis & vitæ æternæ. Tr.7.n.6.7

Proſperitas impiorum iuſtos confirmat in Spe. Tr.7.n.8

Proſperitate Deus impiorum quædam bona opera remunerat in hâc vitâ. Tr.7.n.9. & ſeq.

Proſperitatem impiis dat Deus, vt eos poſtea diſtrictiùs caſtiget. Tr.7.n.11.& ſeq.

Proſperitas impiorum magnitudinem Gloriæ cæleſtis demonſtrat. Tr.7.n.16

Proſperitati impiorum non eſt inuidendum, nec in genere nec in particulari. Tr.7. n.18.& 43

Impios felices eſſe permittit Deus, vt per eos caſtiget iuſtum in hâc vitâ. Tr.7.n.19

Proſperitatem & aduerſitatem bene miſcuit Deus. Tr.8.n.41

Proſperitas perpetua oblinionem Dei inducit. Tr.8.n.42. & ſeq.

Prouidentia Dei.

Prouidentia Dei nimis parum ab hominibus attenditur: ideo facilè turbantur. Tr. 1.n.28.& ſeq.

De Prouidentiâ Dei ingens eſt excitanda opinio. Atque hæc eſt primum gaudij fundamentum. Tr.2.n.5.6. item 41.42

Prouidentiæ Diuinæ confuſa ſcientia ſuffici excitandæ ingenti de Deo opinioni, & pacando animo. Explicatur id comparatione ex nauigatione deſumptâ Tr.2. n.7. & ſeq.

Prouidentia Dei in conſtruendis cælis, aſtris, terrâ &c. demonſtratur Tr.2.n.18. vſque ad finem Tract.

Quomodo cælis & aſtris vtatur Deus ad ſublunarium corporum generationem, conſeruationem &c. Tr.2.n.37. & ſeq.

Prouidentia Dei in ſublunaribus, ineptè negarunt Philoſophi. Exponuntur eorum rationes, & refutantur. Tr.3.n.6. & ſeq.

Deum omnia minutiſſima curare, probatur ex ipſa cæleſtium corporum conſtructione & ſitu. Tr.3.n.15. & ſeq.

Prouidentia in omnibus etiam minimis euentibus maximè admiranda. Tr.3. n 37.& seq.
Prouidentiam Dei nemo potest effugere. Tr. 5.n.30
Quantâ Prouidentiâ per inæqualitatem bonorum tum fortunæ tum naturæ, totum genus humanum conseruet Deus. Tr.8.n.27. & seq.
Tantam curam gerit Deus *vnius hominis, quantam vniuersi, imò eandem.* Tr.10. n.2.3
Maiorem rationem habet Deus *hominis, quàm corporum cælestium.* Tr.10.n.5
Quibus actibus attendenda sit Dei *Prouidentia, vt ei acquiescas.* Tr.10.n.42. & seq.

Regna, Respublicæ.

Regna & Respublicas constituit Deus. Tr.9.n.14
Regnorum felicitatem meritò noluit Deus *esse perpetuam.* Tr.9.n.15
Regnorum varij exortus, & occasu describuntur. Tr.9.n.16
Quatuor modis Regna perduntur: nimirum Regum incuriâ, magnatum malis consiliis, militum ignauiâ, populi inobedientiâ. Tr.9. n.20. & seq.
Hæc mala immittit Deus *Regnis, quorum felicitatem vult destruere aut immmuere.* Tr.9.n.25. & seq.
Quibus artibus sustinenda sit Respublica. Tr.9. n.27
Magistratuum inferiorum ferotia populos ad seditionem concitat. Hinc regnorum subuersio. Tr. 9.n.30
Ob peccata populi iustè castigat regnum Deus; *eripit consilium regibus, ignauiam immittit militibus &c.* Tr.9.n.31. & seq.

Romani.

Romanum imperium per nationes summè obscuras subuersum est. Tr.9.n.29

Scientia & Sapientia Dei.

Magna de Dei sapientiâ habenda est opinio, vt omnium rerum euentibus acquiescas. Tr.4.n.4. vsque ad 20
Scientia simplicis intelligentiæ, quâ Deus *omnia possibilia cognoscit, quid sit.* Tr. 4.n.24. & seq.
Scientiam hanc in Deo *dari probatur.* Tr. 4.n.27
Scientia hæc est ipsemet Deus. Tr.4.n.30
Necessaria est hæc Deo *scientia, vt mundum liberè condat & non ex necessitate.* Tr.4.n.31. & seq.
Scientia Visionis quâ Deus *videt omnes futuras creaturas, quid sit.* Tr.4.n.38. & seq. Tr.5.n.3.
Ideæ Diuinæ quid sint, & quomodo ex iis totum hunc mundum ordinet Deus. Tr.4.n.40. & seq.
Scientia media, seu conditionabilium, quâ Deus *futura omnia conditionatè cognoscit, necessariò est in* Deo; *ne in decernendis infallibiliter actionibus hominum & Angelorum, quidquam eorum libertati officiat.* Tr.4.n.48
Quàm infinita infinities sit ea Scientia. Tr. 4.n.49.50. Tr.5.n.5
Tres hæ Scentiæ, tres bibliothecæ Dei *sunt. Et Visionis quidem Scientia, ex Scientiâ simplicis Intelligentiæ est desumpta. Scientia verò conditionalium, ex vtrâque.* Tr.5.n.25. & seq.
Scientiâ conditionalium quo modo vtatur Deus, *vt infallibiliter hominum actiones liberas ordinet, sine libertatis humanæ vllo præiudicio.* Tr.5.n.25. & seq.
Scientia conditionalium illimitata fusè defenditur contra Caramuelem, eam ad quædam decreta humana in quibus conditionatè futura nouerit Deus, *falsò & sinè fructu restringentem.* Fol. 120. dissertat. totâ.

Ne

Ne probabiliter quidem probatur in Deo non dari Scientiam conditionalem illimitatam. Nec Scripturarum pro eâ asserendâ allatarum, vel probabilis affertur solutio. Fol.124. & seq.

Decreta in quibus quædam futura conditionata viderit Deus, *ficta sunt. Si tamen vera essent, ne in iis quidem, euentus conditionatè futuros, infallibiliter videre potuit* Deus. Fol.125. & seq.

Seruire Deo.

Gloria Dei in hoc consistit, quòd partem suam quisque bene agat in illo statu in quo constitutus est à Deo. Tr.10.n.23

Numquam certius est quod Deo *seruiatur, quàm dum bene suam quisque agit partem in illo statu, in quo constitutus est à* Deo. Tr.10.n.25. & seq.

Vide V. Status.

Sol.

SOlis pulchritudo, magnitudo, & situs eius accommodatissimus vniuerso, describitur. Tr.2.n.22. & seq.

Sole quo pacto vtatur Deus *tamquam instrumento, ad sublunarium corporum generationem, conseruationem &c.* Tr. 2.n.38. & seq.

Fusius id exponitur. Tr.3.n.27. & seq.

Solem magno artificio isthic loci vbi iam est, à Deo *fuisse constitutum.* Tr.3.n.24

Status, Conditio.

Velis esse quod es, & non aliud quàm es. Tr.10.n.3. & seq.

Turbamur passim quia nemo suâ conditione contentus est. Tr.10.n.7

Et quia semper præferimus conditionem alienam. Tr.10.n.8

Obmurmuramus statui nostro, quia non cogitamus nos ita à Deo *in hâc mundi [illegible] collocatos, & quidem ex arte.* Tr.10.n.10. & seq.

Ex comparatione picturæ ostenditur quàm ineptè de suo statu homines murmurent. Tr.10.n.12. & seq.

Nemini debuit à Deo *concedi priuilegium vt posset eligere suum statum, aut aliud esse quàm quod iam est.* Tr.10.n.17. & seq.

Neque si à Deo *permitteretur hæc optio, conducibiliorem nobis statum possemus eligere.* Tr.12.n.1. & seq.

Neque semel electo à nobis statui acquiescemus. Tr.12.n.5. & seq.

Suo itaque quisque statu contentus viuat. Tr.10.n.21.22

Gloria Dei est quod quisque bene agat partem sibi datam in suo statu. Tr.10. n.23.

Numquam certiùs & meliùs seruitur Deo, *quàm præstando ea obsequia quæ cuique statui sunt propria.* Tr.10.n.30. & seq.

Nemo potest scire an in alio statu habiturus fuisset aut minores molestias, aut maiores gratias. Tr.10.n.30. & seq.

Hinc ineptè suspiras ad statum alium à tuo. Tr.10. n.34.

Statum cuique optimum & commodissimum selegit Deus. Tr.10.n.37. & seq.

Credibile est etiam damnandi Deum prouidisse de statu, in quo minùs damnationis erant habituri. Tr.10.n.41. Tr.15.n.35.36

Prouidentiæ Diuinæ in tuo statu acquiesce, & tuo lætus viues. Tr.10.n.42. & seq.

Quid sit status, & an mutari possit. Tr. 11.n.1

Alius est Status qui sine peccato dissolui non potest: alius, qui quamuis sine peccato, tamen sine magnâ difficultate non potest mutari aut dissolui. Tr.11.n.2.3

Deus vtitur humanis adminiculis vt homines

nes ad statum aliquem vocet. T.11. n.5. & seq.
Deus vult quemlibet in statu suo permanere etiam in illo ad quem per scelera est peruentum, si naturâ suâ sit indissolubilis. Tr.11.n.11. & seq.
Perseuerandum est in statu qui ab initio bene fuit electus, etiamsi naturâ suâ sit dissolubilis, & absque peccato. Tr.11. n.15
Cui placet status quem habet, etiam omnia adminicula externa quæ eum ad illum statum perduxêre, debent placere: vt sunt natales, parentes patria, diuitiæ, paupertas &c. Tr.11.n.16. & seq.
Item & adminicula interna, vt dotes animi, ingenium, indoles, valetudo, sexus &c. Tr.11.n.26. & seq.
Vnusquisque à Deo habet dotes conducibiles suo statui. Tr.11.n.29. & seq.
Alieno statui aut dotibus alienis non est inuidendum, si tuis vis contentus esse. Tr. 11.n.34. & seq.
Cum alieno statu non est facienda comparatio. Tr.11.n.37. & seq.
Et si tuum statum cum alieno comparare volueris, compara iustè & ex æquo: semper enim in hâc comparatione faciendâ erramus. Tr.11.n.39
Statui tuo nihil adiectum cupias aut demptum; ne minimum quidem. Tr.12. n.10. vsque ad 23. Item n.26.27.
Deus optimè nouit quid quisque possit ferre; ideo statum tibi selegit cui sis ferendo, eumque tuis viribus attemperauit. Tract.12. n.19. & seq.
Status alius est cum multis communis; alius verò cuique proprius & individuus. Tr.12.n.28. Tr.14.n.2
Cui status placet, etiam placere illi debent opera seu exercitia illius statûs. Neque admittendum est vt exhibeantur opera alteri statui propria. Tr.14.n.4. & seq.
Nullus est status sine magnis molestiis. Et illæ debent etiam placere illi cui placet status. Tr.14.n.12. & seq.

Vita.

Vitæ huius incommoda. Tr.1.n.8. Tr.13.n.3. & seq.
Tam naturalis nobis est mors, quàm vita. Tr.15.n.13.
Malè conquerimur de incertitudine & breuitate vitæ. Tr.15.n.14. & seq.
Si præsciremus miserias nobis obuenturas, nollemus viuere, aut viueremus admodum incommodè & tristes Tr.15.n.16
Malè conquerimur de præfixo nobis annorum numero. Tr.15.n.17
Si annos vitæ nobis ipsi deberemus præfigere, non possemus id facere sic vt determinationi nostræ daretur acquiescere. Tr.15. n.18
Vitæ terminus bene celatur à Deo, nec ominibus passim est reuelandus. Tr. 15.n.19
Vitam amamus miseri, quantumuis miserè ab eâ nobis sit. Tr.15.n.26

Vocatio Dei.

Vtitur Deus adminiculis humanis, vt hominem ad statum aliquem vocet. Tr. 11.n.5
Vocationes hæ non fiunt casu. Tr.11. n.6. & seq.

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

